

2

**E**ste Cano es de Josef Valle Ayllon Sue D<sup>o</sup>  
m. d. en Valladolid á diez, y ocho de Mayo de  
mil setecientos noventa, y cinco, y por ser vendida  
lo firmo en dicho dia.

Valles

---

---

**MELCHIORIS**

**CANI**

**OPERA.**

---

---

MELCHIORIS CANI  
EPISCOPI  
CANARIENSIS,  
EX ORDINE PRÆDICATORUM,  
OPERA,

In duo volumina distributa,  
IN HAC PRIMVM EDITIONE CLARIVS DIVISA,

Et præfatione instar Prologi Galeati illustrata,

A P. HIACINTO SERRY  
DOCT. SORBON.

Et in Pat. Lycæo S. Theolog. primar. profess.

TOMVS II.



M A T R I T I.

E Typographia Regia (vulgo de laGAZETA)

M.DCC.LXXIV.

*CVM PERMISSV. SUPERIORVM,*



# ELENCHVS

E O R V M

QUÆ HOC VOLV MINE  
continentur.

**M**elchioris Cani Locorum Theologi-  
corum duo posteriores Libri.

Eiusdem Relectio de Sacramentis in ge-  
nere.

Eiusdem Relectio de Sacramento Pœni-  
tentiaë.

IN-

# INDEX

LIBRORVM, ET CAPITVM.

## LIBER XI.

*De humanæ historiae auctoritate.*

<b>C</b> AP. I. Proœmium.	Pag. 1
Cap. II. De historiae humanæ in Theologiæ utilitate.	2
Cap. III. Argumenta continet, quibus auctoritas humanæ historiae impugnatur.	8
Cap. IV. Quod auctoritas humanæ historiae aliquando probabilis, quandoque etiam certa sit.	17
Cap. V. Vbi respondetur argumentis capituli tertii.	20
Cap. VI. Qui sint probatæ fidei auctores, qui contra non sint.	80
Caput postremum. In quo 15. 16. 17. & 18. argumenta capite tertio proposita, refelluntur.	120

## LIBER XII.

*De locorum usu in scholastica disputatione.*

<b>C</b> AP. I. Proœmium.	125
Cap. II. Quid Theologia sit, quæ ei obiecta res, quis finis.	127
Cap. III. Quæ sint Theologiæ principia.	136
Cap. IV. Capituli superioris argumenta refellit.	150
Cap. V. Quæ sint quæstiones, seu conclusiones Theologiæ.	160
Cap. VI. Quibus notis quæstiones fidei diiudicari possint.	172
Cap.	

Cap. VII. De variis errorum gradibus, primumque de hæresi, & hæretica propositione.	185
Cap. VIII. Contra hæresis finitionem argumenta quædam.	190
Cap. IX. Regulæ tres, ad quas fidei externa iudicia dirigenda sunt.	216
Cap. X. De propositione erronea, sapiente hæresim, piarum aurium offensiva, temeraria, scandalosa.	222
Cap. XI. Quemadmodum argumenta Theologiæ invenienda, atque e locis ducenda sint.	235
Cap. XII. Exemplum primum, ubi principium Theologiæ in quæstionem vertitur.	247
Cap. XIII. Exemplum secundum, ubi Theologiæ conclusio in quæstionem vertitur.	321
Cap. XIV. In quo ea quæstio vocatur in dubium, quæ cum naturalis sit, tum etiam ad fidem pertinet.	348



## RELECTIO


### DE SACRAMENTIS IN GENERE.

<b>P</b> roœmium.	371
Pars I. De Definitione Sacramenti.	373
Pars II. De necessitate fidei Christi ad salutem.	382
Pars III. De necessitate Sacramentorum ad salutem.	413
Pars IV. De Sacramentis causantibus gratiam.	418
Pars V. De discrimine inter nova, & vetera Sacramenta.	434

# RELECTIO

## DE POENITENTIÆ SACRAMENTO.

<b>P</b> roœmium.	442
Pars I. De Definitione Pœnitentiæ.	443
Pars II. De Pœnitentia ut virtute.	461
Pars III. De necessitate Pœnitentiæ ut virtutis.	472
Pars IV. De præcepto Pœnitentiæ ut virtutis.	507
Pars V. De necessitate Sacramenti Pœnitentiæ.	526
Pars VI. De præcepto Sacramenti Pœnitentiæ.	557



DE  
 HVMANÆ HISTORIÆ  
 AUCTORITATE,  
 Quæ postremo loco est posita.  
 LIBER VNDECIMVS.  
 CAPVT PRIMVM.



Vperiolem locum vix dum finieram, & ecce nuncius affertur, parentem meum charissimum Viennæ diem extremum obiisse. Eo vero audito nuncio, si motum me negem, quam id recte faciam, viderint sapientes, sed certe mentiar. Motus sum enim tali parente orbatus, qualis, ut arbitror, apud mortales reliquis nullus est. Cum autem ego illi meas has lucubrationes nuncuparem, scilicet a laboribus, quos eius potissimum causa susceperam, aliquandiu cessatum est. Mihi enim ante ita iucunda huius libri confectio erat, ut non modo omnes abstergeret laborum molestias, sed efficeret labores molles etiam & iucundos. At vero postea nihil omnino erat, quo tædium & cura levaretur. Etenim vivo patre, cum de locis theologicis aliquid vellent scribere, ille mihi occurrebat non eo solum dignus munere, sed in

## 2 DE HVMANÆ HISTOR. AVCTORIT.

cuius etiam nominis vigiliæ nostræ gratius apparent. Nunc autem quem similis in inventurus sum, ut patris loco substituiam? Solebam mihi equidem charissimum parentis vultum sistere, & quotiescumque scribendum erat, aut ego eram cum illo, aut ille mecum. Ille addebat aculeos, ille torpentem excitabat, ille ne oscitare quidem me sinebat. Tanta erat in absentem etiam patrem reverentia. At modo opus ceptum persequi cupienti aqua hæret, ut aiunt, nec quicquam conor, ubi non labascat animus victus quam cito. Longo enim a me ille spatio seiunctus non minus mihi dereliquit moriendo doloris, quam afferebat vivendo lætitiæ. Sed cum accepto vulnere otium mihi magnum insperatumque contigerit, nihil autem agere animus nec deberet, nec posset, ad postremum locum omnino appellendus fuit: ne res bene & utiliter inchoata, eius morte intercepteretur, qui etiamnum e superis vigiliarum mearum munus exigit. Nec vero dubitem ego quærenti, cui scribam, respondere: Patri meo scribo, qui me non ipsi hæc tantummodo dare voluit, sed etiam aliis proderet. Quanta igitur apud Theologos sit historiæ humanæ & utilitas, & auctoritas explicaturi modo sumus. Orabit autem sine dubio pater, ut quod iter illo in terris cogente carpsimus, eodem nunc e cœlis favente peragamus.

## CAPUT II.

### *De historia humana in Theologiam utilitate.*

**E**Mersi iam e vadis, & scopulos prætervecta est oratio mea. A rebus enim difficillimis ad res faciles delapsus sum, neque historiæ humanæ auctoritate explicanda potest aut ingenium, aut Theologia mea periclitari. Multo vero id minus, cum illud explico, quam sit Theologo humana historiæ utilis & necessaria. Nullos quippe hic adversarios habemus, nulla contra veritatem argumenta sunt. Etenim viri omnes docti consentiunt, rudes omnino Theologos illos esse, in quorum lucubrationibus historia muta est. Mihi quidem non Theologi solum, sed  
nuli



nulli satis eruditi videntur, quibus res olim gestæ ignotæ sunt. Multa enim nobis e thesauris suis historia suppeditat, quibus si careamus, & in Theologia, & in quacunque ferme alia facultate inopes sæpenumero & indocti reperiemur. Cum vero pateat, quandoque in re quondam gesta Theologicæ disputationis cardinem verti, quis est hic qui neget, interdum etiam in scholastica disputatione opus esse ex annalium monumentis testes excitare clarissimos veritatis? Equidem historiam esse Theologo disserenti necessariam, cum sæpe alias, tum maxime in hoc opere animadverti: ubi quantus mihi fuerit historię huiusmodi usus, qui superiores libros attigerint, ita facile iudicabunt. Nam quam magnus postea futurus sit, non audeo ego in præsentia dicere, ne montes aureos videar polliceri. Certe quantum historię cognitione Theologus indigeat, vel illi abunde magno argumento sunt, qui eius ignorantie sunt in varios errores lapsi. Huius generis quidam, exemplum ponunt, quod Traianum Gregorii precibus a gehenna liberatum, non vulgo solum, sed Divo etiam Thomæ olim iuveni persuasum est. Persuasum est autem Ioannis Damasceni auctoritate, cui Divus sane Thomas plurimum d. forebat. Sed illius fabellæ, inquit, argumento nemo adduceretur, si ex temporum ratione intelligeret, Ioannem Damascenum rei eius auctorem esse non posse, ut qui plus uno sæculo iuxta horum sententiam Gregorium antecesserit. Nam Raphael Volaterranus, Vincenzius Valvænsis. ac Divus Antoninus illum tradunt sub Theodosio floruisse. Sed hoc exemplum ineptum est, cum Ioannes ille Damascenus, qui quatuor de orthodoxa fide libros edidit, sub Constantino & Leone floruerit, hoc est, Divo Gregorio iam defuncto. Nec in re aperta opus est aut Ioannem patriarcham Hierosolymitanum, aut rerum scriptorem Romanarum libr. 21. & 22. aut alios etiam historicos excitare, ubi Ioannes ipse Damascenus non ob-cure indicat, quo tempore extiterit. Primum enim Cyrilum sæpe refert, qui post Theodosium fuit. Synodi quoque Chalcedonens. aliquando meminit. Quin lib. 3. cap. 10. Petri cuiusdam Gnaphæi fecit mentionem, qui sub Iustianiano in quinta synodo damnatus est. Sed & libro 4. cap. 17. contra

4 DE HVMANÆ HISTOR. AVCTORIT.

Iconomachos scribit, eosdemque in libro hæres. Iconoclastas & Thymoleontes appellat, a Leone scilicet, qui sectæ illius præcipuus & auctor, & adiutor fuit. Eodem præterea hæres. libro Monothelithas commemorat Cyrum, Sergium, & Eustachium, qui damnati sunt in sexta synodo sub Agathone papa: adversum quos copiose etiam scriptis lib. 3. de orthod. fid. cap. 14. & 15. Quæ omnia qui expendat, is facile intelligat, Ioannem Damascenum post Gregorium extitisse. Nam quod Triteremius ait, duos fuisse huius nominis, alterum sub Theodosio, qui libros illos Theologiæ composuerit, alterum sub Leone, qui promaginibus depugnari, id commentitium totum est, ut ex locis modo excitatis apparuit. Nec vero historiam ego illam probo. Mirum enim est, hominem Græcum rem, & nostram, & toto, ut ipse inquit, orbe vulgatam Græcis suis prodidisse, quam historia tamen omnis Latinorum ignorat. Sint ergo fabulæ, non repugno, ea quæ de Traiano, & Gregorio referuntur. At non ob illam causam tamen, quia prior Gregorio Damascenus fuerit. Verum hoc in genere Hispanus noster Gennadius Sepulveda nuper erravit, homo neque meo iudicio imperitus, & suo valde doctus, certe & eloquendi arte clarus, & a Theologiæ studio non abhorrens. Qui cum persuadere vellet, barbaris novi orbis oppugnandis iustam esse belli causam, in eam argumentationem incubuit, quod Gregorius in epistola libri primi septuagesima tertia (id quod refertur 23. quæst. 4. Si non) Gennadium commendat, qui tantum christianæ dilatandæ causa reipubl. bella suscepit, quatenus Christi nomen per subditas gentes fidei prædicatione circumquaque discurreret. Hoc vero Gregorii testimonium quam sit ineptum ad rem propositam comprobendam, is quoque ipse Gennadius facile iudicasset, si ex historiis didicisset, eos adversum quod bella Gennadius gessit, hostes non imperii Romani modo, verum etiam ecclesiæ, Christique fuisse (1). Id quod ex alia quadam ad eundem Gennadium epistola, quæ est in eodem libro, numero septuagesimasecunda luce clarius

vi-

(1) 23. quæst. 4. Sicur.

videre licet. Nec dubitari potest (2), Vandalos; quorum reliquias eo usque in Africana provincia supererant, Africana peste affectos: nec ignoratur Donatistas, quibus Africana etiam plena erat, præmiis & vi contra Catholicos; non solum disputatione pugnasse. Sed de his exemplis non est hic locus disserendi; ubi breviter & in transcurso Theologum admonemus, ut ne historiam ecclesiasticam negligat, cuius & cognitio magnos fructus parit, & ignoratio parit errores. Iam vero Augustinus, libr. de doctrina Christ. 2. cap. 28. ethaicorum etiam historias ad intelligentiam scripturæ sacræ plurimum conferre tradit, ostenditque earum ignoratione quosdam circa scripturas errasse. Videlicet Irenæus & Tertullianus (3) circa ætatem, qua Christus passus est, vario sunt quidem errore versati; sed ob eandem causam tamen. Historias enim humanas hoc loco neglexerunt, quibus cognitis ea res facillime expeditur. Quanquam uterque erroris sui ex evangelio quoque poterat admoneri. Atque Erasmus, (4) quas tenebras super universam terram factas plane scribit evangelista (5), eas ipsa super Iudæam tantum fusas intelligit, falsæque intelligentiæ causam ponit, neque veram, neque, si vera esset, satis idoneam, quod si hæ tenebræ tanto spatio contigissent per universum orbem, aliquis certe seu Latinus, seu Græcus scriptor eius rei meminisset. Nam epistolam, qua Dionysius astruit eclipsim illam se diligenter & vidisse oculis, & animo considerasse; quasi nomine Dionysii confictam deridendam propinat. At vero nec quam Philosophiæ & doctrinæ laudem Dionysio Arcopagitæ eripere conatur Erasmus, eam ego in hoc opere asserere instituo; nec id etiam reprehendo; quod Divum Hieronymum eius in-

---

(2) Prosper. in chronic. (3) Iren. 2. libr. cap. 39. & 40. Tert. in opere adversus Iudæos. Vide Euseb. libr. 1. ecclesiast. histor. cap. 10. Epiphaniam hæresi 51. August. libr. de doctr. Christ. 2. cap. 28. Iren. in 40. anno Christum passum esse dixit. Tertullianus in 30. secutus Clemens Alexand. in 1. Strom. & Lactantium in 4. diu. lib. 4. (4) Matth. 27. (5) In annotat. super Matth. cap. 27. & super acta Apostol. cap. 17.

interpretationis auctorem facit, cui non alius quisquam scripturæ interpres apertius contradicit. Illud ago, nisi humanas historias hic ignoraret Erasmus, tenebras profecto illas aliter, ac vere quidem, interpretaturum. Phegon enim Olympiadarum egregius supputator, in quatuordecimo libro ita scribit. *Quarto autem anno 202. olympiadis magna & excellens inter omnes, qua ante eam acciderant, defectio solis est facta. Dies hora sexces, ita in tenebras am. noctem versus, ac stellæ cælo visæ sunt, terræque motus in Bithyniæ Nicæna urbe multas adas subvertent. Quæ annuam cum passione dominica concurrisset Eusebius in chroniciis patefecit. Lucimus quoque presbyter Antiochenus, vir moribus & eruditione præcipuus, cum gentibus de fide Christiana disputans, Røquirite, inquit, in annalibus vestris, & invenietis temporibus Pilati, Christo passione, & fugæ sole incærrumptam tenebris diem. Auctor est Eusebius, libr. nono ecclesiast. historię, cap. 6. Tertulianus demum, Eodem, inquit, momento dieo medium orbem signante sole subducta est. Deliquimus utique putaverunt, qui id super Christum prædicatum non scierunt; & tamen cum mundi casum reclarum in archivis vestris habeatis. Hæc etiam ille in Apoc. cap. 8. Quibus ex rebus facile intelligitur, sacris literis exponendis historias etiam gentilium esse necessarias. Quæ quanquam ita sunt in promptu, ut res disputatione non egeat, sunt tamen nobis in tertridecimo libro fusius explicanda. Cum igitur ibi hæc simus exemplis manifestissimis illustraturi, non est cur quæ eius libri propria doctrina erit, hoc nos eam loco importune antevertamus. Atque in Geometrà solent non omnia argumentis ostendere, sed postulare, ut quædam sibi concedantur, quo facilius quæ velint expligent; sic ego interim a lectore postulo, ut mihi concedat esse in libris sacris loca plurima quæ sine historię humanæ cognitione expediri non queunt. Quod autem in disputatione adversum fidei Christianæ inimicos rerum gestarum monum. nta Theologo peropportuna sjet, clarissimorum viroꝝ usus aperte confirmat. Tertulianus (6) ex ipsiſ Romanorum historiis argumentatur, pes-*

si-

simos quosque savos Christianis, crudelesque fuisse. Bonum, itaque esse, id quod mali homines inscētarentur. In libro vero ad Scapalam quot rerum gestarum exemplis usus est, & persuaderet, ob vexatos Christianos multos gentilium præsides tristes exitus habuisse? Quamobrem qui cum nostris pugnavissent, eos cum Deo quoque sine dubio ceterasse. Cyprianus (7) idolorum omnium vanitatem qua historiarum scientia & commemoratione coarguit? Hieronymus (8) quot quotque varias adversum Iovinianum historias in commendationem virginitatis, castitatisque commemorat? Lucianus presbyter, quemadmodum supra diximus, ipsos gentium annales excitat, ut nostræ etiam fidei dogmata illorum testimoniis asserat. Eusebius (9) Iudæos & Paganos sæpe ex historiis humanis refutat. Non ergo historia solum ecclesiastica, sed ea etiam, quæ est ab ethnicis auctoribus scripta, Theologo contra adversarios fidei utilissima est. Quapropter rudem esse omnino in historiis gentilium, aut inertissimæ segnitæ est, aut fastidii delicatissimi. Enimvero quod commode ac prudenter, non in concionibus dico, sed etiam in disputationibus Theologus exempla proferat, dum quidpiam vel iuxta esse suadet, vel iniustum, quoniam a viris aut probis, aut improbis usurpatum est (10). Tertullianus, Hieronymus, alique viri gravissimi satis ostendunt, qui non raro huiuscemodi persuasionis genere delectantur. At exempla probabilia sine historiarum cognitione proficri qui possunt? Quam late igitur historiarum utilitas fusa sit, apparet: siquidem quatenus Theologi ingredimur sive concionando, sive disputando seu sacras literas exponendo, in aliquam historiam vestigium ponimus. Itaque etiam ad has multas res Theologo perutiles sint historicarum libri, studiosè profecto ab eo legendi sunt, ne turpiter in rebus ad se maxime pertinentibus erret, eaque ignoret, quæ ignorari non sicut imprudens

---

(7) In libr. *Quod idola non sunt Dei*. (8) 1. lib. *adversus Iovinianum*. (9) 1. lib. *ecclesiast. hist.* cap. 6. & 11. lib. 2. cap. 2. libr. 3. cap. 7. (10) *In apologia & adversus Iovinianum* libr.

tia modo; sed ne sine imperitia quidem possunt. Historia quippe, ut Cicerō verissime dixit, cum magistra vitæ est, tum lux etiam veritatis. De historiæ ergo utilitate hæcenus dictum est, nunc de auctoritate videamus.

## CAPVT III

*Argumenta continent, quibus auctoritas humanæ historiæ impugnatur.*

Quæquam, ut paulo ante dicebamus, e locis scopulis enavigavit oratio, nec ea, quæ in huius loci ~~explicatione~~ *explicatione* ~~disserenda sunt,~~ *disserenda sunt,* ingenii vim, aciemque desiderant, egent tamen quædam horum gravi, maturoque iudicio. Quæ ex re fit, id quod vix credibile est, ut in loco facili & explicato perdifficiles & lubricæ quæstiones existant. In primis enim constituendum est, qualis quætaque sit historiæ humanæ auctoritas, & quam faciat in Theologia fidem: quod non adeo expeditum est. Deinde, quis auctor probabilis ac fide dignus existimari debeat: quæ res est omnium difficilima. Cum enim non ex sermone hominum recenti, sed ex maiorum memoria atque annalium vetustate eruenda sæpe sit veritatis explicatio eius, quæ in Theologica disputatione versatur: oportebit sane de historia præsertim veteri iudicare, historicos omnes internoscere, mendacesque a veracibus secernere. Quam facultatem quoniam mihi nec arrego, nec debeo, fateor, me non sine metu ac pudore quodam hanc provinciam suscepisse, munere necessitatis non voluntatis opere perfumcturus. Non quod mihi in tanto officio, tamque gravi causa cura defuerit: sed quod video periculosum esse eo vel maxime loco iudicem velle fieri, ubi ~~vir ille ammirum~~ *vir ille ammirum* ~~exigitur,~~ *exigitur,* qui & antiquitatis memoriam in numero habeat, & prudentia summa, gravissimoque iudicio sit præditus. Sed quo citius hoc, quo suscepimus, non mediocri munus conficere possimus, ommissa, aut ignorationis mæ, aut temeritatis, aut utriusque etiam de-

pre-

precatione, ad earum rerum, quas proposuimus, explicationem, disputationemque veniamus.

Principio itaque historię humanę auctoritatem argumentis oppositis impugnabimus. Mox docebimus, ex eiusmodi historia qualia in Theologię usum argumenta ducantur. Tertio loco ostendemus, quoniam illi auctores sint, quos in historia Theologi probare debeant. Postremo, argumenta opposita refutando finem huius libri faciemus.

Primum ergo argumentum, quo historię humanę <sup>1. Arg.</sup> fides labefactari potest, est huiusmodi. Ioseph secundum naturam filium fuisse Iacob, secundum legem fuisse filium Eli, Aphricanus in epistola ad Aristidem, Iustinus martyr, quęstione ad orthodoxos 66. Eusebius, lib. 1. ecclesiast. histor. cap. 7. Nicophorus, libr. item primo, cap. 11. Ambrosius, lib. in Lucam 3. Hieronymus in primum Matth. cap. August. libr. 2. de con. evang. cap. 3. & 2. retr. libr. cap. 5. & 16. Damascenus, lib. 4. cap. 15. Beda, libr. 1. in Lucam, cap. 10. Theophilaetus, in Lucę tertium caput, omnesque fere patres scripserunt. Neque illis subito reperta hæc, aut sine auctoribus conficta sunt: sed ab ipsis saluatoris nostri propinquis & consanguineis tradita, quemadmodum Aphricanus affirmat. Hęc vero multis argumentis commentitia esse probat libro primo harmonię evangelicę Osiander: atque, ut sibi quidem videtur, ita probat, ut non modo Divo Thomę, cęterisque Theologis quasi portenta somniantibus insultet, verum etiam eos insanos apellet, qui hæc primi in lucem ediderunt.

Secundum argumentum est, quod Ioseph virum Marię <sup>2. Arg.</sup> alteram prius uxorem habuisse, ex qua filios suscepit, qui fratres Domini in evangelio dicuntur Eusebius, lib. 2. ecclesiast. histor. cap. 1. Nicophorus, lib. 2. cap. 3. ubi etiam refert Hippolytum eiusdem sententię auctorem, Ambrosius in libr. de instit. virgin. cap. 6. Epiphanius, libr. 2. contra hæres. cap. 51. & 78. Hilarius, can. 1. in Matth. aperte consentiunt. At historiam hanc Hieronymus in Matthæi duodecimum caput tanquam apocryphorum deliramenta contemnit: quin etiam adversus Elvidium asserit, audazi eam temeritate confictam.

3. Arg. Tertium argumentum, Hieronymus scribit (1), veterem historiam narrare, quod Herodias, cuius Mathæus meminit, filia fuerit Arethæ regis: idem quoque astruit Beda, libr. comment. in Marcum secundo, Eusebiusque Rufino interprete, libr. ecclesiast. histor. 1. cap. 13. At illud esse falsum, & Iosephus, lib. 18. antiq. cap. 5. & Egesipus, lib. 2. de excit. Hieron. cap. 12. testes locupletissimi sunt. Quibus etiam assentitur Nicephorus, lib. 1. cap. 20. Nihil igitur ex rerum veterum publica commemoratione non certo dicam, sed ne probabiliter quidem suadere possumus. Nam si historias, quæ in his tribus argumentis referuntur, explodere, & pro nihilo putare licet: nulla profecto humana historia reperietur, quæ quicquam habeat ad faciendam fidem virium.

4. Arg. Quantum argumentum, Magos, qui Christum adoraturi ex Oriente venerunt, reges fuisse, nedum philosophos, tradunt Cyprianus in sermone de baptismo Christi, & manifesta Trinitat. Athanas. quæst. 2. ad regem Antiochum, Hieronymus in psalm. 71. Augustinus, sermone 43. ad fratres in eremo, & de mirabilibus sacræ scripturæ, si tamen hæc opera August. sunt, Chrysostomus homil. 6. in Matth. Tertulianus contra Indæos. Doctor quidam antiquus, nomine Christianus, in cap. 2. Matth. Isidorus in præfatione Missæ, quæ vulgo dicitur Mozarabe. D. Thom. in Matth. cap. 2. & in Ioannis 11. cap. nam & 3. part. quæst. 36. art. 3. ait, non solum fuisse sapientes, sed potentes. Eiusdem sententiæ fuerunt Albertus Magnus, Divus Vincentius, Nicolaus Liranus, Dionysius Carthusiens. Simon de Cassia, Doctor incognitus, in psalm. 71. Titelmanus, Ioannes Echius, Divus Antoninus, aliique ex iunioribus, quos longum est enumerare. Ac corte historia esse videtur per manus a maioribus nostris accepta. Sed hæc tamen communis traditio nullam prorsus in ecclesia facit fidem. Quin probabilissime a Baptista Mantuano, aliisque recentioribus asseritur, Magos reges non fuisse. Non enim id silentio prætermisurum evan-

ge

(1) In Matth. 14.



gelistam quod ad rem magnopere pertinebat, nec Herodem, si reges essent, eos adeo imperiose, & incivilter excepturum.

Quintum, Magos venisse Hierosolymam diebus a Christi 5. Arg. nativitate tredecim non Hieronymus modo & Augustinus, verumetiam omnes prope auctores & veteres & recentes memorie prodiderunt (2). Et Epiphanius hæresi § 1. constanter affirmat, post duos annos a nato Christo magos ex oriente advenisse. Cuius opinionis duæ causæ sunt non omnino pessimæ. Vna, quod in die Purificationis non agnum sed turturum (3) aut columbæ pullum Christi mater obtulit: non ergo potuit invenire manus eius pretium agni, atque adeo ne thesaurum quidem a Magis acceperat. Altera causa est, quod Herodes occidit omnes pueros a bimatu & intra, secundum tempus quod exquisierat a Magis. Non est autem verosimile, Herodem bimos pueros interfectorum iuxta tempus stellæ, cuius apparitionem diligenter a Magis exquisierat, si ab ortu stellæ ad Magorum adventum non nisi tredecim dies interfluxissent. His adde, quod ipsi quoque testati sunt, se stellam in Oriente vidisse. Quæ profecto verba plus aliquid significant, quam regionem, unde profecti sunt, comparatione tantum ad Hierosolymam orientalem fuisse. Si igitur, ut plane scribit evangelista, ab oriente venerunt, cum non sit obscurum, Hierosolymam longissimo intervallo ab Oriente distare, intra tam paucos dies & stellam vidisse, & consilium de profectioe communicasse, & adornasse iter, & ab Orientis partibus per tot regiones ac populos ad Palestinam accessisse, prorsus abhorret ab humanæ iudicio rationis.

Sextum, Miraculum nuptiarum in die anniversaria Epiphaniæ fuisse editum posteritati suæ, quod ait Maximus, fidelis mandavit antiquitas. At Epiphanius contra docet (4), eodem die, quo Christus natus est, completo iam anno trigesimo, filium cum matre convivio nuptiali interfuisse. Nihil igitur certum ex temporum publica commemoratione accipere possumus.

B 2

Sep

---

(2) Idem Zacharias Chrysopolitanus. (3) Lev. 12. (5) Har. 51.

7. Arg. Septimum, *Lex vera historię est, ut Hieronymus sæpe dixit (5), ea scribere, quæ vulgus existimat, quamvis re ipsa falsa sint.* Sic enim Ioseph ab ipsa quoque Maria appellabatur pater Iesu, & Herodem evangelista contristatum esse ait, non quod revera, aut Ioseph pater Christi esset, aut Herodes esset animo contristatus: sed quod illud eo tempore sic vulgo ab hominibus putaretur, hoc autem discumbentes existimarent: cum potius illud credendum sit, dissimulasse mentis suæ malitiam artificem homicidam, cum tristitiam in facie & lætitiā haberet in mente. Ob quam causam vulpes est a Domino appellatus (6). Vnde & Iosephus 18. antiq. lib. cap. 7. asserit, ab Herode Ioannem esse occisum, quia timebat ne auctore Ioanne defectionem populus moliretur. Ambiguum igitur omne argumentum est, quod ex historia petitur. Nam vulgi ferme opinio falsa est: & poterit omnis eiusmodi argumentatio refelli, quod historicus non veritatem rerum, sed vulgi opinionem expresserit.

8. Arg. Octavum, Augustinus sermon. 71. de immolatione Isaac, *Antiquorum, ait, relatione refertur, quod Adam primus homo in ipso loco, ubi crux fixa est, fuerit sepultus.* Et Cyprianus in sermone de resurrectione Christi, *Adam, inquit, sub loco, quo crux Domini fixa est, humatus traditur, ab antiquis.* Atque Paula & Eustochium in epistola ad Marcellam, eandem historiam tanquam habitantium ore celebratam narrant. Ita cam refert quasi minime dubiam Epiphanius lib. 2. contr. hæres. cap. ultimo. At Hieronymus in Matth. 27. caput & in 5. cap. epist. ad Ephes. quasi fabulam irridet, quod Iosue 14. cap. Adam in Cariath Arbe dicatur esse conditus. Opinionem vero Hieronymi Isidorus sequutus est.

9. Arg. Nonum, Clemens Alexandrinus, Eusebius Cæsariens. Theodoretus, Hieronymus & August. ex annalium ratione colligunt, septuaginta desolationis annos in secundo Darii Histaspis fuisse completos. At hoc non modo falsum & commentitium est, sed sacris etiam literis adversum: quæ non implicite &

abs-

---

(5) *Aiver. Elvid. & in Matth. 14. cap. Idem Bedæ, lib. 2. cap. in Mattheum.* (6) *Euseb. lib. 1. eccl. hist. cap. 11.*

abscondite, sed patentius, & expeditius continent, septuaginta illos annos statim ab initio regni Cyri absolutos (7). Nul- lum ergo idoneum argumentum ex temporum ratione pro- mitur.

Decimum, Hieronymus auctor gravissimus historiæ pro- dit (8), quod in secundo Darii anno templum ædificari cœp- tum est. At vero explorare perceptum est & cognitum (9), Zorobabelem sub Cyro templi fundamenta iecisse. Imbecillum ergo est quodcumque argumentum ex historia humana de promptum, quamlibet historiæ auctor gravis sit.

Vndecimum, Plerique historici (10), & ii nobiles, tra- diderunt, Arthaxerxem ædificationem templi impediisse. At contra scriptura tradit (11), templum ædificatum esse præ- cipiente Cyro, Dario & Arthaxerxe.

Duodecimum, Iosue post mortem Moysis 26. annos imperasse, auctores sunt Iosephus lib. 5. antiquit. cap. 1. Sabellius Ænea. 1. lib. 4. Nauclerus Chronographiæ suæ generatione 28. Nam Eusebius in chronicis, atque hunc se- cuti Isidorus, Severus Sulpicius & Ioannes Carion 27. an- nos, Iosue imperio tribuerunt. Quæ si vera essent, non es- set vera summa 480. annorum, quæ ab exitu filiorum Israel de Ægypto ad templi ædificationem 3. Regum lib. cap. 6. colligitur.

Tertiumdecimum, Si qua historia Theologo probanda est, ea erit maxime, quæ omnium ecclesiarum ore celebratur. At eiusmodi multæ nullam faciunt prorsus in Theologia fidem. Etenim, ut ea prætereamus, quæ ridiculo & false de Cirio & Iulita, de Gregorio, de Catharina martyre, deque undecim mille virginibus referuntur: eerte historia Thomæ apostoli apocrypha & commentitia est non solum Gelasio 15. dist. cap. *Sancti Romani*, sed etiam Augustino lib. 22. con. Faust. cap.

79.

(7) Clem. in 1. Strom. Euseb. in Chron. Theodoret. in primum Zachar. cap. Hier. in proœmio super Aggeum, & in 1. Zachar. cap. Aug. lib. 18. de Civitate Dei cap. 26. (8) Daniel. 9. & 2. Paral. 26. & 1. Esdr. 1. In 7. Dan. cap. (9) 1. Esdr. 3. (10) Ioseph lib. 11. cap. 3. Arab. 1. p. 176. tit. 4. cap. 1. Hermannus in Chro- nicis. (11) 1. Esdr. 6.

#### I 4. DE HVMANÆ HISTOR. AVCTORIT.

79. & libr. unico advers. Adimantum cap. 17. & lib. 1. de sermon. dom. in mon. cap. 38. His adde Marthæ & Mariæ Magdalenzæ fabulam, quæ narrat, ad Mariam quidem Magdalum, ad Martham vero Bethaniam sorte hereditaria pervenisse: cum contra scribat Ioannes (12) Bethaniam Castellum Mariæ Martæque fuisse.

14. Arg. Quartum decimum, Ea historia reliquas videtur excellere, quæ a summis pontificibus probata est. Constantini vero donatio, lepra, baptismus, sanitas, non modo historiis celebrantur ecclesiæ, verumetiam per summos pontifices approbantur. At hæc ficta esse omnia multi viri doctissimi contenderunt (13). Nulla igitur ecclesiastica historia theologo idonea argumenta ministrat.

15. Arg. Quintumdecimum, Nemo in ecclesiasticis viris est, qui historiæ probabilis auctor haberi queat. Non Philo in temporum breviario. Nam in eo libello, quamvis exiguo, tot mendaciosa sunt, ut sint numerata difficillima. Non Iosephus. Primum quia multa tradit sacris literis vehementer repugnantia. Deinde, quia tertium Esdræ librum in historia sequitur, quem Hieronymus non aliter quam somnia reiecit. Postremo; quia in temporibus rerum notandis vario fuit errore versatus. Equis ergo in ecclesia auctor historiæ certus habebitur? An Africanus? Sed huius historia Gelasio (14) apocrypha est. An Eusebius? Sed huius quoque historiæ tanquam apocrypham idem Gelasius reprobat. Sed in historia tripartita Sozomenus princeps habetur. At hunc damnat Gregorius iniquens (15), *In historia Sozomeni de quodam Eudoxio aliqui narrantur. Sed ipsam historiam sedes Apostolica recipere recusat: quoniam multa mentitur, & Theodorum nimiam laudat, atque usque ad ultimum sui diem magnam ecclesiæ doctorem fuisse predicat.* Si igitur hi, qui primas in historia ecclesiastica partes habent, incerti ac mendaces auctores sunt: nimirum neque ex his, neque ex aliis, quo-

---

(12) Io. ann. 11. (13) In Extrav. anigenit. de poen. & venis. quæ est Clementis 6. & in cap. fundamenta de elect. in 6. (14) 15. dist. Sancta Romana. (15) Lib. 6. epist. 31.

quorum minor est auctoritas, idoneum sumet theologus argumentum ad suas conclusiones corroborandas.

Sextumdecimum, Innocentius 20. dist. cap. *De quibus*, 16. Arg. solas ecclesiasticas historias in causis ecclesiæ finiendis approbavit. Ethnicorum ergo de rebus gestis monumenta parum in theologiæ usum valere possunt. Id quod concilium Florentinum sessione septima confirmat in hæc verba. *Romanorum, aut Grecorum historia nequaquam in synodo uti debemus.*

Decimumseptimum, In Assyriorum monarchia Berosus 17. Arg. commendari supra cæteros solet. Ad huius auctoris nulla extat historia. Nam, quæ Berosi nomine est ab Annio edita, eam fictam esse viri eruditi deprehenderunt. In Persarum vero rebus gestis commemorandis præfertur Metasthenes, qui veros & publicos Persarum annales, ut fertur secutus est. At huius etiam monumenta multo falsiore titulo Annianus edidit. Metasthenes siquidem iste Annianus octo solum Persarum reges fuisse tradit, cum tamen fuerint quatuordecim, quos ordine & Hieronymus in septimum Danielis caput, & Eusebius censet in chronicis. Iam Græcarum rerum historia quid nisi fabulas continet, quas illi passim pro veris historiis edunt? Cicero (16) quippe auctor est gravis, quod testimoniorum religionem Græca natio non coluit. Scipio item apud Livium (17) non aliter historias Græcas ac fabulas refert. Vere quoque dixit Fabius (18), Græcis historiis plerumque poeticæ similes esse licentiam; ut inre illud ex Satyra vulgi etiam sermonè teratur, *Et quicquid Græcis mendax audeat in historiis* (19). Atque Iosephus in præmio lib. de Bello Iudæic. veritatem a Græcis in historia negligi testis est. Id quod in 1. cont. App. lib. confirmat. Sed & nostris Hieronymus cum Græcas historias opposuisset, *Non debemus*, inquit (20), *eorum auctoritati acquiescere, quorum mendacia detestamur.* Sane, ut taceam de reliquis, He-

10-

(16) *In oratione pro Lucio Flacco.* (17) *Decad. 3. octavo lib.*

(18) *Lib. 2. orat. instit. cap. 4.* (19) *Iuvenal. Satyr. 10.*

(20) *In 27. cap. Ezech. Vide Iosephus lib. 1. contr. Appianionem, Cicero lib. de legibus 1. apud Herodotum, inquit, historiæ patrem & apud Theopompum sunt innumerabiles fabulæ.*

rodotus & Xenophon, quos historiæ parentes Græci habent, confictis fere narrationibus abutuntur. Quid in imperio Romanorum? An ulli extant annales publici, quibus credere debeamus? Minime gentium. Sed quisque pro affectu suo res illorum gestas scripsit. Laudationibus porro, quod Tullius ait (21), historia rerum Romanorum est facta mendosior. Quædam autem in Livio esse, quædam in Sallustio, quædam in Cornelio Tacito, quædam in Trogo, quorum fides manifestis testimoniis labefactari possit, Flavius Vopiscus (22) verissime dixit. Nihil ergo fidei ethnicorum historiis habendum est, utpote quæ nullam habeant non modo certam, sed ne probabilem quidem auctoritatem.

Ult. Ar-  
gument.

Postremum argumentum historias omnes generaliter & ecclesiasticas & profanas impugnat. Illud est huiusmodi. Fidem humanam idcirco Aristoteles virtutum intellectualium numero eximit, quod iuxta ad falsum & verum inclinatur. Theologia ergo, quæ tota veritate penditur, non accipiet ab humana fide adiutorium, nec verax cum fallaci ad argumentandum consociationem contrahet: quoniam tale argumentum ex ea parte, qua humanæ fidei innititur, æque falsitati ac veritati innitetur. Confirmat autem hoc vel maxime, quod homines mendaces sunt, fillereque & filli omnes ad unum possunt. Sive igitur pauci, sed plures historici quicquam asserunt, imbecilla ea omnis argumentatio erit, quæ in testimonia hominum inclinata recumbit. Quocirca argumentum quodcumque ex humana historia petitur imbecillius est, quam ut in Theologia ullam omnino faciat fidem. His argumentis loci huius auctoritas impugnatur. Nam si quæ sunt alia, erunt autem fortasse plura, similia sunt, atque adeo similiter refellentur.

CA-

(21) *De clar. orat.* (22) *In vitam Aureliani.*

## CAPVT IV.

*Quod auctoritas humanae historiae aliquando probabilis, quandoque etiam certa sit.*

SEquitur ut explaemus, qualis quantaque sit humanae historiae apud theologos auctoritas: nam hoc secundo loco nos acturos pollicebamur. Quod quo magis intelligi possit, illud principio ponendum est: necessarium esse homines hominibus credere, nisi *vita pecudum* more degenda sit. Eam rem quoniam Theodoretus in opere de cura Graec. affect. libro primo, Augustinus item in libro de utilit. cred. ad Honor. cap. 12. & de fide rerum invisibilium cap. 1. & 2. diligentissime persecuti sunt, non erit nobis hic magnopere laborandum. Atque Augustinus quidem plane asserit, non amicitiam modo, verum omnem omnino humanam societatem interire, nisi amicus amico, maritus uxori, parentibus filii, fratres fratribus, civibus cives, sociis socii fidem habeant. Multa ille affert, quibus ostendat, necessitudinem & pietatem duo generis humani sanctissima vincula violari atque dissolvi, nihilque prorsus in hominum consociatione incolume remanere, si nihil credere statuerimus, quod non idem possumus quasi manu tangere ac tenere perceptum. Humanæ itaque vitæ necessarium esse, hominum dicis homines sine ulla etiam dubitatione credere. Theodoretus vero fidem esse *ceu primariam* artium basim, disciplinarumque omnium crepidinem probat etiam manifeste. Nec enim, ut cetera taceamus, pueri elementarii ullam omnino possunt disciplinae puerilis facultatem adipisci, nisi & nomina literarum & syllabarum nexus fide a preceptoribus acceperint. Vt illud Isaïæ (1) in omni etiam & arte & ætate verissimum comprobetur, *Nisi credideritis, non intelligetis.* Præclarum est igitur Aristot. illud (2), in omnia

Tom. II.

C

fa-

(1) Isaï. 7. *intra 70. interp.* (2) 1. *Elench.*

facultate atque doctrina oportere addiscentes credere, experimentis quippe cotidianis hoc nos nullo admonente discimus, quod cognitionem ac rerum intelligentiam præcedit fides, subsequitur autem fidem scientia quæcumque veri. Qui ex re fit, ut naturæ auctor in hominum mentibus inclinationem ad credendum naturalem impresserit: siquidem non minus fides necessaria est hominis & vitæ & disciplinæ, quam aut igni locus supremus, aut terræ imus, ut bene habeant, necessarius est. His autem propensiones quasdam, & quasi appetitiones natura indidit ad fines & perfectiones necessarias. Quamobrem qui humanam fidem ex hominum animis evellere conantur, ii non solum stulti sunt, sed gigantum more cum Diis bellant, hoc est, cum natura pugnant. An vero quicquam tam puerile & stultum dici potest, quam si ea, quæ videntur alii, negemus esse, quia ipsi non vidimus? Credere igitur necesse est, nisi pueris stulciores esse volumus. Quibus positus sit prima conclusio.

1. concl.

*Præter auctores sacros nullus historicus certus esse potest, id est idoneus ad faciendam verum in Theologia fidem. Hæc quoniam, quique per se est obvia & manifesta, non est nostris argumentationibus comprobanda. Flavius porro Vopiscus vere, salseque dixit, neminem historicorum non aliquid esse mentitur: unde fidenter se historicum agredi, habiturus mendaciorum cõmites.*

2. concl.

*Secunda conclusio. Historici quædam ac fide digni, quales nonnulli sine dubio & in ecclesiasticis & in secularibus fuerit, probabile argumentum theologo suppeditant, tum ad ea quæ suis sumis corroboranda, tum ad falsas adversariorum opiniones refellendas. Quæ conclusio satis per se etiam videtur exposita. Nec enim est hominis bene instituti, & ad vitam humanam recte compositi, viro gravi rem credibilem asserenti non credere. Rem credibilem dixi, quoniam quædam a Plinio, aliis, que historicis vel gravissimis referuntur, quæ cum vix credibilia sint, si ea fuisse negemus, non ideo historiæ auctoritatem labefacimus. Vterque igitur & qui cito credit, & qui ad credendum nimium est tardus, stultè se precipitant. Multo vero hic magis, si cum pluribus historicis probatis gravibusque dissenserit. Si namque in duorum ore, vel trium stat omne verbum, cur adversus hanc legem plurimi*

tes-



testibus rem eandem olim gestam constantibus fidem theologus abrogabit? Præsertim cum testimonia ex vetustate desumpta hoc potentiora ad probandum sint, quod ea sola, ut Fabius ait, criminibus odii gratiæque vacant. Nimirum Innocentius auctor est gravis (3), in humanis historiis non nihil probabilitatis inesse: cum lege edita præcepit, ut in causis ecclesiæ finiendis illarum auctoritate, quamvis cætera argumenta dessent, ecclesiastici iudices uterentur. Sed perique nostra hac ætate perverse, ne dicam impudenter, res, quas esse gestas gravissimi auctores testati sunt, in dubium vocant. Qui si idoneas causas probabilesque redderent, audiendi fortasse essent. Cum vero reddant nullas, contemneri sunt: ut qui communem hominum sensum exauerint, iudiciorum humanarum potissima instrumenta, hoc est, testimonia reicerint, vitæ magistram, prudentiæ subsidiunt, licet veritatis historiam neglexerint.

*Tertia conclusio. Si omnes præcati ac graves historici in eadem rem gestam concurrant, tunc ex horum autoritate certum argumentum promittitur, ut theologia dogmata firma etiam ratione constituantur.* Exempla sunt eius rei multa, sed pauca subiiciam. Petrum Romæ & collocasse sedem, & pro Christo martyrii gloria coronatum esse, omnes graves historici tradunt: unde nos certa in quinto libro argumentatione confecimus, Romanum episcopum Petro in pontificatu succedere. Item concilium Nicænum tempore Constantini a Sylvestro vero ecclesiæ pontifice esse coactum, historici quique gravissimi prodidere. Ea nos ex hoc colligimus concilii Nicæni definitiones certas esse: quod certum sit, synodum ecclesiæ generalem Romano Pontifici comprobata errare non posse: certum quoque, Nicænam eiusmodi esse, cui nec universitas pastorum ecclesiæ defuerit, nec Romani episcopi comprobatio. Plurima sunt eiusmodi, quæ comuni historicorum consensione traduntur. Hæc non modo negare, sed in his etiam addubitare, stultissimum est. Quid enim stultius esse potest, ut eundem locum diutius urgeam, quod si ea genera belluarum, quæ in ru-

3. concl.

C z

bro

(3) Buchard. lib. 3. cap. 128. 20. dist. cap. de quibus.

bro mari, Indiave gignuntur, nulla esse dicamus, quia nunquam vidimus? Omnia tollamus ergo, si ita placet, quæ aut historia nobis, testes graves & probati adferunt. Ita sit, ut mediterranei mare esse non credant, nec in insula nati, in qua lepusculos vulpeculasque solum viderint, credant leones & pantheras esse: si vero de elephanto quis dicat, etiam rideri se putent. Historiæ igitur fides vel certa fabenda est, cum in idem auctores universi consentiant. Certa quippe apud homines ea sunt, quæ negari sine perversitate & stultitia non possunt. Præclare itaque Iosephus 1. contra Appionem libr. illud veritatis historiæ signum certum esse dixit, si de iisdem rebus eadem omnes conscribant. Verum de his, licet breviter, diximus tamen quod satis est. Nam his paucis expositis, nisi ego fallor, qualis quantaque sit historiæ humanæ auctoritas facile intelligetur. Historia nimirum etsi, ut Quintilianus ait, scripta est non ad probandum, sed ad narrandum: aliquid tamen sine dubio probat, probabiliter fere; nam aliquando etiam necessarie. Nunc argumenta contra historiæ fidem posita diluamus.

## CAPVT V.

*Vbi respondetur argumentis capituli tertii.*

Resp. ad  
1.

**N**ON est facile contrarias obiectiones excutere, sed excutiendæ sunt tamen. Atque in primo argumento quidem non Osiander modo, verum etiam catholici quidam omni vi & ratione contendunt, id, quod de duobus patribus Ioseph naturali & legali refertur, commentum, portentum, monstrum, somnium esse. His enim nominibus sententiam illam Africani notandam putant. Certe auctor lib. (1) quæst. veter. & nov. testam. sive Augustinus is fuerit, seu quispiam alius, sententiam eam asserit nec probabilem esse, nec ad ullam rem proficere: ne sit qui existimet veterem historiam

solis iunioribus displicuisse. Vtuntur autem hi ad Africani traditionem infirmendam argumentis huiusmodi.

Primo quod nullum vel testimonium, vel exemplum nec e sacris, nec ex profanis Hebræorum literis erui possit, quo talis primogenitus filius defuncti nuncupetur: non ergo mortuus ille pater primogeniti vocabitur.

Deinde, ut demus, inquit, quantumvis iniqua conditione eiusmodi primogenitum duos patres sortitum esse, adhuc tamen nihil faciet, ut evangelicæ discrepantiæ scrupulus eximatur. Nam legalem filium nemo poterat ex uxore defuncti procreare, nisi frater fuisset defuncti germanus, simulque cum eo habitasset, quemadmodum Deuter. 25. evicentissime traditur. Illud vero non contingit nisi ex eodem patre natis: nam qui diversos habent patres, ii diversas etiam capiunt hæreditates, atque adeo non habitam simul. Nunc autem Iacob & Heli, nec fuerunt ex eiusdem patribus, avis, aut proavis: nec simul habitare potuerunt, cum alter censeatur in posteris Nathan, alter in posteris Salomonis. Nam, quod etiam argumentantur, Ioseph non fuisse vocatum nomine patris legalis, quæ res erat necessaria iuxta illam Deuter. legem, id exiguum sane ac mendicum argumentum est, cui Augustinus & 5. lib. quæst. in Deut. quæst. 46. & lib. 2. retract. cap. 12. nullo negotio respondet. Mihi vero opinio communis magis placet: quamvis illorum opinio non displiceat, qui asserunt, Heli Iosephi socerum fuisse: eundem, qui & Ioakim parentem virginis Mariæ; ut Lucas. Genealogiam Christi per matrem artexerit: Matthæus vero per eum, qui pater putabatur. Nec proinde tamen Genealogiam mulierum contra scripturæ usum Evangelista texuit. Nam cum ait, *qui fuit Heli*, relativum ad Christum referendum est, ut sit sensus. Et ipse Iesus putabatur quidem esse Iosephi, at re vera non illius fuit, sed Heli. Cum enim sine virili opera ex virgine matre natus sit, nullum habuit in terris, cuius filius vere dicit posset, præter Heli, qui avus scilicet ipsius maternus erat (2). Ne quis ergo miraretur, quod in texenda genealogia Christi ab

ne-

(2) De verb. signif. Nam & rex.

nepote statim trasilierit ad avum, interfecit causam: quia Ioseph, quem partem Christi dicere debebat, non vere erat pater, sed putabatur. Quamquam & relativum ad Ioseph quoque referri potest, ut intelligas eum fuisse Heli non naturalem filium sed ad eum modum quo generi socii filius esse dicitur. Itaque Iosephum evangelistæ ad parentes suos retulerunt, alter ad eos, quos ex se habuit, alter ad eos quos ex coniugio sortitus est. Huius opinionis Augustinus lib. quæstionum evangelicarum 2, quæst. 5. meminit. Hanc tenuit auctor libelli cuiusdam de ortu virginis, qui Hieronymo falso tribuitur. Hanc Ioannes Annius, Ioannes iterum Lucidus, Georgius Wicelius, aliiq; nonnulli iuratores amplexi sunt. Huic etiam nominum significatio consonat. Nam Ioakim, Eliachim, Heli, idem fere significant (3), proque eodem fere usurpantur 4. Reg. 23. 2. Paral. 36. Probabilis opinio hæc sit. Quis negat? Sed ne ipsa quidem certa est. Osiandri enim argumenta, quæ ille firma esse existimat, sunt profecto infirmissima. Obiicit primo nusquam in sacris literis reperiri, quod ille primogenitus filius mortui nuncupetur. Id vero de more impudenter obiicit. Si enim Obed filius Noemi, illique natus esse dicitur, cur non dicatur natus (4) Maaloni, huiusque proinde etiam filius? Item (5) *Accipiet eam, inquit, frater eius, & suscitabit semen fratri sui, & primogenitum ex ea filium nomine illius appellabit.* Propterea, ecquid obsecro est suscitare semen fratri, nisi filium illi gignere? (6) Quid? Nonne illud manifestum est, *ille sciens non nasci sibi filios, semen fudebat in terram, ne liberi fratris nomine nascerentur?* Genes. 38. At hæc ipsa loca retulit Osiander. Retulit quidem, sed ita tamen, ut apertis testimoniis respondere nequiverit, nisi hæreticorum ritu aut vulgatam editionem accusaret, aut etiam scripturæ & verba & sensum eluderet. Nam sanctorum omnium communem intelligentiam pro nihilo habere est, illi familiare & cum cæteris Lutheranis gentile ac proprium. Iam quod secundo lo-

co:

(3) Philo Annius trahit, Syris & Ægyptiis Ioakim, Eliachim & Heli esse synonyma. (4) Ruth 4. (5) Deuter. 25.

(6) Matth. 22. Luca 20

to accipit, fratres, de quibus lex loquitur, simul habitare oportere, id est in eadem hæreditate paterna, atque adeo germanos esse ab eodemque patre genitos: speciem fortasse veritatis habet, veritatem nullam profecto habet. Fratres quippe in illa Deuter. lege non germani modo intelligendi sunt, verum etiam consanginei, qui scripturarum usu fratres appellantur. Id quod non communi solum sanctorum omnium sententia, sed aperto scripturæ testimonio comprobari potest. Booz enim Maalonis non germanus erat, sed propinquus. Nec confundimus nos negotium redemptionis cum negotio leviri, quod Osiander calumniatur. Sed contendimus, summoque omnino iure contendimus, exemplum libri Ruth, ad legendam illam Deuter. pertinere: Alioqui, si eos simul habitare interpretamur, qui in eadem hæreditate paterna habitant, cur non magis, nam hoc simplicius est, eos, qui in eadem domo? Ita quamvis fratres germani sint, nisi eandem domum habeant communem, ea lege minime tenebuntur. Quod ne Osiander ipse quidem, quamlibet perfricta fronte, concessurus esset. Exponamus igitur, quod & Hebræorum mos, & legis ratio. exigit, tum etiam fratres habitare simul, cum in eodem oppido, vel civitate habitarent. Id vero non duobus solum uterinis, quales Iacob & Heli fuisse perhibentur, usu venire potuit, sed propinquis etiam aliis vel remotis. Nihil ergo nos Osiandri argumenta movent, quominus fidem Africano habeamus. Illud forte movere potest, quod in tertia conclusionem capituli superioris asseruimus, communem scriptorum omnium traditionem certo, nedum probabiliter pro vera historia habendam esse. Huic autem Africani traditioni historici omnes ecclesiastici testimonium perhibent. Igitur non modo probabilis, sed certa illa doctrina erit, quæ duos patres Ioseph legalem & naturalem infert. Minime vero. Multum enim refert, res gestas qua historici asseveratione narrent. Si enim is ipse, qui primus auctor historiae fuit, rem non ut visam ac certam, sed ut auditam & incertam scripserit, tunc qui simili temperamento rem ceu probabilem referunt, ii quamvis consentiant omnes, non faciunt tamen historiae firmitudinem. Porro autem Africanus, ut de cæteri hanc historiam acceperunt, nihil præter auditum habuit, nec referen-

## 24 DE HVMANÆ HISTOR. AVCTORIT.

tibus certam habuit fidem. Nam posquam rem, perinde ut a Iudæis quibusdam acceperat, ad Aristidem retullisset, huiusmodi verba, Musculo interprete, adiecit. *Sive itaque ad hunc modum, sive aliter habet res ista, non poterit quisquam, meo iudicio, clariorem illius scilicet, qua obiecta erat Evangelistarum discrepantia, expositionem reperire. Quisquis autem a quo animo pradicus est, idem quod nos curabit, etiamsi certum desit testimonium: ob id videlicet, quod meliorem ac veriorum expositionem proferre non poterit. Evangelium sane per omnia qua vera sunt tradit.* Hactenus Africanus. Quibus verbis satis ille significat, si componendis Evangelistis ratio alia quæcumque probabilior appareret, eam se libenter amplexurum. Quæ omnino res & Augustinum & Thomam (7) videtur compulsisse, ut præter hanc alias quoque rationes tollendæ discrepantiæ investigarent. Sed de primo argumento satis multa diximus.

Resp. ad  
2.

Ad secundum vero dicendum est, huiusmodi quoque res non tam ex fide historiarum, quam ex probabili eorum coniectura pendere, qui sacras literas interpretantur. Non est enim aliquis probatus auctor, qui asserat se præter Mariam aliam Iosephi uxorem aut vidisse, aut certis testibus accepisse. Sed cum in evangelio fratres Domini legerentur, & religio veteret filios Mariæ suspicari: scripturæ expositoribus coniectandum fuit, quonam id pacto fieri potuerit, ut veritas evangelii cum Mariæ perpetua virginitate congrueret. Ita quidam filios Ioseph ex alia uxore intulerunt, Christique proinde fratres non veros, sed qui putarentur, interpretati sunt; nam & Ioseph non verus erat pater, sed putabatur. Neque horum coniectura vana commentitiæque fuit, nullave ratione tantum ad respondendum hæreticis excogitata: sed probabiles habuit causas, quæ scripturarum etiam testimoniis niterentur. Primum, quia Iacobus Hierosolymitanus episcopus non peculiariter esset frater Domini cognominatus, si cognatione solum fratres Domini vocarentur: cum & Iacobus Zebedei filius, a quo ille cognomento distinguitur, ad eum quoque modum frater Domini esset. Deinde, non simpliciter quidam

---

(7) 3. part. quest. 31. art. 3.

in evangelio diceret (8), *Ece mater tua & fratres tui foris stant, quarentes te alloqui, si generali sanguinis coniunctione fraternitatem definiret.* Iacobus namque & Ioannes tunc temporis cum Christo intra domum erant, qui illo modo erant fratres. Accedit quod apud Marcum a quibusdam dictum es (9), *Nonne hic est faber filius Mariae frater Iacobi, & Ioseph, & Iuda & Simonis? Nonne & sorores eius hic nobiscum sunt? Filius,* inquit, *Marix, frater Iacobi & Ioseph, &c.* ut non ex Maria, sed ex Iosepho fratres intelligerentur. Vnde & iuxta Lucam (10) interrogant, *Nonne hic est filius Ioseph?* Atque sorores, filias Iosephi Esther & Thamar intelligendas esse, Hippolytus ac Nicephorus graves in primis auctores asserunt. Fratres ergo similiter intelligendi sunt, Iacobus, Ioseph, Simeon, & Iudas: quos quatuor filios ex priore coniuge, cui nomen erat Salome, Iosephum suscepisse, iidem auctores prodidere. Accedit etiam, quod Iosephum, cum Mariam uxorem accepit, octoginta annorum fuisse senem, Epiphanius non semel astruit. At in tam longa ætate non est profecto verisimile illum sine coniuge extitisse. Hæc auctores illi sine fidei discrimine argumentari atque adeo asserere potuerunt. Sed Hieronymus tamen rem diligentius animadvertens, ut erat in sacris literis apprime versatus, probabiliorem multo rationem invenit, qua citra & Mariæ corruptionem, & Iosephi bigamiam fratres Domini in scripturis intelligerentur. Quod enim Iacobus frater Domini vulgo cognominatus Iosephi filius non fuerit, ex evangelii videtur manifeste colligi. Marcus siquidem quos capite sexto fratres Domini vocatos scripserat, eos capite quintodecimo filios cuiusdam Mariæ scripsit esse, quæ nimirum uxor Iosephi esse non potest, nisi duas illum simul uxores habuisse contendas, Mariam virginem, & alteram Mariam, quod nulla ratio prodat, nulla prodit historia. Quin hominem pauperem, qui vix unam alere & sustinere posset, duarum coniugum onera subiisse, & imprudentiæ, & incontinentiæ argumentum est. Ea vitia viro iusto tribuere quam sit stultum, ne dicam impium, non est opus longa oratione

Tom. II.

D

SUA-

(8) *Matth. 12.* (9) *Marc. 6.* (10) *Luc. 4.*

suadere. Adde quod hæc eadem a Ioanne Maria Cleophæ cognominata est. Erat autem Cleophas frater Iosephi, ut Eusebius hb. 3. ecclesiast. hist. cap. 11. ex Egesippo retulit, ob quam causam, nisi me coniectura fallit, soror Mariæ virginis appellatur. Nam & leviri fratres vulgo dici solent, & fratrum uxores sorores. Non igitur, ut sentio equidem, Maria illa tanquam mater, sed tanquam uxor Cleophæ nomen accepit. Iosephi itaque coniux non erat, atque adeo nec huius filii filii erant Iosephi, sed Cleophæ. Verum quemadmodum Iosephus pater Christi existimabatur, sic filii Cleophæ, Iacobus, Ioseph, Iudas, Simeon existimabantur Christi consobrini, Christique patruus Cleophas. Qua ratione Maria ista Christi matertera nuncupari potest, non quod vere Mariæ virginis germana fuerit, sed quod soror & habita & dicta sit (11). Atqui consobrinos fratres etiam dici omnis scriptura demonstrat. Nec prioris opinionis necesse est argumenta refellere. Nonnulla enim assumit, quæ certis de causis a plerisque aliter existimantur. Vt filios Zebedæi Christi esse consanguineos, & proinde scripturæ usu fratres. Item Iosephum 80. annos natum esse, cum Mariam uxorem accepit. Quæ res dici possunt, probari non possunt. Nam & Act. cap. 1. Lucas cum Iacobum Alphæi, Simonem, & Iudam retulisset, subdit. *Hi omnes erant perseverantes in oratione cum Maria matre Iesu, & fratribus eius.* Constat autem Iacobum Alphæi, Simonem, ac Iudam fratres Domini appellatos. Sed de his disputatum est ab aliis diligentius. Nos in presenti non id agimus. Tantum dicimus, ex diversis opinionibus, quas in scripturarum interpretatione orthodoxi sequuntur, minime historiæ fidem periclitari. Hæc quippe sola oratio erat secundo argumento confutando necessaria.

respond.

ad 3.

Ad tertium sic diluitur. Non fuit Herodias filia Arethæ regis, sed Aristobuli, sicut Iosephus multis in locis testatus est (12). Id quod nomen quoque ipsum indicat. Est enim  
qua-

---

(11) *Isidorus in lib. de ortu & vit. & obit. san. pat. dicit, Iacobum Alphæi filium fuisse sororis matris Domini, ualde & fratrem Domini vocatum.* (12) *L. g. 18. anti. lib. cap. 9.*



quasi patronimicum ab Herode, nihilque proinde aliud significat quam filiam, vel neptem, vel aliquam e posteris Herodis. Quamobrem cum Aretha rege Arabum nihil videtur habere commune: cum Herode magno, cuius fuit neptis, commune habet genus. Quod autem Hieronymus tradit ex vetere historia, pace tanti viri dixerim, in ea re sine dubio fallitur. Apparet cum sane, vel in historiam quampiam auctoris incerti incidisse, ob id enim quidam veterem historiam appellatam volunt, vel certe in Eusebii Latinam incidit, quam Rufinus fecit sua traditione vitiosam. Quæ autem res planior fiat, verba loci illius (13) subscribemus. *Concordi vero testimonio etiam Iosephus de hoc scribit nominatim, etiam de Herodiade commemorans, velut de coniugio fratris Philippi viventis violenter abstracta, & suis ab Herode incestis nuptiis sociata, propria, & legitima uxore depulsa, quam Herodiadem filiam fuisse dicit Aretha regis Arabia.* Hactenus Eusebius, Rufino interprete. E quibus verbis si tollas nomen Herodiadem posteriore loco positum, quod nec Eusebius habet, nec Iosephus, vera erit lectio, atque adeo germana Eusebii Græci in Latinum conversio. Nam relativum, *quam*, non ad Herodiadem, quod Rufinus falso intellexit, sed ad propriam & legitimam uxorem depulsam referendum est: quod recte Musculus in nova nunc interpretatione fecit. Verum de tertio argumento hæc nobis dicta sint.

Ad quartum ita respondeo. Quicquid sit de Magis, an fuerint reges, necne, quod in controversia est positum, certum illud est non ex ea re historię fidem labefactari, quod plurimi auctores Magos reges fuisse tradiderint. Nempe res hæc eius generis est, *quam* nemo historicorum sese affirmet aut vidisse, aut ex viris fide dignis, qui viderint, audivisse. Nunciantur itaque auctores illi non historię auctoritate, quam nullam probatam habuere, sed probabilibus coniecturis, quas porro habuere nonnullas. Qualis est, quod in Magis videtur impletum illud, *Reges Tarsis & insula munera offerent, reges Arabum & Sabba dona adducent.* Item illud, *Ambulabunt reges in splen-*

D 2

splen-

*splendore ortus tui, &c.* Quæ in epiphania Domini non hodiernum vulgus, sed antiquus semper ecclesiæ chorus intonuit. Accedit, quod, ut Tertullianus ait, Magos reges fere habuit Oriens. Accedit quod in reges illud maxime quadrat, *Apertis thesauris suis, &c.* Extat etiam Claudiani epigramma, ubi Magos appellat Chaldaeos reges. Quod si Claudiani non est, certe elegantissimi poetæ est. Hanc opinionem, ut quæ plausibilis sit ac popularis, Christi fideles iam olim libenter induerunt. Neque operæ pretium iudico, si quis in concione publica eam dissuadere conetur. Nam dissuadere nihil attinet: ac frustra niti, & nihil aliud quam laborando odium quærere, extremæ dementiæ est. Quod si paucis forte quibusdam fidem argumentatione tua feceris, multas tamen in populo querelas, dissidia, ac lites induces. Sine ergo **plebem probabilissimam** opinionem, præsertim quæ penitus insedit atque inveteravit, cum suis maioribus retinere. Quod si coniecturis aliis permotus contrariam sententiam habes, liceat per me, equidem non repugno. Illud ago sive hæc, sive illa opinio vera sit, non inde historiæ auctoritatem, aut elevari, aut imminui: cum neutra earum opinionum historiæ auctoritati, sed probabili coniecturæ innitatur. Quod enim regum nomen evangelista suppresserit, id omnino nihil est. Non enim existimavit evangelii testimonium regio apparatu cumulandum, quod Magorum sapientiam & gravitatem amplissime ornaverat. In veritate sane occulta confirmanda regia appellatio obscura, & otiosa erat, Magorum vox præclara & opportuna. Nam quod Herodes Magos parum honorifice exceperit, hoc aut Herodiani fastus indicium est, aut Romanæ gloriæ, & maiestatis. Indignum vero est Magni regis tumorem in minorum invidiam, odiumque convertere. De quo igitur argumento hætenus.

*Resp.* Nunc ad quintum respondeamus. Non Hieronymus modo, Augustinus, Thomas ac cæteri fere omnes auctores, verum etiam antiqua ecclesiæ traditio tenet, quod Magi Christi tertio decimo die, ex quo natus fuerat, adorarunt. Cuius quidem rei cum causam quærerem quidnam esset, cur tanta id consensione ab ecclesia receptum sit, quamquam veteri traditioni in huiusmodi rebus multum debetur fidei, ut ra-

tio alia non subsit, has causas tamen inveniebam duas, easque ambas ex ipso evangelio collectas. Vnam, quod Matthæus dicit. *Cum natus esse Iesus, ecce Magi ab oriente venerunt.* Sane si quando Magi venerunt, Christus esset anniculus aut bimus, ut Epiphanius, Zacharias, Faber, Osiander, existimant, non dixisset evangelista, *Cum natus esset, ecce Magi.* Quod non de re tam sera, sed de subita & improvisa, vel certe proxima, & quasi præsentis dici solet. Necdum, inquit (14), *intra se verba compleverat, & ecce Rebecca egrediebatur.* Et Poeta. *Audiat hac aliquis, vel qui venit, ecce Palemon.* Hinc enim cum Mariæ dixisset Angelus, *Ecce concipies, &c.* intelligens ipsa statim se concepturam, ait: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Recens ergo natus erat infans, quando Magi advenērunt. Altera causa est hæc. Magi invenerunt puerum in Bethleem, ergo ante diem purificationis accesserunt, quia ultra id temporis Christus non fuit in Bethleem. Lucas enim (15) descriptis iis, quæ ad purificationem attinebant, subdit. *Vt perseverant omnia secundum legem Domini, reversi sunt in Galilaam in civitatem suam Nazareth.* Non ait, *in Bethleem, sed in Nazareth.* Cur autem Bethleem reverterentur, ubi adeo nihil habebant suppellectilis, ut virgini ad reclinandum infantem non alius, quam præsepe locus fuerit in diversorio? Nec evangelista docet, eos venisse ut morarentur, sed ut profiterentur in civitates suas. Manserunt itaque ibidem quantum necesse fuit ad implendam legem quæ iubet, ut post circumcisum infantulum maneat mulier triginta tribus diebus in sanguine purificationis suæ. *In* quos dies Bethleem venisse Magos recte credimus, & puerum indicio stellæ inventum adorasse. *In ea vero* ratione, quæ primum opponitur, quidam liberalitatem ac beneficentiam virginis animadvertunt, quæ brevi aurum acceptum in pauperes erogavit. Alii prudentiam, quod viaticum paraverit in Ægyptum. Sive enim Ioseph ante purificationem de fuga ab angelo fuerit admonitus, iuxta illud (16), *Cum Magi recessissent, ecce angelus apparuit in somnis, &c.* sive Magi oraculum de

re-

---

(14) Genes. 24. (15) Luc. 2. (16) Matth. 2.

reditu per aliam viam virgini communicaverint : credibile profecto est, fœminam prudentissimam iam inde illud quod ad fugam, & peregrinationem opus erat, providere. Sunt qui modestiam advertant. Atque hæc ratio mihi videtur sanctissime, & providentissime constituta. Non decebat enim, ut quæ pauper erat, ea divitum oblationem subite inferret. Ab omni fastu, & ostentatione erat virgo aliena, nec mutare conditionem illi erat animus, quam sciebat Dei filio placuisse. Quid? Quod aurum Deo a Magis oblatum in sacros fortasse usus censuit consecrandum? Prima itaque adversariorum ratio his omnino modis facile diluitur. Secunda pressius videtur urgere. Si enim diligenter a Magis Herodes tempus stellæ didicit, occidit autem omnes pueros a bimatu, & infra, secundum tempus quod exquisierat a Magis: biennium ergo ante stella Magis apparuit. Non igitur mox a Christo nato advenerunt. Nam statim recedentibus Magis, Herodes occidit pueros. Illa enim particula *tunc*, non minus rem præsentem proximamve significat, quam vocula *ecce*, cuius vim paulo ante expendebamus. Ait vero evangelista. *Tunc Herodes videns quoniam illusus esset a Magis, missens occidit.* Sed hic nodus bifariam solvi potest. Primum enim, quod Euthimius admonuit, illa oratio, *secundum tempus*, &c. non refertur ad id, quod præcessit, a bimatu, sed solum ad particulam, *infra*, cui proxime coniuncta est. Itaque continenter legendum est, *occidit omnes pueros qui erant in Bethleem, & in omnibus finibus eius a bimatu.* Et ibi facta hypodiasiole subiungatur, *Et infra secundum tempus, quod exquisierat a Magis.* Non itaque intelligendus est peremisse bimulos secundum tempus exquisitum: sed tantum alios minimos, quibus videlicet solis tempus stellæ accomodavit. Sed ais. Cur bimos interfecit, si non secundum tempus stellæ? Respondeo. Cur in omnibus finibus Bethleem, si in Bethleem iuxta prophetam natus est Christus? Quemadmodum ergo ex propria malitia ampliavit locum, sic ampliavit & tempus. Deinde probabile est, id quod mihi semper verosimilius fuit, Herodem Romam evocatum (17), ut accusationi filiorum responderet, stragem illam

---

(17) *Iosephus lib. 16. antiq. cap. 7.*

illam puerorum edere distulisse, quam edidit postea cum Hierosolyma regressus est. Quod si necesse esset biennium Magis id iter faciendum concedere, quod tamen absurdum est, non protinus necessario fit consequens, ut biennio post Christum natum advenerint. Multo enim facilius expeditiusque dicetur, quod Chrysostomo, Augustinoque video placuisse, apparuisse stellam Magis tanto ante Christi natiuitatem, quantum fuit opus, ut tot regionibus ac provinciis peragratis puerum haud multo ante natum adorarent. Cum vero demum quæritur, qui fieri potuerit, ut ab Oriente Magi tam paucis diebus pervenerint, huic quæstioni responsum facile & promptum est. Non enim opus fuerit, quod Remigius facit, eam rem nati pueri facultati viribusque tribuere, qui Magos ad se tam brevi dierum spatio perduxerit. Sed Oriens in sacris frequenter accipitur pro terris quæ Orientales ad illam sint, in qua sunt qui loquuntur. Ut ibi, (18), *Elegit sibi Loth regionem circa Iordanem, & recessit ab oriente.* Item (19), *De Aram adduxit me Balach, rex Moabitarum, de montibus Orientis.* Sive ergo Magi posteriori fuerint Balaam, ac proinde ex Mesopotamia Syriæ venerint, ut Chrysostomo, Hieronymo, & Ambrosio visum est; sive ex Arabia accesserint, quæ sententia Iustini martyris perpetua fuit, seu sapientes alii, vel Persæ, vel Chaldæi, quod Magorum nomen præ se fert: dubitari non potest, quin totum illud, quicquid erat itineris, decem diebus conficere potuerint. Distat siquidem Hierusalem ab Aram centum septuaginta duabus parasangis Persicis & Hispanicis, ab Vr vero Chaldæorum ducentis duodecim. Atque cum Laban Iacob fugientem (20) a Mesopotamia in Iudæam insequeretur, septimo die consecutus est illum in monte Galaad, qui est principium Libani. Et ferebat tamen Iacob greges & uxores, ac parvulos. At Laban non ante tertium diem fugam deprehenderat. Quid? Quod in regione illa abundant dromedarii, quos uno die stadiorum mille iter conficere scribit in vita Apollonii Philostratus (21)? Aristoteles

quo-

(18) *Genes.* 13. (19) *Num.* 23. (20) *Genes.* 31.

(21) *Lib.* 2.

quoque libr. 9. histor. animal. cap. ultim. testatur celerius eos currere, quam Nisæos equos (22). Nec te illud turbet quod Hieronymus in Hieremiæ 25. cap. imo Hieremias ipse Chaldæam ait, in aquilonis parte iuxta situm Hierusalem collocatam esse. Quia enim inter aquilonem & orientem sita est, modo aquilonaris, modo orientalis nuncupatur. Hæc fastidioso lectori scio molesta fore: sed erat ostendendum, quam temere quidam a sincera historiæ fide, & communi sanctorum opinione dissenserint. Verum de quinto argumento satis. Nunc sequentia refellamus.

Resp. ad 6. Sane quidem, cum in sexto argumento Epiphaniï sententia contra historiæ fidem ponitur, nihil prorsus movere nos debet. Primum quoniam in rerum gestarum, temporumque ratione nullos ille graves auctores sequi solet, atque adeo in earum rerum memoria interdum fallitur. Deinde quoniam hoc saltem loco nulla argumentatione probabili, nullis prolatis veteribus monumentis, antiquo ecclesiæ usui contradicit. Quod si verum est, ut verum est profecto Christum passum esse anno ætatis suæ trigesimotertio inchoato per tres menses, ac decem fortasse dies, nam de hac re nullam modo quæstionem habere volumus, docuisse autem cum tribus annis, & Ignatius in epistola prima ad Trallianos, & Eusebius in Chronicis prodiderunt, certe Epiphaniï opinio videtur vera esse non posse. A trigesimo namque anno expleto usque ad passionem non nisi duo anni supersunt. Quamvis nodum hunc solveret Epiphanius, si tempus doctrinæ Christi non à nuptiis, sed a Baptismo inchoaret. Quod nos quoque dicere oportet, qui Maximi sententiam, veteremque ecclesiæ usum propugnamus. Nuptias quippe anno post baptismum integro elapso factas esse credimus. Qua in re nobiscum dissentiunt quidam, nec sine causa dissentiunt tamen. Primum enim toto illo anno nihil, inquit, scriptum haberemus de doctrina Christi. Quin eo anno nihil omnino docuisset. Quod est et edibile nullo modo. In baptismo siquidem filius, ac sapientia Dei, dux populi atque magister, patris testimonio declaratus est. Nec post evan-

ge-

gelli munus evidentissima triadis commendatione, testificationeque susceptum otiosus Christus tot diebus vitam in silentio degeret. Sed illud, ut par erat, protinus exequeretur. Id quod non coniectura nostra solum, sed Ioannis etiam evangelio comprobatur. Ioannes porro ita discrete rerum gestarum post baptismum tempora notat, ut ad nuptias, non dicam annum, sed ne pauci quidem menses interfluxisse videantur. *Altera, inquit, die vidit Ioannes Iesum venientem ad se:* Et rursus paulo inferius, *Altera die iterum stabat Ioannes, & ex discipulis eius duo, &c.* Et postea, *In crastinum voluit exire in Galilaam, & invenit Philippum, &c.* Denique statim in secundi capituli initio, *Et die tertia nuptia facta sunt in Cana Galilee.* En cum Ioannes Iudæorum legatis respondisset, postero die vidit Iesum venientem ad se. Quo tempore Iesus nec notus erat, nec discipulos acceperat, ut ex hoc primo Ioannis capite manifestissime liquet. Sed postero die, hoc est, tribus a legatione diebus, duo discipuli Ioannis secuti sunt Iesum: ac proximo huic die exiens in Galilaam Iesus ipse Philippum invenit. Cum vero subiungit evangelista, *Et tertia die, nuptie facta sunt in Cana Galilee,* satis aperte indicat, quam breve tempus inter baptismum, vocationem discipulorum, ac nuptias fluxerit. Non itaque annus integer intercessit. Præterea post secundum adventum in Galilaam cœpit Iesus prædicare, ut Matthæi cap. 4. dicitur. Non ergo ante nuptias prædicaverat. Nam illæ factæ sunt, cum post Baptismum primo advenit in Galilaam. Quod si annus integer a batismo ad nuptias interfluxisset, iam tres anni prædicationis Christi nullo modo invenirentur. Adde, quod ex ea sententia consequens fieret, ut Christus anno ætatis suæ 34. inchoato fuerit passus. Illud non obscure colligitur, quoniam si vera esset, *quinquies pascha a baptismo ad mortem intervenisset.* Primum id esset, de quo nihil habemus in evangelio scriptum, inter baptismum & nuptias. Secundum, quod Ioannes statim post nuptias commemorat, cap. 2. ubi Christus ementes ac vendentes de templo primum eiecit. Tertium, de quo fit mentio Ioannis 5. cum sanavit paralyticum. Quartum, cuius idem evangelista meminit, cap. 6. inquit. *Eræ autem proximum pascha, &c.* Quintum, in quo passus est Chri-

stus, de quo Ioann. 12. & 13. Nam quod tertium illud, de quo dubium esse potest, festum paschæ fuerit, non modo Rupertus, sed Irenæus (23) etiam testatur. At revera nomen festi simpliciter pro pascha solet in evangelii accipi. Ut ibi, *Non in die festo*, Matth. 26. Item, *Secundum consuetudinem dici festi*, Luc. 2. Item, *Eme ea, quæ opus sunt nobis ad diem festum*, Ioann. 13. Cum itaque Christus baptizatus fuerit anno tricesimo ætatis suæ inchoato per tredecim dies: erat enim incipiens quasi annorum triginta, ut Lucas affirmat (24), si quinques festum Paschæ intercessit nimirum mortuus est anno ætatis suæ trigesimo-quarto. Quod licet Beda (25), aliique nonnulli iuniores asseruerint, defendi tamen nulla ratione potest, ut Paulus episcopus Forosempronienensis, libr. 9. 2. part. & lib. 4. eiusdem partis, Ioannes item Lucidus in lib. de vero die passionis Christi ostenderunt. At vero nullæ huiusmodi rationes ab antiqua patrum traditione, quam communis ecclesiæ consuetudo in divino officio, hymnis, antiphonisque confirmat, poterunt me movere. Non quod hæc ad fidem, religionemve magnopere attineant, sed quod in rebus, vel utraque ex parte probabilibus, vel etiam ambiguis, veteris ecclesiasticæ historiæ fides communis me delectat. Sed prima videamus.

Ad 1.  
alter. opi-  
nionis ar-  
gum.

Anno, qui inter baptismum, & nuptias fluxit, nihil omnino docuit Christus: cesator ergo fuit maximus, qui post inunctum munus tamdiu fuit otiosus. Sane quidem eo anno non est publice concionatus Christus, neque turbis evangelium prædicavit. Sed non fuit interim otiosus. Quin & frequenter ad Ioannem accessit, ut frequens etiam de ipso Ioannes testimonium diceret, & privatim quoque docuit quosdam, ne ecclesiæ concionator repente prodiret. Non enim discipuli Ioannis illum Rabbi (26), hoc est, magistrum appel-

(23) *Lib. 5. comm. in Ioann. lib. 2. cap. 39.* (24) *Luc. 3.*

(25) *Libro de tempore, cap. 47. Annus 34. non fuit annus passionis Christi, quia pascha illo anno fuit in die Martis.*

(26) *Ioann. 1.*



pellarent, nisi iam docere incœpisset, quemadmodum Caietanus noster diligenter advertit.

Nam quod aiunt, ex Ioannis evangelio colligi paucos Ad 2. ar-  
sum. dies inter baptismum, & nuptias intercessisse, id nullo modo verum est. Cum Ioannes adventum Iesu ad baptismum nusquam omnino narraverit, ut idem Caietanus manifesta argumentatione confecit. Quamquam in eo fallitur, quod pro certo asserit, ex quatuor Baptistæ testimoniis, quæ primo cap. evangelista refert, tertium datum esse die proximo post secundum. Secundum quippe, ut mihi videtur quidem, de futuro est; & licet scripturæ ordine sequatur, tempore tamen primum etiam testimonium antecessit, ut vel Caietanus ipse confitetur. Illud enim, quod a Ioanne legatis Iudæorum impartitum est, idem omino ipsum fuit, quod se ante dixisse Baptista meminerat. Estque multo verosimilius eo tempore nondum Christum a Ioanne baptismum suscepisse, *Medius*, inquit, *vestrum stetit, quem vos nescitis. Ipse est, qui post me venturus est.* Cum ergo evangelista inquit, *Alterâ die vidit Ioannes Iesum venientem ad se*, nec intelligit de adventu ad baptismum, nec scribit quid postero die a legatione Iudæorum gestum sit. Sed docet, tertium testimonium altero die post illud, quod primo loco scripserat datum esse. Nam secundum obiter es utriusque, id est, primo & tertio ab evangelista interpositum, ut explicaretur, Baptistam semper fuisse sui in testificatione similem, nec aliud futurum ante dixisse, quam in præsentî testificaretur. Itaque temporis ordine, ut diximus, illud fuit primum, quod secundo loco evangelista commemorat. Deinde secutum est id, quod a principio positum est. Post hoc proximo die tertium Baptista testimonium dedit, cum vidit Iesum venire ad se. Sæpe enim post Baptismum, ut supra dictum est, ad Ioannem veniebat. Postero autem die quartum testimonium addidit, cum interessent illi ex discipulis eius duo, quorum unus erat Andræas. Cum igitur non constet quantum temporis inter baptismum & tria illa testimonia de præsentî fluxerit, quamvis omnia illa post baptismum data sint, certe ex evangelio Ioannis non colligitur, paucos dies inter baptismum ac nuptias interfluxisse. Quid? quod cum ait, *In crastinum voluit exire in Galilæam,*

& invenit Philippum, non Christum fortasse evangelista intellexit, sed Andræam, quem primum dixerat invenisse Simonem, nunc dicit, postero die invenisse Philippum, cum ex habitaculo Christi in Galilæam exiisset. Ob id enim interpres latinus ait. *Et dicit ei Iesus*, cum nomen Iesus non reperitur in Græco. Quot autem dies intercesserint inter postremum illud testimonium Ioannis coram duobus discipulis tributum, & hunc diem quo Andræas invenit Simonem, incertum est.

Ad 3. ar-  
gum.

Nam illud quidem apud Matthæum de publica ad plebem prædicatione intelligitur: cum perspicuum sit, in primo adventu Christi ad Galilæam, quem solus Ioannes cap. 2. narrat, iam Christum discipulos habuisse. Matthæus autem de secundo adventu loquitur, quum iam Ioannes erat in carcere. Non igitur de privata doctrina, sed de publica, & popullari intelligi potest.

Ad 4. ar-  
gum.

At vero tempus prædicationis Christi quantum fuerit, non satis a veteribus expeditum est. Eusebius quoque, ipse parum sibi in hac re constare videtur. Nam in Chronicis post quintumdecimum annum Tiberii tribus annis scribit Dominum prædicasse: idque astruit a Ioanne etiam in evangelio conscriptum. Cæterum idem in lib. de demon. evang. 8. demonstratione secunda (27), Ioannis item testimonio confirmat, tribus annis, & sex mensibus Christum prædicavisse. Quod si ad passionem venit anno Tiberii decimo octavo, ut in Chronicis Eusebius ait; qui fieri potest, ut post annum Tiberii quintumdecimum, annis tribus, & sex mensibus prædicarit? Atqui post annum 15. Tiberii inchoatam esse evangelii doctrinam e Lucæ 3. cap. patet. Nos autem, si trium annorum doctrinam explere volumus, unum doctrinæ privatæ, duos vero publicæ doctrinæ impartiemur. Huic enim totum triennium dare nulla ratio cogit, nulla probat auctoritas.

Ad 5. ar-  
gum.

Negamus siquidem, probabiliterque negamus, festum, cuius Ioannes cap. 5. meminit, pascha fuisse. Chrysostomus (28) porro ac Cyrillus (29) affirmant festum fuisse Pente-

co-

---

(27) Hieron. in 9. cap. Daniëlis. (28) Chrys. hom. 35. in Ioann. (29) Cyril. lib. 2. 123. cap. idem ait Lyran.

costes. Quod mihi, fateor ingenue, non fit verosimile. Primo, quoniam post Pascha Iesus moratus est in Iudæa cum discipulis suis, ut cap. 3. Ioannes scribit: ad mora iuxta scripturæ usum in paucis his diebus, qui ad Pentecosten interfluxerunt, intelligi non potest. Eo vel maxime, quod postquam Christus moratus in Iudæa est, abiit iterum illa relicta in Galilæam, quemadmodum Ioannis cap. 4. dicitur. Ac rursum e Galilæa venit Hierusalem, quod habes cap. 5. Quæ omnia tam brevi tempore, nisi Christum cursorem faciamus, expediri vix queunt. Caietanus sane in quartum Ioannis caput, haud absurda ratione computat (30), Christum in Iudæa post pascha celebratum, in quo vendentes eiecit de templo, longam multorum mensium moram interposuisse. Non igitur festum illud, quod cap. quinto commemoratur, Pentecostes solemne erat. Deinde, quod cap. quinto unum miraculum evangelista narrarit in pascha paratum, & quod sexto statim capite ad alterum pascha transierit omnibus & gestis, & dictis unius anni intermissis, non ita probabile apparet. Festum ergo illud, in quo paralyticus senatus est, ut recte Caietanus existimavit, hyemale fuit. Nihil autem interest, sive dicas (31) fuisse festum dedicationis templi secundi sub Zorobabele, quod celebrabatur tertia die mensis Adar, hoc est, Februarii: sive potius festum sortium, quod Iudæis solemne erat (32) 14. & 15. die eiusdem postremi mensis. Tunc enim ordine egregio cap. 6. sequitur. *Erat autem proximum pascha*, &c. Sed in huius argumenti confutationem nimis multa diximus.

Septimo vero argumento libri secundi cap. decimo octavo respondisse videmur. Sed ibi breviter: nunc ubi proprius est locus, longiore oratione argumentum illud refellendum est. Non sunt verba Hieron. in eum sensum intelligenda, ut existinemus ad veritatem historiæ satis esse, si ea quæ auctor affirmat, vera a vulgo esse credantur, tum etiam cum falsa sunt. Alioqui si ad eam regulam liceret scripturæ historias interpretari, diceremus cum apostolus ait Saulem regnasse 40.

an-

(30) <sup>i</sup> *In illud*. Adhuc quatuor menses sunt, & messis venit.

(31) 2. Esdr. 6. (32) Ester. cap. 9.

annis, eum vulgo loquentem hoc, quod fama crebrior haberet, dicere voluisse. Quod Beda in 13. cap. Actorum Apostolicorum asseruit: recte ne, an secus, aliorum esto iudicium. De tanto quippe viro non libet in præsentī iudicare. Diceremus rursus, Matthæum virum Mariæ Iosephum appellasse, non quod revera esset, sed quod vulgo esse crederetur: turbatum quoque Herodem, & omnem cum illo Hierosolimam non re quidem, sed opinione vulgi: mortuum denique, si ita placet, esse Christum non vere, sed ad vulgi existimationem apparenter. Certe si consuetudinis scripturarum est, ut opinionem multorum sic narret historicus, quomodo eo tempore ab hominibus credebatur: omnia, quæ de Nabuchdonosore, Dario, Cyro, Alexandro, Samsone, Machabæis scriptura refert, poterit, quis inficias ire, quod videlicet auctores sacri ea narrarint, quæ vulgo erant persuasa, non quæ ipsi vera esse crediderint. Quod quam sit auditu horribile ac pertimescendum, nemo fidelium non videt. Alius est igitur Hieronymi sensus multo & sanior & verior, quem ex subiecta partitione facile lector accipiet. Falsæ vulgi opiniones in duplici sunt differentia. Quædam quæ non nisi verbis falsis significari atque exprimi possunt: ut Christum esse Ioannem Baptistam, vel Hieremiam, vel unum ex prioribus prophetis. Atque huiusmodi opiniones semper auctores sacri ita referunt, ut non ex se, sed ex vulgi nomine retulisse videantur. Aliæ sunt vulgi opiniones falsæ quidem, sed verbis iis expressæ ac significatæ, quæ in sensu aliquo vulgari vera sint (33), ut Ioseph esse patrem Christi ad vulgi sensum falsum omnino erat, sed vere tamen pater, & sine falsitate dicebatur; tum quoniam nutritius erat, tum quoniam vir matris erat. Et licet vulgi sermone, vere tamen privignus filius vocatur, mater noverca, vitricus pater. In quibus rebus, fateor, vera historię lex est vulgi opinionem exprimere. Nam si de priore rerum genere sermo sit, in historia profana absurdus est, in sacra etiam impius. Sapientes quippe cum vulgo loquuntur fere, sed non sentiunt cum vulgo. Nec menda-

---

(33) Vide Bedam lib. 1. in Lucam cap. 7.

dacii tamen rei sunt, quoniam quæ loquuntur, ea secundum aliquem verbi significatum vera esse intelligunt. Sic Maria virgo dixit, *Pater tuus & ego dolentes querebamus te*, sermone vulgi quidem, sed vere tamen. Sic etiamsi nullam habuisset interiorem admirationem Christus, vere tamen admiratus dici posset, cum speciem admirantis exhibuit, quemadmodum Beda libro secundo in Lucam, cap. 24. exposuit. Sic contristatum Herodem Matthæus, Marcusque dixerunt, qui tristitiam haberet in vultu. In quem sensum hypocritas tristitiam simulantes tristes quoque appellavit Dominus (34). Vulgata enim dictione rerum vocabula pro rerum imaginibus usurpantur. Tametsi in præscriptis exemplis & Christus, si Divo Thomæ credimus, aliquo modo interius admiratus est, & Herodes etiam contristatus. Etenim peccatores simul in vitiis tristantur & exultant, gaudent dolentque. At de hoc argumento satis. Iam pergamus ad reliqua.

Non debuit sane tantopere ridere Hieronymus Adami in loco Calvariæ sepulturam: nec nos, viri licet sanctissimi exemplo, historias eiusmodi ridere debemus. Vulgus, video equidem, hisce rebus credendis nimium est facile. Credulitas etiam in optimi cuiusque mentem facillime irrepit. At viri quidam excellentes, cum a vulgi facilitate, & credulitate declinant, in adversum quandoque vitium incurrunt: suntque tum etiam increduli, cum in fide nihil est vitii, in incredulitati vitii nonnihil est. Testimonium autem, quod ex Iosue cap. 14. historiæ veteri opponitur, nihil profecto urget: utpote cum nomen Adam eo loco non proprium sit, sed commune. Reddit enim scriptura causam, cur quæ post Hebron, ea ante Cariath Arbah, id est, civitas Arbeæ dicta sit (35): quod videlicet Arbah, quem Arbeam 70. vocare, homo inter gigantes magnus ibi fuerit. Qui sensus præterquamquod scripturæ contextu aptissime iungitur, (quapropter a Caldeo interprete, Pagnino, aliisque viris clarissimis expressus est)

Ad 8. ar-  
gum.

---

(34) Matth. 6. (35) Sic omnes Hebraei testantur. Sed Hieronymus videns in Hebræo utroque modo vocem accipi posse, reliquit in Latina lingua illam eandem Hebræam vocem.

est) inde etiam facile probari potest, quod capite eiusdem libri 15. Arbah pater Enach fuisse dicitur: ut promptum sit cuique intelligere, & Arbah nomen fuisse gigantis proprium, a quo Cariath, Arbah nominata sit, & Arbah patrem primumque fuisse illius terræ gigantum. Omitto hic versionem 70. qui tametsi magnitudinem non ad Arbah, sed ad civitatem retulerunt, ut ea urbs Metropolis intelligeretur, satis tamen indicarunt Arbah nomen esse gigantis proprium (36), unde civitas illa suum olim cognomentum acceperit. Itaque primi parentis in civitate Arbezæ fuisse sepulchrum, nec ex eo loco, neque aliunde colligitur. Quin illud multo probabilius est, quod publica rerum veterum memoria prodidit, primum Adam ibi iacere conditum, ubi secundus etiam sepultus est. De 8. igitur argumento hactenus.

Ad 9. ar-  
gum.

Nonum argumentum non solum in Chronographia, sed in scripturarum intelligentia difficillimam quæstionem habet, quæ auctores nobilissimos in varias sententias traxit. Iosephus (37) sane 70. illos annos Iudaicæ captivitatis ad primum Cyri annum computavit. Quem secuti sunt Africanus in quinto temporum volumine, Abalensis noster in secundum Matthæi caput, quæstione 91. Annii cum Philone suo lib. 14. Ioannes Lucidus libr. secundo, cap. 11. aliique viri graves, & antiqui & iuniores. Nituntur vero hi scripturæ sacræ clarissimis testimoniis. Primum est Hieremiæ cap. vigesimo quinto inquentis, *Servient gentes ista regi Babylonis 70. annis. Cumque impleti fuerint 70. anni visitabo super regem Babylonis, &c.* Septuaginta ergo anni Iudaicæ captivitatis iam tunc expleti erant, cum Babylon capta a Persis ac vastata est. At rem hanc primo anno Cyri gestam esse, nemo est qui ignoret. Item Hieremiæ 29. *Cum cæperint impleri in Babylone 70. anni, visitabo vos, & suscitabo super vos verbum meum bonum ut reducam vos ad locum istum.* Quam vaticinationem primo Cyri anno fuisse expletam 2. lib. Paral. cap. 36. & 1. lib. Esdr. cap. 1. non obscure traditur. Atque Hieronymus ipse, quamvis aliis in locis ali-

(36) *Certe habuerunt aliud exemplar Hebraicum.*

(37) *Lib. 11. de antiq. Iudæ. cap. 1.*

aliter senserit, in hunc tamen Hieremiæ locum non potuit cum manifesta veritate pugnare. Nisi, inquit, *septuaginta annis expleti fuerint, Cyro rege Persarum Laxane captivos, nequaquam in patriam revertentini.*

A contraria parte illud primum est, quod angelus, qui in Zacharia, loquebatur, *Vsquequo, ait, non misereberis Hierusalem, & urbem Iuda, quibus iratus es? Iste iam septuagesimus annus est.* Istam autem annum Darii secundum eundem esse Zacharias cap. 1. testatus est: non ergo 70. anni in primo anno Cyri, sed in secundo Darii completi sunt (38). Quo argumento Clemens, Theodoretus, Eusebius, Hieronymus, Augustinusque nituntur. Quod vero exponunt quidam, *Iste iam 70. annus est, scilicet iam diu transactus, vix audiri sine molestia potest.* Cum pronomen, *Iste*, hanc intelligentiam evidentissime excludat: quæ si pronomen abiiceretur, esset fortasse probabilis. Deinde 70. illi anni, quos prædixerat Hieremias, non transmigrations (39) Iudæorum, sed desolationis templi ac civitatis intelliguntur. At 70. desolationis anni non sunt ad primum Cyri annum, sed ad secundum Darii referendi. Annus ergo septuagesimus, de quo est Hieremiæ vaticinatio, non in primo Cyri anno, sed in Darii secundo expletus est. Illud prius, quod in hac argumentatione sumpsimus, ex 2. Paral. cap. 36. probari facile potest, ubi hæc verba scripta sunt. *Cunctis diebus desolationis egit sabbatum usque dum complerentur 70. anni, &c.* Et Danielis 9. *In anno primo Darii filii Assueri de semine Medorum ego Daniel intellexi numerum annorum, de quo factus est sermo Domini ad Hieremiam prophetam, ut complerentur desolationis Hierusalem septuaginta anni.* Et Hieremiæ 25. *Es eris terra in solitudinem, & in stuporem, &*

Tom. II.

F

ser-

(38) *Idem confirmant verba illa, cum ieiunaretis & plangetis pro hos 70. annos, &c.*

(39) *Transmigrationem hic dico, cum Ioachim sponte dedit se translatusque est in Babylonem anno 8. regni Nabubodonosori. Quomodo Ezechiel. 1. usurparum est, ac recte quidem, ut Hieron. in Hierem. 24. cap. annosavit. Nam transmigrations vocem scia a Iosepho aliisque aliter quandoque usurpari.*

*servient regi Babylonis 70. annis.* Anni ergo septuaginta, non transmigrationis, sed desolationis intelligendi sunt: ut Iosephus etiam testis est libro de antiquit. 10. cap. 10. & 11. & libro 1. contra Appion. Desolationis autem annos non in primo anno Cyri, sed in secundo Darii fuisse completos, id enim posteriore loco sumptum est, Esdræ testimonio a Hieronymo (40) comprobatur. Esdras quippe verbis minime obscuris testimonium perhibet, templum usque ad Darii tempora deturbatum persistisse. Septuaginta igitur eversionis annos non ad primum Cyri annum, sed ad Darii secundum computare debemus. Quibus ex rebus satis profecto intelligitur, quantis omnino tenebris quæstio præsens sacras etiam literas circumfundat. Sed in ratione quoque temporum adeo impedita, & complicata est, ut vix, aut nullo certe modo expediri atque extricari possit. Clemens porro Alexandrinus a desolationis initio, quod decimonono Nabuchodonosori anno, & Sedechiæ undecimo fuisse 4. Reg. 25. scribitur, ad primum annum Cyri; quo laxata captivitas Iudæorum est, non nisi triginta annos computavit. Cui numero, ut dixi, Eusebius, Theodoretus, Hieronymus, Augustinusque consentiunt. Cuius rei etiam illud argumentum est, quod si ad imperium Cyri 70. anni interfluxere; Mardocheus certe ea ætate res tales ac tantas gessisse invenietur, qua per summam senectutem, non dico remp. administrare, sed ne inter vivos quidem numerari possit. Fuit namque ex eorum numero captivorum (41), quos cum Iechonia rege Iuda Nabuchodonosorus transtulit. Quare vel secundum illos, qui non a desolatione, sed a transmigratione 70. annos computare volunt, expleta captivitate, hoc est, primo Cyri anno iam Mardocheus erat propemodum octogenarius. Nisi credamus illum binum aut trimum in Chaldæam esse translatum. Sed fac anniculum fuisse. Minimum ergo unum, & septuaginta annos natus erat, quando laxata per Cyrum captivitas est. Cyrus autem, ut nobilissimus quisque tradit historicus, aut triginta, aut triginta

---

(40) In proœmio super Agg. lib. 1. cap. 4. & 5.

(41) Ester 2. & 11.



ta ferme annos imperavit (42): Cambyses, & Magi imperarunt novem. In principio itaque regni Darii Histaspis Mardocheo anni ætatis centum decem accesserant. Ponamus igitur, id quod videtur cum ratione pugnare minus, Darium fuisse eum, sub quo res Mardochei gestas scriptura complectitur. Nam illas sub Artliaxerxe Longimano, aut etiam sub Menone contigisse, ut qui multis annis Dario fuerint posteriores, longe incredibilius est. Nullo vero modo probabile ad Cambysen filium Cyri hæc ipsa traducere, qui octo solum annos tenuit imperium. At post duodecimum Assueri annum quædam Mardochei gesta historia sacra commemorat. Non ergo Assuerus ille Cambyses fuit: præsertim cum huius acta actis illius nullo pacto cohæreant. Manet ergo, Mardocheum eo etiam tempore, quo ad centesimum vigesimum secundum annum vitam perduxerat, non imbecillum, ingravescentem, seniove confectum (43): sed solidum, robustum ac valentem in rebus magnis præclarisque gerendis fuisse versatum. Quod in illis sæculis vix credi potest. Vtpote cum multo ante, nondum hominum ætate adeo inclinata, illud propheta dixerit. *Si autem in potentibus 80. anni, & amplius eorum labor, & dolor. Quas ob res triginta anni, quos ad primum Cyri Augu-*

F 2

sti-

(42) *Clemens Alexandrinus, Eusebius, Hieronymus, Africanus 30. annos Cyro tribuunt, Herodot. 29. Solus Metasthenes Anianus 24. assignat: sed a Babylone tamen expugnata. Itaque re ipsa idem cum cæteris sentit.*

*Confer principium libri Esther cum initio capituli tertii, 3. lib. Esdr. huius opinionis Ioannes Carion fuit.*

*Iosephus lib. 11. antiq. cap. 6. Virum Esther Longimanum credidit, Eusebius in Chronici Memoriam. Iosephum videtur sequi Augustinus lib. 18. de Civit. cap. 36.*

*Iosephus 6. annos solum illi assignat. lib. 11. antiq. Ind. cap. 2. Herodotus lib. 3. annos 7. & menses 5. cui potius habenda fides, quoniam eo tempore fuit.*

*Cambyses parum propitius Iudæis fuit, Assuerus multum.*

(43) *Centesimum trigesimum secundum colliges, si a desolatione 70. annos enumeres, ut recte sunt enumerandi.*

stinus, Hieronymus, Eusebius, Theodoretus, Clemensque Alexandria colligunt, historiarum libri Esther magis convenire, & quadrare videntur, quam numerus 70. qui aliorum opinione colligitur. Nisi Philonis Anniani fabulis delectamur, qui Mardocheum ait decem & octo annis ætatem Isaaci superasse. Verum enimvero Iosephus (44) a decimono nono anno Nabuchodonosori, quo anno templum deturbatum eversumque fuisse sacræ literæ produnt, ad finem regni Balthasar, cum Babylon a Dario, & Cyro capta est, non solum 70. annos, sed multo etiam plures enumerat, scribit enim Abilmarodachum, Nabuchodonosori filium, annis 18. imperasse. Niglisarem deinceps annis 40. Labosordachum post mensibus novem. Balthasarem denique annis 17. (45) Itaque præter annos, quibus a templo vastato Nabuchodonosorus vixit, qui fuerit non pauci, septuaginta sex alii, si Iosephus vera dicit, ad primum Cyri interesserunt. Berosus autem in 3. lib. Chaldæorum non nisi 48. annos a desolatione ad Cyrum supputat. Nabuchodonosorum namque ait 43. annos imperium tenuisse. Huius filium Evilmarodachum annos duos. Niglisar, quem maritum sororis Evilmarodachi fuisse tradit, annos quatuor. Labosordachum Niglisaris filium menses novem. Nabonidum ex eadem gente annos 17. cuius postremo anno Babylon a Cyro capta est. Quæ eadem ferme computatio ex Phœnicum historiis habetur, quas Iosephus 1. contra Appion. libro retulit. At Metasthenes a vastatione Hierusalem ad primum annum Cyri septuaginta annos computavit in hunc modum. Nabuchodonosorus, qui templum civitatemque vastavit, imperium tenuit 46. annis, Evilmarodach filius eius 30. Reg Assar huius filius 3. Lab Assar Dach huius frater 6. Balt Assar horum etiam frater 5. Si enim acceperis 26. annos, quibus post  
ever-

(44) Lib. 10. antiq. cap. 13.

(45) Evilmarodach legis Hieronymus. Dan. 5. Niglisar legis Hieronymus. Daniel. 5. A transmigracione ioachim ad primum annum Evilmarodachi filii Nabuchodonosori, 37. annos iuxta, in. i. se, describitur. 4. Reg. lib. cap. 25.

eversam templum Nobuchodonosorus vixit (46), & illis addideris 44. quibus Nabuchodonosori filius unus, ac tres nepotes imperarunt, conficies dictum numerum 70. In ratione igitur temporum quæstio hæc valde implicita est, atque ita implicita, ut ne a viris quidem historiæ peritis explicari posse videatur. Nam Iudæi, quippe qui Chronographiæ penitus sint ignari, nihil hoc loco, & quæstione valent nisi mera coniectura fingere (47). In quibus etiam Liranus est, qui suo arbitrato 70. annos ab 8. Ioakim patris Iechoniae, ad quartum Cyri numeravit, tantum ut sententiam suam diceret, nullius gravis auctoris testimonio subnixam, nulla annalium ratione probatam, nullis argumentis persuasam, a sacris etiam literis alienam. Sed hoc in re ambigua ferri potest. Illud quis ferat? quod nonnulli apud Eusebium a 13. anno Iosæ ad primum annum Cyri septuaginta illos annos, de quibus est controversia, computandos esse astruxerunt. Quid? quod in hac etiam quæstione illud varium atque irretitum est, quod vel maxime erat explicatu necessarium, ut huius quæstionis difficultas exponeretur. Nempe an Balthasar filius Nabuchodonosori fuerit, an nepos, an pronepos. Nam si verum est, quod Eusebius ait, Balthasar filium fuisse Nabuchodonosori, fratrem Evilmerodachi: nihil absurdum videtur dicere, cum negat a demolitione templi ad primum Cyri annum plures quam 30. annos intercessisse. Sin autem idem Nabuchodonosori non filius, non nepos, sed pro nepos fuit: tum vero inter eversio- nem civitatis, & primum annum Cyri non nisi triginta annos interfluxisse, nullo modo est credibile. At fuisse pronepocem Hieronymus auctoribus Beroso ac Iosepho in 5. Danielis caput affirmat. Et refertur de verbor. signific. cap. Nam & rex. Quanquam Iosephus libro decimo an. cap. 13. Balthasar nepocem Nabuchodonosori fuisse scribit. Quod & Metasthenes

An-

(46) Beda ponit mortem Nabuchod. a 31. anno post eversio- nem Hierosolymorum.

(47) Iosephus lib. 10. antiq. cap. 7. scribit Ioa'im 8. anno regni sui fuisse a rege Babylonis captum. Sed contra Danielis 1. dicitur quod anno 3. regni Ioa'im venit Nabuchodonosor. Quod autem eodem anno sit captus, Eusebius in Ironicis docuit.

Annianus asseruit. Quæ omnia idcirco a me tam proxime sunt posita, ut lector intelligat primum, huius argumenti quæstio quantis sit difficultatibus illigata: deinde ne in re perdifficili ac perobscura, quam explanare nemo adhuc potuit, sententiam a me expectet perspicuam, certam, constantem: sed probabilem verosimilem, minime absurdam.

Principio igitur illud pono, quod, nisi ego fallor, satis abunde probatum est, septuaginta annorum initium a desolatione sumendum esse, non a transmigratione, hoc est, non ab 8. anno regni Nabucodonosor, cum Ioachim, cognomento Iechonias, ultro se dedidit 4. Reg. 24. sed ab undevigesimo eiusdem Nabuchodonosori, quando Nabuzardan templum, domos, murosque civitatis evertit 4. Reg. 25. Id quoniam, ut dixi, ex 2. Paral. cap. 36. primo Esdr. primo, & Hieremiæ 25. ostensum est, supervacaneum existimo, si eadem iterum resumantur. At Caietanus in 2. Paral. 36. caput contra dicit, a Iechoniæ transmigratione 70 annos computari oportere, quod Hieremias cap. 29. iis, qui cum Iechonia translati sunt, ait: *Cum caperint impleri in Babylone 70. anni visitabo vos, & suscitabo*, &c. Verum satis expeditum est, ea, quæ cap. 29. dicuntur, ad sensum cap. 25. esse referenda. Non enim, inquit, *Cum caperint in vobis impleri 70. anni*, sed, *Cum caperint impleri 70. anni*, illi scilicet, quos prædixerat. Perspicuum est autem 70. annos cap. 25. desolationis intelligendos esse. Tum quoniam omni populo Iudææ loquitur, ut patet ex initio capituli. Tum quoniam per transmigrationem Iechoniæ non est facta universa terra illa in solitudinem & stuporem. Tum quoniam statim subditur, *Et servient omnes gentes ista regi Babylonis 70. annis*. Si autem soli illi, qui cum Iechonia commigrarunt, 70. annis servierunt, quomodo omnibus dicitur, *Et servient omnes gentes iste?* &c. Nempe etiam vicinæ Hierusalem, &c. Quid? quod etiam si solitudinis fuissent 70. anni: desolationis tamen non fuerunt, si a transmigratione Iechoniæ computamus? Aliud quippe est solitudo, aliud desolatio. Non ergo 70. anni a transmigratione Iechoniæ numerandi sunt. Quamobrem qui, vel a 13. anno Iosix, vel etiam ab 8. Ioakim, aut a tertio quoque huius computare 70. annos incipiunt, eos equidem ab hac disputatione multo magis removendos existimo. Primum itaque

que fundamentum præclare jactum est. Deinde non mihi sane verosimile fit, a desolatione ad primum Cyri annum non nisi annos triginta interfluxisse, quos Eusebius & , qui Eusebio consentiunt, Theodoretus, Hieronymus, & Augustinus numerent, necesse est, si ad secundum annum Darii Histaspis (48), septuagesimi anni absolutionem trahant. Constat siquidem Nabuchodonosorum, patrem Evilmerodachi ad quadragesimum quintum annum imperium perduxisse. Quos illi vere Metasthenes Annianus tribuit. A transmigratione enim Iechoniæ ad primum annum Evilmerodachi 37. anni effluxerunt 4. Reg. 25. & Hierem. 25. Iam ergo Nabuchodonosorus hos triginta septem annos imperavit. His si addas 8. annos, quos ante regnat 4. Reg. 24. annos quinque & quadraginta conficies. Nec huic sententiæ repugnat Hieronimus, qui in Daniel. 5. caput Nabuchodonosorum ait annis tribus & quadraginta regnasse. Quam sententiam ex Iosepho accepit 1. contra Appionem libro, Iosephus vero a Beroso in 3. lib. Chaldaicorum. Computat namque annos integros, non integros excludit. Qui mos est auctoribus profanis, sacrisque familiaris. Sic Hieremiæ 23. scribitur, primum Nabuchodonosori annum eundem regis Ioakim fuisse quartum. Cum tamen anno tertio Ioakim regis Iudæ Nabuchodonosor rex Babylonis in Hierusalem venerit, & obsederint eam. Daniel. primo. Eodem autem tertio anno Ioakim Iudæam captam a rege Babylonis, Eusebius etiam in Chronicis auctor est. Annus ergo tertius Ioakim primus erat Nabuchodonosori, sed non integer: annus vero Ioakim 49. idem Nabuchodonosori primus integer fuit. Nos porro annos Nabuchodonosori 45. licet non omnes integri fuerint, numeramus. Sicque de annis non integris in tota hac disputatione loquimur. Vnde error Eusebii coarguitur, qui non nisi 38. annos imperi Nabuchodonosoro assignavit. Ponit enim illius mortem anno a desolatione 19. cum in vigesimo sexto ponenda esset, si verum est, ut verum est certe, Nabuchodonosorum post desolationem 26. annos imperium tenuisse. Nam a 19. anno, in quo templum vastatum est, ad 45. ad quem Nabu-  
cho-

chodonosorus vitam regnumque perduxit, anni sex & viginti computantur. Item si a 37. annis quos a transmigracione Ioakim Nabuchodonosorus vixit undecim ademeris, quibus regnavit Sedechias, 26. annos pariter supputabis. Atque hinc etiam error alter Eusebii refellitur, qui Evilmerodacho, cæterisque Nabuchodonosori posteris quatuor duntaxat annos imperii reliquit, aut plurimum sex, neque eos integros tamen. Certe si a desolatione ad primum annum Cyri triginta anni numerentur, cum 26. ex illis Nabuchodonosoro accesserint, quatuor solum aut quinque restant, quos Evilmerodacho, Niglisari, Labosardacho, Balthasari, impartiamur. Hos enim Nabuchodonosoro ordine successisse, non Iosephus modo affirmat, verum & Hieronymus Berosum prodidisse consentit (49). Quæ res omnino mihi magnam admirationem movet. Quid enim causæ Hieronymo fuerit, equidem non intelligo, ut Beroso Iosephoque consentiens, Balthasar Nabuchodonosori pronepotem fuisse crediderit, & cum Eusebio tamen a fine regni Nabuchodonosori ad primum Cyri annum adeo paucos annos computarit. Eusebius enim excusari forte potest, qui Balthasar fratrem Evilmerodachi fuisse, filium vero Nabuchodonosori existimavit. Sed cur Eusebium excusem? Cum Matthæus dicat Iechoniam, post transmigracionem Babylonis, genuisse Salathiel, Salathiel autem Zorobabel. Hic autem in primo anno Cyri iam grandior erat, cum esse dux & princeps Iudæorum. At ne intelligi quidem potest, Iechoniam in tam paucis annis ab Eusebio computatis nepotem adeo adultum habuisse. Non ergo a desolatione ad remigracionem 30. solum anni intercesserunt. His duabus conclusionibus illam adiicio.

*A desolatione ad primum Cyri annum 70. annos intercessisse.*  
 Quam ego conclusionem negare non queo, cum 25. cap. Hieremiz, & 36. 2. Paral. diligenter expendo. Si quis autem his scripturæ testimoniis apte ac probabiliter respondebit, cum eo equidem non magnopere contenderim. Mihi profecto, ut dixi, nulla via explicandorum eorum testimoniorum apparet, nisi plane consentiendo, quod ad primum annum Cyri 70. de-

solationis anni interfluxerunt. Intelligo autem quosdam rei huius summam ita distinguere, ut captivitatis septuaginta annos a transmigracione ad primum annum Cyri computent. at in secundo Darii anno septuaginta desolationis absolvant (50). Quod si verum esset, discrepantium opinionum probabilis sane concordia esset inventa. Sed nihil falsius invenio, cum ad veritatem cœpit revocare rationem. Transmigratio enim fuit in anno Nabuchodonosori octavo, ut 4. Reg. lib. cap. 24. scribitur. Desolatio vero in eiusdem regis anno undevigesimo facta est, 4. Reg. 25. Vastatio ergo post undecim annos transmigracioni successit. A primo autem anno Cyri ad Darii secundum sine controversia plures quam triginta interfluxerunt. Nullo ergo modo fieri potest, ut a transmigracione Iechoniæ ad primum annum Cyri 70. anni, a desolatione item ad annum Darii secundum septuaginta alii numerentur. Quocirca variis dissentientium auctorum sententiis omissis ad argumenta cum tertia hac conclusione pugnantia respondeamus.

Obiicitur primum, quod angelus apud Zachariam, cum de secundo Darii anno loqueretur, *Isse*, ait, *iam septuagesimus annus est*. Cui nos argumento ante omnia respondemus, locum illum ab interprete Chaldæo Sancteque Pagnino multo aliter, atque ad scripturæ sensum fortasse aptius fuisse conversum. Horum porro versio sic habet. *Vsquequo Domine non misereberis Hierusalem & urbium Iudæ, quibus iratus es istis septuaginta annis?* Nimirum enim apud Hebræos interrogatio non in illius orationis medio rumpitur, sed ad finem continenti sermone produci potest. *Qua ex re fit*, ut in editione nostra, tametsi oratio divisa est, dux tamen interrogaciones in una angeli querimonia intelligantur. Quarum prior illa sit, *Vsquequo Domine non misereberis Hierusalem & urbium Iudæ, quibus iratus es?* Posterior illa, *Isse septuagesimus annus est?* Quasi angelus in hunc modum conquereretur. *Itane Domine promissionis tuæ oblitus es? Num iste est septuagesimus annus, quem scilicet & tu nobis tanta benignitate promiseras, & nos a te tam ardentis desiderio expectabamus?* Ecquid no-

Tom. II.

G

bis

(50) Vide Theodorem in 10. Zacharia cap.

*bis confert laxata captivitas, facultas concessa & templum extruendi & civitatem, si illud eversum, hac vastata perseverat?* N. c. vero insolitum est, ut quædam passim sine nota interrogandi proferantur, quæ rectius aliter enunciarentur. Habes exemplum, ut cætera omittam, in epistola ad Romanos capite octavo, cuius nos particulam sic pronuntiare solemus. *Quis accusabit adversus electos Dei? Deus qui iustificat. Quis est qui condemnet? Christus Iesus, qui mortuus est imo, qui & resurrexit, qui est in dextera Dei, qui etiam interpellat pro nobis.* At Augustinus rectissime indicat (51), sic legi ac proferri oportere. *Quis accusabit adversus electos Dei? Deus qui iustificat?* ut tacite respondeatur, *non.* Et item. *Quis est qui condemnet? Christus Iesus qui mortuus est, qui resurrexit, qui est in dextera Dei, qui etiam interpellat pro nobis?* Quasi dicat, *absit.* Quo in loco vides percunctationibus duabus duas interrogationes adiunctas cum multum habere venustatis, tum acrimoniæ plurimum. Quod ego idem in præsentī de angeli querela sentio. Maior quippe vis in illa inerit, si duabus interrogationibus continebitur. Sed fac, nihil hic percunctatione quæsitum. Anue idcirco nihil est, quod non dolore expressum videatur? Puto equidem, nec absurde puto, illa quasi dolentis at deiecti animi verba esse, quæ nihil minus conquestione depressa, quam sublata interrogatione significant. Id quo melius intelligatur, exemplis etiam scripturæ illustrandum est, quæ aperte mihi rem totam videntur exponere. Hieremias primum duas quoque querelæ eiusdem partes facit: quarum una interrogationem habet, altera non habet, *quare, inquit (52) via impiorum prosperatur, bene est omnibus qui pravari- cantur & inique agunt? Plantasti eos & radicem misserunt, proficiunt & faciunt fructum.* Simillimum ex Habacuc (53) exemplum proferam, *Quare, ait, non respicis super iniqua agentes, & taces devorante impio iustiore se? Et facies homines quasi pisces maris, & quasi reptile non habens principem.* Num prophetæ hi aliud conquestione, atque interrogatione denotant? Num quicquam asseruere, dum quæuntur? Non certe plus, quam dum interrogant. Ad eundem ergo modum an

ge-

---

(51) 3. de Doct. Christ. cap. 3. (52) Hier. 12. (53) Habacuc 1.



gelum in Zacharia duas suæ querimonix particulas fecisse intelligo, quarum prior per interrogationem expressa sit, posterior per conquestionem. Non itaque asserit, illum annum, in quo loquitur, septuagesimum a desolatione esse, sed istum tam promissum, tam desideratum iamdiu præterisse conqueritur. Nihil enim, ut modo diximus, conquerendo exprimit, nisi quod interrogando expressisset. Iram Dei, scilicet, ultra tempus præfinitum trahi, illa interrogatione questus est, *Vsquequo non misereberis?* Misericordiam item plus nimio differri questus est, illam conquestionem adiiciens: *Isse septuagesimus annus est.* Quod non vultu asserentis, sed flentis, voce videlicet queribunda, proferendum est. Verum de Zachariæ testimonio satis. Opponitur deinde, quod anni septuaginta non captivitatis, sed eversionis numerandi sunt; id quod nos libentissime concedimus. Sed septuaginta eversionis annos non in primo Cyri, sed in Darii secundo expletos esse, id vero constantissime pernegamus non nostra opinione nos, sed scripturæ testimonio freti. At inquis. Templum usque ad Darii secundum annum deiectum eversumque permansit (54). Si nihil templi factum intelligis, falsum est. Cum in primis Cyri annis alter fuerit extractum, templique fundamenta iacta, ut 1. Esdr. lib. cap. 3. & 5. scribitur. Sin templum ais non fuisse Cyro regnante perfectum; ita est sane. Sed ne usque ad Darii sextum quidem annum perfectum est, quemadmodum 1. Esdr. lib. cap. 6. legimus. Quin Iosephus memoriæ prodidit (55), templum usque ad nonum annum Darii non fuisse omni ex parte expletum. Cui opinioni Iudæi consentientes (56) 46. annis aiant templum ædificatum. Atque idem Iosephus libro eo, cap. 5. tradit, templum ne anno quidem Xerxis 25. esse suis numeris omnibus absolutum. Quocirca si demolitio templi tandiu perdurasse intelligitur, quandiu informatum illud, atque imperfectum mansit, nimirum septuaginta anni, non iam ad secundum, sed ad sextum, vel nonum Darii, vel etiam 25. Xerxis numerabuntur. Quid? quod 70. anni vastitatis non modo tem-

G 2

pli,

(54) Daniel. 1. 2. Paral. 36. & 1. Esdr. 1. (55) 11. lib. an. cap. 4. (56) Ioan. 2.

pli, s d urbis etiam intelligendi sunt? Ego, inquit (57), intellexi numerum annorum, de quo factus est sermo ad Hieremiam prophetam, ut complerentur desolationis Hierusalem 70. anni. Si igitur ad eum modum annos vastitatis accipimus, cum Hierusalem in 20. etiam Arthaxerxis anno adhuc deserta perstiterit, muri dissipati, portæ consumptæ, ut 2. Esdr. cap. 2. habes, dicemus utique, 70. illos annos ad Neemiæ quoque tempora protrahendos, cum civitas ab eo est per Arthaxerxis imperium instaurata. Nos ergo, tametsi in secundo, vel saltem tertio Cyri anno templi fabricam inchoatam esse credimus (58), septuaginta tamen eversionis annos tunc expletos arbitramur, non quando templum, aut inceptum, aut consummatum est, sed quando Iudæis est laxata captivitas, dataque ad eo facultas, ut in patrimonium solum remigrarent, altare extruerent, fabricarent templum, civitatem reficerent, ruinas implerent. Quem omnino sensum, ut diximus, a sacris videmur literis accepisse, quæ verbum Hieremiæ primo Cyri anno impletum esse tradiderunt (59).

At Mardochei ætas, imo potius res præclaræ gestæ cum nostra opinione dissentiunt. Nam si tanta fuit, quantam ex nobis adversarii colligunt, non modo summa, sed decrepita etiam ac caducata fuit, nec rebus ita magis gerendis idonea. Cuius argumenti responsio illa, quæ a viris doctissimis accepta est, non est omnino contemnenda. Ecquid enim absurdum est, si illis adhuc sæculis homo unus aut alter ætate, temperamento, corporis animique vigore longe reliquis sui temporis senibus antecelluerit, cum etiamnum quidam sint; quorum in summa senectute, nec ingenium, nec memoria, nec cæteræ animi vires non modo labefactatæ, sed nec extenuatæ quidem videantur? Atque hac responsione illud quoque argumentum diluitur, quod ex Aggæi 2. trahit potest. *Quis in vobis, inquit, est derelictus, qui vidit domum istam in gloria sua prima?* &c. In secundo igitur anno Darii quidam supererant annos nati 116. & eo amplius. Si enim 70. annis deso-

---

(57) Daniel. 9. (58) In secundo anno Cyri templi fundamenta posita, Iosephus 1. contr. Appion. lib. tradit. Cui ego libenter assentio. (59) 2. Paral. 36. 1. Esdr. 1.

solationis 30. Cyri, Cambisis, & Magorum 9. (60) Darii duos & quinque, vel etiam septem addas, quibus ante vastitatem vixerant, si templum videre & gloria eius post tot annos recordari potuissent, certe summam illam 116. annorum conficies. Atque hæc responsio quidem minus absurda iudicabitur, si 30. Cyri anni non a capta Babylone, sed ad Astyage victo numerentur. Tunc enim primum Persarum ac Medorum regnum accepit. Denique hoc quoque respondendum censeo: Quod Mardocheus fuisse legitur de eo numero captivorum, quos transtulit Nabuchodonosor cum Iechonia rege Iuda, non sic accipi oportet, quasi si ipse tunc fuerit inter captivos numeratus: sed quasi ex illis extiterit, exque eis duxerit originem. Hoc vero in Mardochei laude scriptura posuit, quod non ex iis fuerit parentibus, qui prophetis contradixerunt: sed ex eis, qui Hieremiam obtemperarunt. Quæ huius loci interpretatio ex primo Esdræ libro, cap. 2. colligitur, ubi numerantur illi, qui ascenderunt de captivitate, quam transtulerat Nabuchodonosor, & in Iudæam reversi sunt, cum ex ipsis quidam non in Babyloniâ venerint, sed patres eorum. Compertum siquidem ex Matthæo est, Zorobabelem in Babylone genitum fuisse. Sed & 3. Esdr. lib. cap. 5. ita legi, *Sunt autem hi qui ascenderunt ex Iudæa, &c.* Nullam ergo vim scripturæ afferimus, si interpretamur Mardocheum de Hierusalim translatum esse, quod pater eius translatus sit. Quod si quis adhuc hanc intelligentiam violentam esse contendat, & sic quoque respondere possumus Assuerus ille, de quo in libr. Esther perpetua mentio fit, Astyages (61) fortasse fuit pater Darii Medi. Hunc enim Daniel, cap. 9. Assuerum vocat. Vel certe Cyaxares huius pater, quem primum *Aiæ* populos in provincias distinxisse Herodotus tradit. Fuisse etiam ait, cum ingenti terrebatur ira, *peracerbum*. Quæ omnia in Assuerum apprimi conveniunt, qui in libr. Esther eisdem coloribus pictus est. Nec

re-

---

(60) Hieron. Annum Magorum perpetuo excipit, & 8. solum Cambysi assignat. (61) Hieron. communem sententiam sequitur, Assuerumque illum Artaxerxem a Grecis appellatum ait. At nec Astyages nec Cayaxares Artaxerxes vocatus est.

refert hi, an alii Medorum reges ante Cyrum Asiæ imperitariint. Scimus enim Ctesiam Caidium apud Diodorum in tertio, alios atque Herodotus scripsit, posuisse. Sed Herodotum Eusebius sequitur. Accedit, quod nusquam Assuerus iste rex Babylonis dicitur, sed Persarum atque Medorum. Ante Cyrum autem, & Darium avunculum una erat monarchia Medorum atque Persarum; Babyloni rex proprius imperabat, ut in primo libro Herodotus scribit. Accedit etiam quod huic expositioni omnia consonant, nec ex ea quicquam absurdi emergit. Nam quod Mardochæus primum in Babylonem translatus sit, deinde in Susis appareat, nulla repugnantia est. Constat enim fieri potuisse, ut Babyloni quosdam ex captivis Persis Medisque vendiderint: ut causas alias omittam, quæ eius rei multæ esse potuerunt (62). Danielelem sane in Babylonem principio translatum, compertum est: at in Susis postea extitisse, capite eiusdem prophetæ octavo legimus (63) Quanto illud urgentius adversarios premit, quod si tempore aut Darii Histaspis, aut Arthaxerxis Longimani illa contigissent, quæ ipsius Esther narrat historia, nullo modo Esdras, Nemasque silentio preterissent. Nam hæc ad Arthaxerxis Memnonis tempora referre, si Mardochæus cum Ieconia commigravit, somnio quam simillimum est. Nec me fugit, Susa regiam aliquando Medorum ac Persarum civitatem, in qua Assuerus convivium illud instruxit, a Dario Histaspis filio conditam, Plinium lib. 6. cap. 27. scribere. Quæ res si vera est, illa de Astyge aut Cyaxare sententia vera esse non potest. Sed Plinii nos auctoritas urgere nequit. Quin multo probabilius Strabo in libr. 15. scribit, Susa Thitoni patris Memnonis ædificium esse. Atque Herodotus lib. 5. urbem Memnonis vocari solitam ait. Non Arthaxerxis Memnonis, sed illius præstantissimi iuvenis, qui Priamo e Syria auxiliaturus venit, qui etiam in Susis regiam ædificavit, Memnoniam

---

(62) Narrant Hebraei, ut in 10. Zachar. cap. Hieronymus refert, captivum populum Iudaorum non solum in Medos & Persas, sed in Vosphorum quoque & septentrionalem plagam a Chaldeis esse translatum. (63) Ratio Eusebii.

niam ab illo cognominatam, ut Diodorus scripsit in. 3. Susa vero ante Cyrum fuisse conditam Daniel certissimus auctor est. Anno, inquit, *tertio regni Balhasar, cum essem in Susis*, &c. Quam urbem, metropolim esse regionis Elamitarum Hieronymus vere quidem interpretatur, sed in ea Danielem turrim extruxisse falso existimat. Iosephus siquidem in decimi libri postremo capite Danielem ait, apud Ecbatana Mediæ turrim eam ædificasse: apud Susa vero primariam Persidis urbem illa vidisse, quæ Danielis 8. narrantur. Quamquam susa proprie nec Persidis, nec Mediæ civitas est. (64), sed Susiæ Persis Medisque vicinæ. Quæ quoniam non duabus his provinciis modo, verum etiam Babyroni confinis erat, inque harum trium regionum medio collocata, ideo reges Persarum atque Medorum in ea sedem imperii locaverunt. Quod Cyrum fecisse Strabo affirmat: nos alios etiam priores fecisse credimus. Iam si Susa principium regni Assueri fuit, ut primo libri Esther capite dicitur, non fuit autem, aut Darii Histaspis, aut Longimani, aut alterius Arthaxerxis cognomento Memnonis Susa regni principium: sed vel Thitoni, vel alius regis, qui primus Susa nobilitavit, atque inde exordium imperii sumpsit; certe non est absurdum Assuerum virum Esther Astyagem Cyaxarumve huius patrem intelligere. Uterque enim Medis etiam ac Persis imperavit, quemadmodum scribit in 1. lib. Herodotus. Restat ut illud tandem exponamus, qui fieri potuerit ut 70. annos, quos prædixit Hieremias, Iosephus in primo Cyri anno expletos dicat: cum multo plures ipse idem in Nabuchodonosori posterorumque huius imperio computarit. Sed in numeris Iosephi libri menda habent innumerat. Quæ ego menda viro diligentissimo atque gravissimo assignare, nec volo nec debco. Librariorum ergo vitio accidisse credendum est, ut in Neglisaris regno, pro 20. subiecta fuerint 40. in Balhasaris autem, 7. posita fuerint 17. Hos enim duos numeros si correxeris, 70. anni constabunt, quos Iosephus a desolatione ad primum Cyri annum scripsit effluxisse. Sic tamen 70. annorum

sum-

---

(64) Ptolemaeus, lib. 6. cap. 2. 3. & 4.

summa constabit, si post desolationem solos 25. Nabuchodonosoro tribuas, quod vigesimus sextus inceptus fuit, non absolutus; si excludas item postremum Balthasaris, quod in illius initio Babylon in Cyri ditionem venit. Ac si quinque annos Balthasari dedit, sed exscribentium vitio substituti sunt septemdecim, tunc 70. anni conflantur, nec opus erit eos, qui integri non fuerum, excludere. Verum in his minutulis explicandis ego quoque mihi ipse displiceo. Sed harum rerum curiosis semel satisfaciendum fuit. Et Gordianus iste nodus, quamvis multo labore verbisque etiam multis, erat tamen explicare distincteque solvendus.

Respon.  
ad 10.

Decimum argumentum facile est quidem, sed ad scripturæ cognitionem explicatu necessarium. Non enim Hieronymus solum, sed Aggæus etiam scribit, in secundo Darii anno templi esse fundamenta iacta. Atque illud, quod ex commentariis in Daniele obicimus, nihil habet omnino quæstionis: cum Hieronymus ipse in Isaïæ 44. caput sua verba fuerit interpretatus. *Cyro vivente, ait, templi iacta sunt fundamenta. Ceterum sub Dario anno illius secundo, templum adificari ceptum est.* Hoc itaque facillimum. Id difficilium, quod Hieronymus, imo Aggæus ipse dicit in hæc verba, *Ponite corda vestra a die ista, & in futurum: a quarta & vicesima noni mensis, a die qua fundamenta iacta sunt templi Domini, &c.* Et Hieronymus, *A die vicesimaquarta noni mensis, in quo templi fundamenta sunt iacta, &c.* (65) Loquitur autem sine dubio propheta de nono mense anni 2. sud Dario. Huic argumento varie quidem a multis responsum est. Lyranus sentit, fundamenta hoc sane loco appellari, partem ædificii inferiorem, quæ cæteras sustentet ac ferat, etiamsi ima non sit, sed fundamentis imis superposita. Beda credit, atque id receptius est (66), templi interioris fundamenta vivente Cyro fuisse posita: atrii vero exterioris porticum & gazophylacii in secundo anno Darii. Illud quoque dici potest, sub Cyro fundamenta inchoata informataque fuisse, sud Dario per-

---

(65) In Aggæ. secundum cap. (66) Refertur in Gloss. ordinaria. 1. Esdr. 6.

perfecta & consummata. Adde a Cyro ad Darium 40. annis interfluentibus fundamenta & temporum iniuria & inimicorum opera fuisse propemodum eversa & labefacta: sed sub Dario reconcinnata refectaue fuisse. Vnde & Iosephus Rufino interprete scripsit (67), quod sub Dario fundamentis restitutis superædificabatur. Atque, ut quemadmodum sentio loquar, non mihi Aggæus videtur astruere, quod in secundo Darii anno templi fundamenta iacta sint. Sed hunc sensum propheta habet. *Attendite non solum ex die ista, quæ videlicet est vicesima & quarta noni mensis: sed a die, qua fundamenta iacta sunt templi, & inuenietis a templo meo imhoato mollos uberiores fructus prædæ vestra tulisse. Nimirum enim negligentibus Dei religionem & cultum nihil adhuc prospere evenit. At ex die ista benedicam, &c.* Et hic sensus paulo ante fuerat explicatus his verbis. *Et nunc ponite corda vestra, a die hæc & supra antequam poneretur lapis super lapidem in templo Domini, &c.* Quasi ex eo tempore, quo primum iubente Cyro e Babylone venerint, eorum frugibus maledixerit, nec quicquam eis fœliciter terra produxerit, quod in Dei opere & templi structura cessaverint. Sed de argumento decimo hæc satis.

In undecimo non est facile expedire, quisnam ille Arthaxerxes fuerit, qui cum Cyro & Dario iusserit templum ædificari. Rabbi Samuel eundem esse credidit Darium & Arthaxerxem. Hoc enim non proprium nomen, sed regum Persarum omnium fuisse cognomen: ut Cæsar Romanorum, Pharao Ægyptiorum. Non itaque tribus iubentibus templum ædificatum, sed duobus Cyro, & Dario Arthaxerxe. Cui opinioni vehementer coniunctio repugnat, quæ nomen Darii cum Arthaxerxe non solum in Latino, sed in Græco & Hebraico exemplari coniungit. Ineptæ sane loquendi formulæ sunt, Iulius & Cæsar, Marcus & Tullius, Chencres & Pharao. Huic quoque sententiæ illud refragatur, quod pari ratione Arthaxerxis cognomen Cyro fuerat addendum, qui rex utique nobilissimus Persarum fuit. Atque idem Rabbi per Arthaxerxem, de quo capite 4. sermo fit, vere, ut ego sen-

Respon.  
ad 16.

Tom. II.

H

tio,

tio, non Cambysen sed Cyrum intellexit (68). Cur igitur scriptura cognomen utrique regi commune alteri adiceret, ab altero auferret? Hanc denique opinionem illud minus probabilem facit, quod si Arthaxerxes cognomen omnium regum Persarum esset, id esset absurdum, quod 1. Esdr. 7. scribitur. *In regno autem Arthaxerxis regis Persarum Esdras, &c.* Nullus enim peculiariter intelligeretur, non plus certe, quam si solum regem Persarum sine Arthaxerxis voce posuisset. Sed de hac sententia satis. Pergamus ad reliquas. Iosephus porro apud Lyranum hunc Xerxem filium Darii interpretatur. Undecimo quippe antiq. Iudaic. libr. cap. 5. scribit, Xerxem filium Darii pietatis paternæ perinde ut regni hæredem fuisse; nihilque ex patris institutis circa divinum cultum immutasse, sed Iudæos summa fuisse benevolentia prosecutum. Addit etiam huius tempore Esdras quidem argento, auro, & vasis preciosis, quæ ex universa provincia Babylonis attulerat, templum ornasse, ac Dei culmulate cultum: Neemiam vero, eodem rege concedente, non modo civitatem & muros instaurasse, sed & id suplesse, quod ad fabricam templi deerat. Verum hæc sententia duos scrupulos habet. Prior est, quod huic regi 38. annos imperii tribuit. Qua in re cum omnium Chronographorum ratione pugnat, qui Xerxi filio Darii non nisi viginti regni annos impertiuntur. Posterior scrupulus est huiusmodi. Primi Esdræ sexto capite dicitur, quod Iudæi ædificaverunt, & construxerunt, & compleverunt domum Dei Cyro & Dario & Arthaxerxe iubentibus, sed compleverunt tamen in anno 6. Darii. Necesse est igitur, ut Arthaxerxes ille, quicumque tandem fuerit, ante annum Darii sextum fuerit. Alioqui quomodo usque ad 6. annum Darii construxerunt Iudæi, & compleverunt templum, vivente Cyro & Dario & Arthaxerxe? Non itaque in nomine Arthaxerxis Xerxes filius Darii intelligitur. Quæ eadem causa eos etiam

ur-

---

(68) *Notum, inquit, sit regi, quod Iudæi, qui ascenderunt a te ad nos, ꝑ. 1. Esdr. 4. Cyro ergo scribebant illi, a quo Iudæi in Iudæam dimissi fuerant. Iosephus ac ceteri hunc Cambysen interpretantur.*



urget, qui hoc loco Arthaxerxem Longimanum filium Xerxis accipiunt, cuius diebus, ut Eusebius est auctor, & Esdras & Neemias ea, quæ templo, civitati, murisque deerant, expleverunt. Ac ne illud quidem verum est, quod nonnulli aiunt: Darium Medum hoc loco accipi oportere nam Darium Histaspis nomine Arthaxerxis accipiunt. Primum enim nusquam aut in literis sacris, aut in auctore aliquod historiæ probato legitur (69), quod Darius Medus templi fabricam aut iuverit, aut iusserit. Solus quippe Daniel huius Darii mentionem fecit, nec tale quippiam illi assignavit. Deinde cum Darius hic avunculus Cyri esset, ut plerisque visum est, multoque ætate maior, ut visum est omnibus, nequaquam scriptura sacra contra aliarum omnium morem, Cyrum prius, quam Darium nominaret (70). *Iubente, inquit, Cyro & Dario & Arthaxerxe.* Quæ eadem ratio vetat, ut Darius hic Medus per Arthaxerxis vocem intelligatur. Quamquam 70. interpretes Danielis 7. pro Dario Arthaxerxem interpretati sunt, quemadmodum Hieronymus noster admonuit. Præterea nulla historia neque humana, neque divina Darium Histaspis Arthaxerxem appellavit. Nulla ergo causa est, cur hoc loco Darium Histaspis Arthaxerxis nomine intelligamus. Præsertim cum in toto illo libro per nomen Darii non alius unquam nisi Histaspis filius intelligatur. Quid autem scriptura nobis per nominis ambiguitatem illuderet, si in eadem etiam orationis clausula Darii nomen in varios significatus distraharet? *Ædificaverunt, ait, iubente Cyro & Dario & Arthaxerxe, & compleverunt domum Dei istam usque ad diem tertium mensis Adar, qui est annus 6. Darii regis.*

Mihi duæ viæ huius quæstionis explicandæ apparent. Una est, ut tueamur id quod nunc nunc impugnatum est, Arthaxerxem Longimanum hic accipit oportere, qui primus Luivius nominis in historiis prophanis invenitur. Quæ eadem sententia Bedæ fuit. Loquitur autem scriptura per anticipationem,

H 2

nem,

(69) *Glossa interlinearis Dan. 9. ai t Darium primum captum Israel solvisse, sed non probat.* (70) *Metasthenes Anni huius ordinem invertit.*

nem, id quod sæpe alias sacri auctores factitarunt. Non enim omnes illi tres intelligendi sunt templum & ædificasse, & complesse, usque ad sextum Darii annum. Sed tres illi opus complevere quidem, quos Iudæis constat in opere faciundo explendoque fuisse, ac ædificatum est, atque aliqua ex parte completum usque ad 6. Darii annum Cyro & Dario iubentibus. Tametsi eo anno templum non est omni ex parte absolutum. Quoniam, ut Iosephus ait, Esdras ac Neemias sub Arthaxerxe postea templi fabricam, ornatum, & cultum expleverunt. Hoc vero solum a Iosephi opinione nostra discrepat, quod ea, quæ Esdras ac Neemias gessisse in scriptura referuntur, ille Xerxe filio Darii imperante nos Longimano iubente gesta esse contendimus. Illud autem sine controversia verum est, Cyrum, & Darium, & Arthaxerxem, eum, cui Neemias atque Esdras, placere, templum ædificesse, absolvisse, & ornasse.

Altera quoque scrupuli huius eximendi ratio est: si dicamus, duas illas particulas, & *Arthaxerxe*, ab Hebræo quopiam adiectas esse in margine primum, deinde textui, ut fieri solet, insertas. Nec aliunde quam ex eodem libro (71) exemplum huius erroris petere necesse est. In capite enim 4. sic Latina editio habet. *In regno autem Assueri, ipse est Arthaxerxes*, &c. ubi tres illæ voces, *ipse est Arthaxerxes*, non sunt scripturæ partes: sed ab expositore nescio quo in margine fortasse positæ, scribentium errore textui nostro interiectæ sunt, cum nec in Hebræis exemplaribus, nec in Græcis 70. interpertum haberentur, quemadmodum etiam ante nos Lyranus admonuit. Idem quoque error accidit in Latinis codicibus 2. Reg. cap. 8. ubi verba illa, *De quo fecit Salomon omnia vasa ærea in templo & mare æneum & columnas & altare*, nec Hebræa exemplaria habent, nec Græca 70. &c. Quod autem vitium in Latinam editionem irrepsit, idem potuit accidere, ut in Hebræa quoque irrepsit exemplaria. Quæ de re & lib. 2. multa opportune diximus, & iam iam in sequentis argumenti explicationem quædam haud importune disseremus. Illud nunc dico, me non levi coniectura ductum de

de huius loci errore ita existimasse. Iosephus siquidem undecimo Iudiac. antiq. lib. cap. 4. hunc ipsum Esdræ locum referens sic ait. *Magis omnium studiis proficiebat templi adificatio, iuxta mandata Cyri, & Darii, prophetantibus interim Aggeo & Zacharia: absolutumque est intra septennium.* Et lib. 15. cap. postremo non alium templi auctorem facit Herodes, præter Cyrum & Darium. Non ergo alius tertius in Hebræis viris exemplaribus habebatur. Verum hæc hæctenus. Cætera diluamus.

Resp. ad  
12.

Argumentatio duodecima usque eo difficilis & obscura est, ut aut nullo modo, aut multo difficillime dilui possit. Nimirum enim in historia tum sacra, tum profana ita sæpe librariorum vitio muneris depravati sunt, ut qui eos ad veram rationem revocare voluerit, is non dico in scupulosis locis arduisque versetur, sed in labyrinthum inexplicabilium quæstionum intret necesse sit, unde exire non queat, nec si Thesæi quidem filium habeat. Huiusmodi autem errores in historiis humanis prodere supervacuum erit, nam obviæ sunt passim plurimi. In sacris paucos quosdam commemorabo, qui satis sint tamen, ut intelligant omnes, quam lubricum & facile librariis sit, vel in divina scriptura numerum pro numero substituere. Agendum ergo primum huius rei exemplum proferamus ex libri secundi Paral. cap. 15. ubi ita legimus, *Bellum vero non fuit usque ad tricesimum quintum annum regni Assa.* Et evestigio in initio capituli sextidecimi, *Anno autem tricesimosexto regni eius ascendit Baassa, &c.* Quo utroque loco pro *tricesimo* legere oportet *vicesimum*. Nam Baassa anno tertio regis Assa regnare cœpit, solumque regnavit annos quatuor & viginti, ut 3. libr. Reg. cap. 15. traditur. Non ergo ad tricesimumsexum annum regis Assa regnum vitæque perduxit. Id quod perspicuum quoque fit ex 3. Reg. lib. cap. 16. *Anno, inquit, vicesimosexto Assa regis Iuda regnavit Hela filius Baassa super Israel, &c.* Et posterius, *anno vicesimoseptimo regis Assa regnavit Zamri, qui scilicet occiderat Hel.* Quem errorem Ioannes Lucidus in secundo temporum libro (72) animadvertit.

Ne

Ne vero imperitus quisquam huius loci vicium in Latinae editionis odium torqueat, æque sciat Græca Hebræaque exemplaria esse corrupta. Id quod 2. Paral. cap. 36. e tiam contigit. Vbi in hæc verba exemplaria omnia, quæ mihi videre licuit, consentiunt. *Octo annorum erat Ioachim cum regnare cœpisset, & tribus mensibus ac decem diebus regnavit in Hierusalem: fecitque malum in conspectu Domini.* Quo in loco, pro decem & octo, librarius aut indoctus aut negligens octo subiecit. Sic enim 3. Reg. 24. vere legis, *Decem & octavo annorum erat Ioachim cum regnare cœpisset, &c.* Alioqui quomodo fecit malum in conspectu Domini? Quomodo egressus est ad regem Babylonis, & cum esse natura bonus, ne civitas periclitaretur, ultro se dedit? 4. Reg. 24. Iosephus 10. antiq. cap. 9. Atque hunc etiam errorem Caietanus prior deprehendit. Nolo enim quicquam aliorum aut industriæ aut ingenio detræhere. Verum ego etiam ipse interdum coniectura ducor ad suspicandum, auctores sacros quibusdam in locis alios numeros posuisse, quam nunc inveniuntur. Verbi causa ponamus aliquid, ubi coniecturæ huius argumentum appareat. Primo Reg. libr. cap. 13. scribitur, *Quod filius unius anni erat Saul, cum regnare cœpisset.* Quod si filius anni unius intelligitur, quasi puer unius anni innocens, qui nesciret inter dextram sinistramque discernere: quonam pacto illud (73) accipiemus, *Filius viginti & unius anni erat Sedechias cum regnare cœpisset?* Quid si hic etiam numerus ille viginti exscribentium esset errore prætermisus? An non tibi videtur, si ita hi per incuriam negligentiamque fecissent, falsis interpretantium expositionibus locum esse duros? Rursum, quale quæso illud (74) est, *Filius triginta annorum erat Davit cum regnare cœpisset, & quadraginta annis regnavit,* si filium unius anni innocentem interpretamur? In simili ergo dicendi forma similis sit interpretatio. Sed similis esse non potest, si unius anni filius Saulus esse dicatur. Quamobrem verisimile est, auctorem libri Regum filium eum viginti & unius anni scripsisse: sed scriptorum vitio maiorem numerum in Hebræis exemplaribus omis-

omissum. Quem deinceps errorem in Græca Latinaque exemplaria aut alii quilibet, aut etiam interpretes transfuderunt. Quod idem 2. Paral. cap. 15. 16. & 36. accidit, sicuti paulo ante demonstravimus. Et quoniam non est animus singula loca discutere, unum solummodo ex Rabani opinione adiciam, ut iam demum ea, quæ sunt huius argumenti propria, expediantur. Hieremiæ 52. vulgata lectio sic habet. *Iste est populus, quem transtulit Nabuchodonosor, in anno septimo Iudeos tria milia & viginti tres. In anno octavodecimo Nabuchodonosor transtulit de Hierusalem animas octingentas triginta duas. In anno 23. Nabuchodonosor, transtulit Nabuzardan magister militia animas Iudaorum septingentas quadraginta quinque. Omnes ergo animas quatuor millia sexcenta.* Qua ex lectione subdifficiles & perobscuræ quæstiones emergunt, quarum nonnullas Lyranus movit: Sed quam belle responderit, aliorum esto iudicium. Rabanus in Hieremiam ter Iudæos a Nabuchodonosoro captos scribit, harumque trium captivitatum numerum hic a propheta censeri. Prima fuit, cum Nabuchodonosor Ieakimum filium Iosæ victum catenis duxit in Babylonem 2. Paral. 36. Nec enim est verosimile, non etiam alios plurimos cum Ioachimo in Babylonem transtulisse (75). Nam & Daniel capite primo verbis non valde obscuris significat, anno tertio Ioachimi quosdam e Iudæa in Babylonem esse translatos (76). At Caictanus negat, Ioachimum in Chaldæam adveniss. Sane quidem: verum infirmat ratione negat. *Inicius est, inquit, Ioachimus in Iudæa, & sepultura asini iuxta Hieremiam (77) pradiationem sepultus est, ac proiectus extra portas Hierusalem.* Quid tum? Quasi vero fieri nullo modo posset, ut ductus primum in Babylonem, deinde in Hierosolyma remitteretur, ubi, cum fidem regi Babylonio datam violasset, in gloria morte periret. Non itaque eamus inficias, Ioachimum cum aliis mul-

tis

---

(75) Iosephus 1. cons. App. Alex. lib. ex Beroso refert, Nabuchodonosorum primo anno regni sui, quosdam Iudaorum captivos in Babylonem adduxisse. (76) In 36. cap. 2. Paral.

(77) Cap. 22.

tis in Babylonem esse traductum. Id enim non Rabanus solum, sed divinæ etiam scripturæ tradunt (78).

Secundam captivitatem Rabanus ponit in transmigratio-  
ne Iechoniæ, quæst. 4. lib. Regum 24. habetur expresse. Ter-  
tia quoque in eodem libr. cap. 5. expressa est, cum Nabuzar-  
dam templum etiam, urbemque bastavit. Trium ergo harum  
captivitatum, ut Rabanus autumat, Hieremias hic singillatim  
scribit numerum. Quæ si vera sententia est, tres numeri mu-  
tandi sunt: ut pro *septimo* anno in prima captivitate scriba-  
tur, *primo*. Illa enim anno primo Nabuchodonosori contigit,  
qui idem Ioachimi tertius fuit, quemadmodum paulo ante  
dicebamus. In secunda vero captivitate pro *octavodecimo* scri-  
bendum est, *octavo*. Constat enim Iechoniam in Babylonem  
octavo Nabuchodonosori anno conmiigrasse 4. Reg. 24. Pro  
*vicésimo* autem *tertio* in captivitate postrema legi oportet,  
*undevicesimo*. Nam ut 4. Reg. 25. scriptum est, Hieremiæ  
item 52. Sedechias in anno 19. Nabuchodonosori ductus  
est in Chaldæam. Nec huic sententiæ repugnat, quod lib.  
Reg. 4. cap. 24. decem Iudæorum millia cum Iechonia di-  
cuntur esse translata. Quoniam Hieremias non vulgus pro-  
miscuum, aut milites quoslibet annumerat, sed principes  
Iudæ, & eos qui erant in dignitate aliqua constituti, ut  
Iosephus decimo Iudaic. antiq. lib. cap. 8. animadvertit. Vel  
etiam eos hic supputat Hieremias, qui in libris Regum non  
fuerant numerati: primæ siquidem ac postremæ captivitatis  
numerum auctor libri Regum omnino præterierat. In se-  
cunda autem posuerat maiorem quidem, hoc est, decem  
millia: prætermiserat minorem, quem hic supplet Hiere-  
mias, id est, animarum octingentas triginta duas. Quod Io-  
sephus intelligens in decimo antiq. Iud. lib. cap. 9. utrum-  
que numerum complectitur, aseritque eos, qui cum Iechon-  
ia ducti sunt, fuisse decem millia numero, & amplius Octin-  
gentos triginta duos. Quamquam primam captivitatem ad  
eum annum refert, quo rex Babylonius Ioachimum intere-  
mit, insepultumque extra mœnia iussit proici. Tum enim  
scribit (79) tria milia Iudæorum Babylonem in captivitate  
esse

esse ducta. Qui annus procul dubio septimus Nabuchodonosori fuit. In octavo namque Iechonias pro patre est constitutus, 4. Reg. 24. quod si accipimus, numerus primæ captivitatis in Hieremia sine ulla correctione rectissime constat. Intelligo autem locum Hieremiæ totum posse a mendis nota vindicari, si dicamus secundam captivitatem anno 18. Nabuchodonosori fuisse, annis scilicet integris numeratis: sicut & prima anno septimo est in hunc sensum adscribenda. Alioqui si de annis non expletis sermo sit, prima in anno 8. secunda in 19. Nabuchodonosori fuit. At tertia fuit anno 23. cum quinto post excidium Hierosolymitanum anno, qui fuit regni Nabuchodonosori 23. inuasit Coelen Syriam, Ammonitas, Moabitasque subegit, Ægyptios perdomuit, ac repletos ibi Iudæos captivos Babylonem abduxit, ut Iosephus auctor est 10. antiq. Iud. lib. cap. 11. Sed quoniam Hieremias eos numerare videtur, non qui de Ægypto, sed qui de Iudæa translati sunt, quia rursum eas videtur captivitates recensere, quæ e sacris historiis colliguntur: quia demum eam, quæ sub Nabuzardane fuit omnium celeberrima, templique, atque urbis incendio vel maxime nobilitata, tertio loco videtur scribere, ut eo redeat, unde est paulo ante digressus, ut numerum annorum in secunda & tertia captivitate ad formam 4. lib. Reg. restituendum contenderet, eï ego non magnopere repugnarem. Nam si in prima captivitate Iosephum, quam Rabanum sequi malis, non equidem improbabo. Ego autem, ut ingenue loquar, nunquam mihi minus, quam in hac digressionem placuit, quamquam magis adeo id argumenti difficillimi explicandi cupiditate, quam ulla alia culpa mea contigit: qui dum monere volo, numerorum quæstiones lubricas esse atque difficiles, quod error in numeris facilis ac lubricus sit, mei pene sum oblitus: fecique id repentino quasi motu percitus, quod ne mediatus quidem opere ad hoc instituto facturus eram, ut iis de rebus, quæ maximi sunt negotii, inter refellendum argumenta disputarem. Sed hoc tamen cecidit mihi peropportune, quod duodecimi argumenti difficultas omnis in eo numero annorum sita est, qui 3. Reg. lib. cap. 6. præscribitur, ab egressione filiorum Israel de Ægypto ad templum a Salomone inchoatum. Est autem in omnibus exemplaribus

Græcis, Latinis & Hebræis idem omnino numerus annorum quadringentorum octoginta. Quem numerum exscribentium errore a vero esse immutatum: hisce argumentis suaderi potest (80). Primum quod Iosephus lib. Iudaic. ant. 8. cap. 3. scribit, Salomonem templi fabricam exorsum esse annis quingentis nonaginta, duobus postquam Israelitæ ex Ægypto excesserunt: mille vero viginti annis postquam Abraham in Chananæam regionem e Mesopotamia migravit. Nam si quadringentis triginta, qui iuxta exodum a migratione Abraham ad exitum Israelitarum de Ægypto interfluxerunt, quingentos nonaginta addideris ab exitu ad templi ædificium cœptum, summa illa Iosephi relinquetur annorum mille viginti, atque adeo & uterque sibi numerus, & inter se vicissim ambo constabunt. Deinde Iosephus idem lib. 11. antiq. Iud. cap. 4. *Ante Saulum & Davidem*, inquit, *temp. Iudices administraverunt*. Qui reip. status plus, quam quingentis annis duravit post Moysis & Iosue imperium. Non ergo ab exitu Israel de Ægypto ad initium templi 480. solum anni intercesserunt.

*Moy. 40.* Præterea, Moyses quadraginta annis imperavit. Erat enim annorum octoginta cum eduxit Israel, Exod. 7. & centesimo vicesimo ætatis anno mortuus est. Deut. ultimo.

*Inter. 8.* Adde annos octo interregni, quibus Israelitæ servierunt post mortem Iosue regi Mesopotamiæ. Iudic. 3. Iosephus 6. lib. ant. cap. 5. scribit hos fuisse duodeviginti. Quorum octo servitutis fuisse lib. 5. cap. 7. tradiderat.

*Orb. 40.* Othoniel iudicavit populum quadraginta annis. Iudic. 3.

*Inter. 18.* Adde duodeviginti annos interregni, quibus servierunt regi Moab. Iudic. 3.

*Aioth 18.* Aioth iudicavit populum octoginta annis. Iudic. 3.

Ad-

---

(80) Sic Gebenius ac vere ille quidem transtulit. Numerus enim 502. qui habetur in versione Rufini ex scribentium errore est positus. Nisi Iosephus ipse secum pugnet lib. 11. cap. 4. Unde patet Sabellici error Ennea 1. lib. 9. ubi vulgatum vitium secutus affirmat, annum templi inchoati fuisse ab eo quo filii Israel de Ægypto sunt egressi, quingentesimum secundum.



Adde viginti annos interregni , quibus seruiertunt regi *Inter.20.*  
 Chanaam. Iudicium 4.

Barac & Debora iudicarunt populum quadraginta annis. *Barac & Deb. 40.*  
 Iudicium 5.

Adde interregnum septem annorum sub Madian. Iud. 6. *Inter. 7.*

Gedeon iudicavit populum quadraginta annis. Iudic.8. *Ged. 40.*

Abimelech tribus annis. Iudic.9. *Abim. 3.*

Thola viginti tribus annis. Iudic. 10. *Thol.23.*

Iair viginti duobus annis. Iudic. 10. *Iair 22.*

Interregnum decem & octo annorum sub Philistæis & *Inter.18.*

Ammonittis. Iudic. 10.

Iepte sex annis iudicavit. Iudic. 12. *Iepte 6.*

Abesan septem annis. Iudic. 12. *Abes. 7.*

Helon decem annis. Iudic. 12. *Hel. 10.*

Abdon octo annis. Iud. 12. *Abdon8.*

Interregnum quadraginta annorum sub Philistæis. Iudi- *Inter. 40.*  
 cum 13.

Sanson viginti annis Iudic. 16. *Jans.20.*

Heli quadraginta annis. 1. Reg. 4. *Heli 40.*

Saul regnavit quadraginta. Actor. 13. nam Iosephus lib. 6. antiq. Iuda. cap. postremo ait, illum regnasse vivente Samuele annis duodeviginti, post Samuelis mortem annis viginti.

David regnavit annis quadraginta. 2. Reg. 5. & 1. Paral. 3. *Dav. 40.*

Salomon quarto anno regni sui templi fabricam cœpit. *Salom. 4.*  
 3. Reg. 6.

Qui in summam redacti faciunt numerum quingentorum *574.*  
 septuaginta quatuor annorum. Quibus si adicias annos Iosue,

Sangar & Samuelis, interregnum quoque, quod inter Sanson & Heli fuisse scriptura dicit, maior utique summa quam illa Iosephi conficietur. Plures igitur quam 480. anni ab excessu Israel de Aegypto ad templi fabricam intercesserunt. Mendum itaque in hoc scripturæ loco inest, suntque proinde ad veram rationem codices Hebraici, Græci & Latini corrigendi. Ad hæc, si Græca omnia exemplaria fidem aliquam faciunt, ut in eiusmodi rebus ambiguï, & numerorum ratione controversa æquum est, Paulus (81) certe post terram Cha-

naam filiis Israel sorte distributam, tempus iudicum usque ad Samuel, quadringentis quinquaginta annis, non multo secus definiuit. Sic enim Græca habent. *καὶ καθύλακ' ἑξήκοντα ἑνὸς καὶ πενήκοντος ἔτησιν αὐτοῖς τὴν γῆν αὐτῶν. καὶ μετὰ ταῦτα ὡς ἔστιτε Τρακασίαι καὶ πενήκοντα ἔτησιν κριτῶν ὡς σαμουὴλ τοῦ προφῆτου.* Quæ Erasmus ita convertit, *Ei delctis gentibus septem in terra Chanaan, sorte distribuit eis terram eorum. Et post hæc annis circiter quadringentis quinquaginta, dedit Iudices usque ad Samuel prophetam.* In eundem sensum Pagninus vertit, cæterique iuniores omnes interpretes. Nec enim Græca illa aliter reddi possunt. Quod si quadringentis quinquaginta annis, quos Paulus Indicibus a distributione terræ ad Samuelem impertitur, addamus Moysis quadraginta, Saul item quadraginta, David quoque alios quadraginta, & quatuor denique Salomonis: eandem profecto summam conficiemus cum ea, quæ paulo ante e certis scripturæ testimoniis confecta est, quingentorum septuaginta quatuor annorum, ut novum testamentum veteri omnino consentiat. Sed ait Caietanus, Græca omnia exemplaria & Latina esse vitiata: & Græce *τριακασίαι*, non *πετρακασίαι*, Latine tercentis, non quadringentis esse legendum. Qui sic? *Evincitur*, inquit, *quoniam alias non constabit numerus annorum, quem tertius liber Regum cap. sexto definit.* Scilicet, quasi non in hoc controversia sit, an ille numerus, an hic scribentium errore sit inductus. Numero sane tertii libri Regum reliquæ omnes scripturæ dissentiant. Numero Actorum Apostolicorum scripturæ consonant omnes. Non ergo hic, sed ille numerus vitio librorum est corruptus.

Confirmat autem hanc sententiam illud tandem, quod qui contrariam trueri volunt, numerumque illum quadringentorum octoginta annorum retinere, ii tantum absurditatum in supputatione sua faciunt, ut vix audiri sine aurium molestia possint. Nicolaus porro & Abulensis (82), qui in scripturæ explanatione habentur insignes, ut summa illis 480.

an-

(82) Nicol. 3. Regum 6. Abul. ibidem quest. 4. & 3. lib. Judic. quest. 12.

annorum iusta constituitur, primum aiunt, annos Iosue minime computandos, sed in Othonielis quadraginta includendos. Eodemque modo de Samuele iudicant, cuius annos similiter intra quadraginta Saulis includunt. Mox addunt, annos quibus Iudæi seruerunt regi Mesopotamiæ, aliisque postea sequenti tempore regibus, eis annis includi, quibus terra quieuisse dicitur, vel etiam Iudex hic aut ille Israelitis præfuisse. Vnum solum annorum duodeviginti interregnum in computationem asciscunt, ut cum tribus annis Salomonis sumam 480. annorum suo belle arbitrato conficiant. Sed, ut dixi, hæc computandi ratio multum omnino absurditatis habet. Vt enim omittam alia, ne in re nota & perspicua multus & insolens sim, illud ante omnia expediri velim: ecquo pacto interregnum anni in eos redigi valeant, & contrahi, quibus sub Iudicibus terra a præliis dicitur quieuisse? Sane in interregnis aut perpetuum Iudæis bellum contra inimicos fuit, aut seruitus sine Iudice misera, res afflictæ, turbata omnia, nulla quies. Præterea, ecquid de quadraginta annorum interregno isti dicturi sunt, quod inter Abdonem & Sansonem scriptura commemorat? An 40. illos annos in Sansonis viginti inclusuri sunt? An potius in Abdonis octo? Præterea, cur unicuique interregnum annorum decem & octo accipiunt, reiciunt cætera? Quod si causam reddere ne unam quidem idoneam possunt, sane aut interregnum hoc cum cæteris abiciant, & summa erit minor: aut cum hoc, ut par est, admittant reliqua: & summa erit maior. Adhæc, liber Iudicum explicite docet, terram duce Iuda, qui successit Iosue, minime quieuisse, sed multis bellis fuisse agitatam, quibus Chananæi, ac Pheræi victi oppressique fuerunt. Nam ductum Iosue præliis frequentibus turbulentum exitisse, Iosue liber ipse manifestat. Cum vero rex Mesopotamiæ, Iosue, Iudæque defunctis, filios Israel pugna viceri, octoque annis seruire coegerit, tunc tempora pacata, quietamque terram describere prorsus est a sensu communi alienum. Quod si annos Iosue ac Iudæ, illos quoque quibus rex Mesopotamiæ Israelitas expugnavit & oppressit, in id temporis trahas, quo terra quieuisse dicitur: nonne turbidos & inquietos annos eum tranquillis quietisque confundes? Nonne etiam scriptu-

ræ sacræ in aperta narratione vim affores manifestam? Illa nimirum non obscure refert, post mortem Iosue, post Chanaanos Pherezeosque devictos, post filios Israel per Othonielem a servitute liberatos, terram quadraginta annis quievisse (83). Quid Paulus? An non post Samuelem quadraginta annos (84) Saulis regno impertitur? Qua ergo ratione Samuelis annos, in annis Saulis includemus? quos triginta octo fuisse Iosephus prodit, fuisse quadraginta prodit Paulus.

Nulla ergo ratione, ut videtur, numerus ille quadringentesimus octogesimus defendi potest. Ab eo siquidem tempore, quo filii Israel terram promissionis incolere, habereque cœperunt, ad primum Iepte annum, trecentos interfluxisse testis est Iepte ipse locupletissimus (85). Trecentis si addas quadraginta, quibus populus moram in deserto fecit, ac viginti annos Samuelis, qui ex primo libro Regum a quibusdam colliguntur (86), illos denum, quos a Iepte ad quartum annum Salomonis ante numeravimus: eadem omnino summa constituetur, quæ bis supra constituta est, quingentorum septuaginta quatuor annorum. Vt quoquo te veritas, & sive ex temporibus interregnum ac Iudicum singulorum, sive ex Pauli calculo atque ratione, sive ex Iepte testimonio & inculpatæ defensionis iudicio verum, certumque annorum numerum ab excessu Israel de Ægypto ad templi fabricam efficere pertentes: semper eundem illum invenias quingentesimum septuagesimum quartum. Porro autem qui numeri cuiusque summam exigue nimis & exiliter ad calculos revocare cupiunt, hi numerum eum verissimum ac rectissimum censent, quem plurimis confectis rationibus undique constantem, cohærentem, consentaneum sibi, cæterisque reperiunt, qui sæpe in unum collati eandem proprius summam efficiunt. His argumentis numerus ille 3. lib. Reg. infirmari potest: qui tamen non modo omnibus exemplaribus, sed universis auctoribus Latinis, Græcis, Hebræis consentientibus confirmatur. Verum enimvero in nume-

---

(83) *Iudic.* 3. (84) *Act.* 13. (85) *Iudic.* 11. (86) *1. Reg.* 7. *Ioseph. lib. antiq.* 6. *cap.* 13. *tradit, quod Samuel primum solus præfuit populo annis 12. deinde Saule regnante annis 18.*

meri huius summa tuenda & conservanda vix reperias præiudium aliquod omni ex parte munitum. Eusebius etenim, qui sine controversia in ratione temporum diligentissimus est, hanc summam 480. annorum defendit quidem, sed ita defendit tamen, ut defensionis ratio neglecta esse videatur. Principio namque decem annos Helon e quadringentesimo octogesimo numero exemit, quoniam septuaginta interpretes ait illum iudicem omisisse. Quare coactus fuit viginti septem annos Iosue administrationi dare, ut quadringentesimus octogessimus expleretur. Quod si decem annos Helon in 480. numero includeret, cum Iosue viginti septem attribuerit, 490. annorum summa conficeretur. Incidit autem in codices mendosiores. Nam complutenses eum Iudicem in 70. versione habent. Codex quoque fuit illi similiter depravatus in tempore, quo iuxta 70. Heli populum iudicavit. Scribit enim in 70. interpretatione viginti annos inveniri. Atqui in Hispaniensi *ισσαράνισσα*, id est, quadraginta reperiuntur. Quem Eusebii errorem sæpe sum admiratus. Si enim 70. interpretationem sequi libuit, cur quemadmodum decem annos Helon, ita & Heli viginti non ademit? Quod si visum est Heli annos 40. retinere, cur decem Helon a numero exemit? Illud etiam incommodi Eusebio accidit, quod cum interregna omnia posteriorum Iudicum temporibus iucluderet, videretque ex illis quedam antecedentia ineptissime sequentibus copulari: eam rem traditionibus Hebræorum attribuit, ne ipse rei perabsurdæ primus esse auctor videretur. Circa annos vero Samuelis ac Saulis, eodem in luto cum cæteris hæret. Ambobus enim non plures, quam quadraginta annos assignat. At totidem Paulus soli Sauli impartitur: Iosephus autem Samueli soli duodecim, regnante Saule duodeviginti: Sauli post Samuelis mortem viginti. Quo in loco Beda magna me admiratione afficit: primum quod sermonem permittit Paulo (87) cum vulgarem tum etiam falsum. Deinde quod ante Samuelem trecentos nonaginta sex annos Iudices præfuisse eorum librum indicare asserit, cum in Iudicum libro non nisi trecenti triginta novem reperiantur. Quare ad explendam

dam summam illam necesse est Moysis quadraginta annos apponas, Iosue vero septemdecim. At Iosue septemdecim non ex historiæ aut divinæ aut humanæ veritate, sed ex eorum opinione solum habentur, quid ad summam illam 480. annorum numeros quoslibet revocare pergunt: idque ut faciant, non dubitant historias omnes contravenire. Quid quod Iosephum Beda ait Samueli annos viginti, Sauli totidem alios impertiri? Cum quinquaginta ambobus sine dubio impertitur, quemadmodum e locis ante citatis manifestissime constat (88). Caietanus porro via longe diversissima ingressus est. Nam quadraginta annos quidem soli Sauli distribuit: sed ut summa illi 480. annorum constet, Iosue annos decem, septem vero Samueli dispertit. Quod præter historiæ fidem suo solum arbitrio facit. Quid igitur? semper ego alienarum opinionum relator tantum? Nunquam ne reponam? Sane, & de meo aliquid exolvere lectori debeo, si quid tamen probati nummi exolvi possit.

Primum autem non existimo, aut fidei, aut religionis questionem esse, num. 480. iste annorum numerus, qui in codicibus pervulgatis reperitur, librorum vitio scriptus sit, an potius idem ab auctore sacro in suo exemplari positus. Ostendimus enim errorem in numeris promptissimum esse atque facillimum. Ostendimus numeros quosdam in libris sacris exscribentium errore vitiatos. Ostendimus denique multas esse causas cur hic, de quo agimus 480. annorum numerus corrupte esse inductus videatur. Atque Iosephus & Sabellicus, Hebræus unus, Latinus alter, cum locum illum ex 3. libro Regum, cap. 6. referrent, non 480. annos, sed multo plures posuerunt. Incredibile autem videtur esse, Iosephum, si omnia Hebræa exemplaria 480. numerum habuissent, ab illo certe ac præscripto numero discessurum. Nec Hugo Cardinalis, cum sententiam Iosephi retulisset, eam reprobendam censuit. Non igitur si quispiam dicat, ab egressione filiorum Israel de Ægypto ad templum inceptum quingentos annos, & eo amplius interfluxisse, protinus refellendus est, quasi ea res ad

ad fidem religionemve pertineat. Illud deinde sentio, inter regnorum annos vere inter annos Iudicum effluxisse. Itaque non esse, quod Hebræi falso tradunt, in temporibus vel priorum vel posteriorum Iudicum computandos. Quocirca Iosephus, quoniam non ea solum tempora, quibus Iudices præfuere, computare voluit, sed illa etiam, quæ in interregnis sine Iudice fluxerunt, verum summam quingentorum nonaginta confecit annorum. At auctor libri regum, inter regnorum annis omissis, eos tantum redegit in numerum, quos intellexit, dum Iudices administrarent, intercessisse. Anni ergo plures ab eo, quo Israel excessit de Ægypto, ad templi initia fluxere. Sed ducum, iudicum, & regum non fluxere nisi quadringenti octoginta. Advertendum quoque, ex iis, qui populo a Moyse ad Salomonem præfuerunt, quatuor esse, quorum tempora nusquam scriptura vetus denotavit. Nempe Iosue, Sangar, Samuel, Saul. Nam reliquorum omnium certus annorum numerus in ipsis est testamenti veteris libris designatus. E quibus summa colligitur annorum 419. His si Salomonis adiungas tres, quarto enim anno templum fabricare cœpit, reliqui erunt anni 58. quos Iosue, Sangaro, Samueli Saulique dispertias.

Ac Sangar quidem, quoniam nondum vertente anno munere simul ac vita defunctus est (89), merito ab huius numeri summa eximitur. Cum vero Sauli Paulus impertierit quadraginta, dubium non erit, quin decem & octo sint inter Iosue & Samuelem distribuendi (90). At decem ne ex his Iosue, reliquos autem Samueli assignare oporteat, an contra pauciores Iosue, Samueli plures: de hac re dubitari potest. Caietano illud placuit, mihi etiam idem visum est. Quoniam Iosepho aliisque probatis historicis longior ductus Iosue fuit, quam Samuelis Iudicatus. Nec nostræ huic opinioni contrarium est, Arcam sub Samuelis tempora in Cariathiarim viginti annis permansisse (91). Non enim his viginti annis, quod quidam

Tom. II.

K

fal-

(89) Iosephus libr. 5. an: iq. cap. 8. (90) Totidem Augustinus lib. 18. de Civ. Dei cap. 20. Nam quod Eupolemus Hebrææ scriptor historiae 21. tantum ponit, ad id tempus referendum est, quo mortuo Samuele regnavit. (91) Act. 13. 1. Reg. 7.

falso existimarunt (92), Samuel plebis Israeliticæ iudex erat, sed propheta. Quin scriptura ipsa satis, nisi ego fallor, aperte significat, post vicesimum illum annum cœpisse a Samuele populum iudicari. In Iosue autem tempore computando ita magna auctorum varietas, & discrepantia est, ut nulla ex parte historiæ labefactetur auctoritas: si ubi variæ sunt historicorum discrepantesque sententiæ, ibi nulla eorum premi nos urgerique patiamur. Iosephus (93), Gelenio interprete, Iosue vigintiquinque annos annumerat. Eusebius vigintiseptem. Beda, Ioannes Lucidus, aliique nonnulli septemdecim imperitiunt. Caietanus decem. Quamobrem cum nos decem & octo Iosue, Samuelique dispertiendos dicimus, nihil sane absurdi dicimus. Quamquam ratio subest, ut sine scripturæ veritatisque discrimine octo aut novem alios annos his duobus iudicibus adiungamus. Quid ita? Nonne hisce vel octo, vel novem adiunctis, anni plures quam 480. efficiuntur? Efficientur utique. Falsum ergo erit, inquires, anno 480. ex eo, quo Israel de Ægypto exiit, templum ædificari cœptum. Minime gentium. Quin utrumque verum esse nihil obstat. Scriptura enim minutos numeros præterire aliquando solet. Cuius rei exemplum paulo ante posuimus ex 4. Reg. lib. cap. 24. (94) Vbi decem mille Iudæi dicuntur esse translati: quibus tamen Iosephus octingentos trigintaduos adiecit, imo & Hieremias, quemadmodum est nobis supra explicatum. Atque scriptura Ionæ post 40. dies ait Ninive subvertendam: & tamen septuaginta interpretes 43. Græcis literis prodiderunt, qui re vera ab initio prædicationis Ionæ computantur, hos vere tres sacer auctor, omisit, quia toto triduo illa semper verba propheta intonabat, *Adhuc 40. dies, &c.* Quamvis ab initio, si Ninive subverteretur 43. erant interfluxuri. Quod autem 43. dies septuaginta interpretes scripserint, auctor est Iustinus in dialogo cum Tryphone. Quia vero Augustinus non 43. sed 3. solum legit, difficulter se ex hac quæst. extricavit lib. 18. de civit. cap. 44. Quæ eadem causa erroris Hieronymo fuit. Si enim in 70. non triduum, sed 43. dies ipse

---

(92) *Abulensis.* (93) *Lib. 5. antiq. cap. 1.* (94) *Vide August. 16. de civit. lib. cap.*



ipse legisset, omnis admirandi occasio cessasset. Sic ergo licet plures fuerint quam 380. anni, quia tamen non ad 490. accesserunt: recte suo more scriptura dixit, annos 480. iaterfluxisse. Id si probabile est, ut est certe, iam viginti septem annos Iosue & Samueli poterimus impertiri, Samueli decem, septemdecim Iosue, quos huic Beda aliique viri graves imperterunt. Sed valeant istæ numerorum tetricæ, salebrosæque quæstiones, in quibus poteram ignorantiam meam simpliciter confiteri, & omne curiosorum hominum desiderium contemnere. At levioris culpæ arbitratus sum, in explicanda difficillima argumentatione tam multa fuisse, quam omnino nihil dicere.

*Tertiumdecimum argumentum parva difficultate nos implicat.* Nec enim historias omnes tueri est animus, quæ passim in ecclesia lectantur. Video tantum vulgi non solum in laicis, sed in ecclesiasticis etiam esse, ut eas quoque fabulas oppido quam libenter excipiant, quas iam diu ecclesia exploravit. In his certe pontificum non diligentia modo, verumetiam prudentia desideratur. Quidam namque dum reduviam curant, capiti incommodant. Videlicet historias graves pro apocryphis reddunt quidem, sed divinum ecclesiæ officium usque eo præter solitum immutant, ut vix ulla antiquæ religionis forma in quotidianis precibus relicta esse videatur. Quæ ex re quam multa & magna mala ecclesiæ Dei accidant, non est huius loci, & temporis dicere. Sed esto, quædam in publicis ecclesiæ precibus habeantur ambigua, quædam etiam falsa. Num idcirco historiis ecclesiæ omnibus fidem abrogare perges, quod nonnullæ earum sint vulgo iactatæ & creditæ, in quibus, præsertim quoties de miraculis incidit sermo, ficta reperias fortasse plura, quæ iure ac merito reprobentur? Mihi profecto illud Gelasii consilium placet (95), ut cum huius generis historias catholici legerint, beati Pauli sententia præcedat, *Omnia probate, quod bonum est tenere.* Atqui irridere episcopos, de Theologis scholæ ludere, in monachorum imperitiam insultare, quasi fabulas huiusmodi ventris gratia rudi vulgo inferant & intrudant: hæc non puto equidem hominis

Resp. ad  
13.

K 2

in-

ingenui esse, qui ad bonitatem fuerit a natura compositus, nedum eius quem Christus simplicem sicut columbam ad legem evangelii formaverit. Quod si ex quibusdam fictis falsisque narrationibus historias gentium æstimemus, nulla omnino erit, quam non similiter illudamus. Id si hominum imprudentium atque adeo stultorum est: maneat, divorum gesta, quæ in ecclesia legi solent, despici nullo modo oportere. Quamquam nonnulla ex his incerta sunt, apocrypha, levia falsa. Nam & pleraque credibilia ac vera sunt, quædam etiam certa. De tertiodécimo autem argumento hæc tenus.

Resp. ad  
14.

In quartidécimi argumenti responsionem multa sunt brevissime animadvertenda. Primum in maximo illi errore versantur, qui rerum gestarum memorias tanquam ecclesiæ oracula accipiunt, si eas in epistolis, & decretis suis pontifices aliquando usurparint. Non est idem, mihi crede, historiæ approbatio & usurpatio. Vtitur quidem interdum pontifex, si quicquam suadere cupit, receptis opinionibus, sententiis, rebusque vulgatis: at non continuo quæcumque in hunc usum attulerit, ea sedis Apostolicæ iudicio probat. Aliud quippe est suadentis munus, aliud definientis. Qui pronunciat, res veras ille adfert: qui suadet, nonnunquam etiam verosimiles. Audiebam de præceptore meo puer, nullum omnino argumentum esse negligendum, in quo aliqua significatio veritatis appareat. Amplectendum autem esse ita unumquodque maxime, ut quodque ad faciendam fidem erit aptissimum. Ad cuius præcepti formam non modo dialectici & oratores, sed veteres etiam theologi suas disputationes effinxerunt. Nam in causam suam quisque & quibuslibet argumentis quandoque abusi sunt, & vulgi etiam credulitate. Itaque imprudentium hominum erit, historias quasvis obiter etiam, & ad præsentem causam a pontifice adductas non aliter amplecti, atque eas, quæ sint ecclesiæ certo iudicio comprobata.

Quod deinde ad Constantini donationem attinet, de eo non libet in præsentia disputare. Disputent alii, quibus cordi forte est Romanæ ecclesiæ maiestatem, amplitudinemque minuere. Laurentium Vallam scimus integro libro adversus receptam communi opinione sententiam declamas-

se. Iurisperiti (96) quæ vulgo circumfertur eius donationis formula, eam commentitiam esse satis indicant, cum Paleæ inscriptione denotant. Eusebius, Ruffinus, Theodorus, Socrates, Sozomenus, Eutropius, Victor, cæterique probæ fidei auctores, qui omnia Constantini gesta scripsere diligentissime, non modo nullam donationis eius mentionem faciunt, sed tradunt etiam orbem Romanum sic inter tres illius filios distributum, ut Italia uni eorum tota contigerit. Ammianus Marcellinus lib. 15. Constantium urbis dominationem habuisse, & Leontium præfectum ibi constituisse, auctor est. Nonnullos deinceps imperatores Italiæ, atque adeo Romæ imperasse omnes historici memoriæ prodiderunt. Hæc & alia eiusmodi quis ignorat? Verum quid refert a Constantino facta ea donatio sit, an a principibus posterioribus? Fictam & commentitiam fabulam dicunt a Nicolao, Clementeque prolata. Quasi vero pontifex aut factam eam donationem suo decreto definiat, aut urbem eo solum titulo defendat. Negant donatam a Constantino urbem esse: quamquam nequeunt probare id quidem. Sed quæro, quod donatam negant, ea si non donata esset, quidnam facerent? An urbem Cæsari concederent? Vrgente rustice sane. Negant enim donatam esse, & in eo perstant. Nos vero tanquam tormenta quædam adhibemus. Vt si responderint, quod donata a Constantino non est, idcirco ad ius nunc Cæsaris pertinere: stultos se esse fateantur. Potuit enim donare alius. Potuit quoque Romanus pontifex urbem iusto alio nomine possidere. Certe longi temporis præscriptione potuit. Sin negaverint ius omne Cæsari in urbem, omnia, quæ de Constantini donatione disputant, vana esse concedant. Sed iam, ne nos vani itidem simus, reliqua persequamur. Lepra Constantinum laborasse, apud idoneos auctores nusquam legi, sed eius nominis alium cognomento Copronymum. Vnde fortasse ambiguitate vocis error inductus. Nisi rumor iste de lepra inde ortus videri possit, quod Bizantio ad aquas calidas valetudinis gratia eum egressum ferunt. D. Thomas 3. part. quæst. 69. in 4. argum. historiam vulgatam,

su-

sumit, atque, ut videretur, probat. Caietanus non item. Habet hic auctores suos Platinam in vitam Marci, Ludovicum Vives, lib. de cor. disc. 2. Alciatum, lib. parerg. 7. cap. 19. qui aperte negant. Habet scriptores omnes veteres eius ætatis, qui tacuerunt: non omissuri si scivissent, scituri omnino si rem fuisset. Nam quod nomine Constantini circumfertur edictum, tametsi Nicæno concilio adiunctum est, non tamen habet concilii auctoritatem. Hæc illi. Ego hæc nec pro certis affirmare ausim, nec pro falsis refellere. Sylvestri acta, in quibus ea res gesta commemoratur, Gelasius non reprobat (97). Refertur eadem in synodo Romana sub Sylvestro, can. 1. in septima rursus synodo, act. 2. Eandem denique Nicephorus, lib. 7. cap. 33. ut veram historiam refert. Quocirca pontifices duos Clementem, ac Nicolaum, aut Divum etiam Thomam, in eo quod ea historia usi sunt, nec ridere iure possumus, nec arguere. Quamvix, ut dixi, lepræ Constantinianæ testis gravis, & probatus ex veteribus nemo est. Itaque, si negemus, nec pontificum, nec historicorum auctoritatem labefacimus.

De baptismo historici quoque ipsi nobilissimi varie loquuntur. Hieronymus in Chronicis, Eusebius, lib. 4. de vita Constan. Socrates lib. 1. histor. suæ, cap. 39. Theodoritus lib. item 1. cap. 31. Sozomenus lib. 2. cap. 34. Cassiodorus qui historiam ab his tribus ecclesiasticam compilavit (98). Pomponius Lætus, aliique scriptores huius ordinis Constantinum tradunt non Romæ a Sylvestro, sed Nicomediæ ab Eusebio episcopo, & quidem Ariano, sacrum baptismum suscepisse. Contra Damasus in libro pontificali tradit, illum Romæ a Sylvestro sacris lustricis ablutum esse. Cui omnino consentiunt Marianus Scotus, Sabellicus, Platina in vitam Marci. Nicephorus lib. 7. cap. 35. & lib. 8. cap. 54. ne D. Thomam, Nicolaum, Clementem, duas denique Synodos in huius rei testimonium repetamus. Atque Nicephorus in hac re asseveranda, & contraria opinione refellenda, oratione sane quam acri usus est. Ita enim suam de

---

(97) *15. d. Sancta Romana.* (98) *Haymo in epitome eccl. histor. lib. 9. cap. 7.*

de baptismo Constantini sententiam ecclesiæ consensioni tribuit, ut adversam Arianorum commentis assignet. *Qui in oriente*, inquit, *olim Ariana secta fuere, Constantinum Nicomedia ab Eusebio eius urbis episcopo iam moriturum baptismum suscepisse, prodiderunt: propterea eum sacrum lavacrum distulisse dicentes, quod id in Iordane perficere voluerit. Id vero ex eo facile refellitur, quod ecclesia a Sylvestro eum Roma baptizatum esse certo predicat. Quapropter testatum omnibus esse volo, ut hoc sic etiam tuto, & opinentur & credant. Ariani enim male sentientes animo, & consilio diabolico hoc confixerunt non Roma baptizatum eum esse asserentes, aut fortasse eadem cum illis sensisse asserentes, perinde atque ab ipsis propterea baptismi gratiam suscepit. Quod absurditatis & mendacii plenum est. Quod si nondum sacri lavacri particeps fuit, consequitur, eum neque in Nicæna synodo cum patribus congressum esse, neque cum eis mysteria participasse, sicuti historia tradit. Hæc ille. Et paulo ante, Quod autem Roma a Sylvestro sacratus sit, satis ostendit baptisterium quod ad hoc usque tempus eius rei gratia in testimonium certissimum Roma asservatur. Quæ duæ profecto rationes efficiunt, ut non temere iis accedam, qui Constantinum Romæ sacro tinctum lavacro ferunt. Quod si baptisterium tam insigni structum apparatu, si rerum veterum publica commemoratio, non solum habitantium animis, sed lapidibus etiam insculpta, nullum nobis argumentum est: iam iamque non dico quæ vetustatis in urbe monumenta sunt, sed quæ sunt in orbe maiorum traditione recepta, ire ea omnia inficias poterimus, quamvis indicia extent rerum, locorum, temporum manifesta. Ac nisi prius baptismi fuisset fonte sublatus, qui credi potest, Constantino episcopos aut culparum, & querimoniarum libellos obtulisse, aut, ut synodo & disputationibus interesset, permisisse? Baptizatus ergo ante synodum Nicænam fuerat Constantinus. Vbi hæreticorum industriam ac diligentiam in propaganda secta mirari satis non queo. Omnia quippe illi sus deque miscent, ut viri pietate insignes, præsertim si reges aut imperatores sunt, ipsorum partes fovisse videantur. Tanta vero arte id efficiunt, ut doctos etiam viros, nedum imperitos fallant. Eusebius porro Pamphili, vel quia Eusebio Nicomediensi cæterisque amicis credulum se præbuit, vel quia*

sectam, cuius apertissimus propugnator erat, hac laude & gloria voluit ornare, eius fabulæ primus auctor Christianis fuit. Huic enim scribenti Hieronymus, ac reliqui auctores crediderunt. Sed de Eusebii fide plura postea. Nam Constantiam Constantino fratri Arianum presbyterum insinuas- se, a quo vir religiosissimus seductus sit, hoc ut credam, quantum Constantiæ levitas, & inconstantia movet, tan- tum Constantini pietas & gravitas remorantur. Ac si pres- byter ille Arianus pium alias imperatorem quidem, sed po- testate, divitiis, honoribus, triumphis, meritis, secun- dis denique rebus omnibus insolentiorum factum decepit, ut Arium revocaret, Athanasium repellere (viris etenim bonis in rebus eiusmodi facile imponitur) non tamen adeo in errore processisse credendus est, ut Ariano ritu alte- rum baptismum Nicomediæ susciperet. Quamquam sunt qui existiment, qui per sororem falsum in fide Constantinum produnt, eos falsos nominis similitudine id patri attribuisse, quod filii scelere patratum est. Verum sive hoc modo, sive alio res habeat, illud tenendum est, nervos atque artus esse sapientiæ non temere credere, iis præsertim histori- cis, qui quoniam fidem divinam violarunt, fidei humanæ auctoritatem amiserunt. Sed de his capite sequenti accura- tius disseremus.

## CAPVT VI.

*Qui sint probatæ fidei auctores, qui contra non sint.*

**Q**uatuordecim argumenta superiore capite sigillatim re- futata sunt. Nunc quintumdecimum, 16. & 17. refelli oportet: quoniam hæc tria unum atque idem exqui- runt, quod supra sumus quidem in quadripartita divisione pollitici (1), sed cogitationibus multis variisque distenti, ter- tium

---

(1) Cap. 3.

tium eius divisionis membrum voluntaria quadam oblivione contrivimus. Quis enim auctor historiae probatus sit, tertio loco me scripsi dicturum, nec exsolvi quod promiseram. Quin operis instituti pene immemor factus sum. Eam quippe rem nitimur fere homines, aut ex memoria deponere, aut diu multumque protrahere, quam non libentes & voluntarii, sed invite & repugnanter aggredimur. Atqui licet non constituto tempore & loco, reddam tamen in praesenti, & cum scenore fortasse reddam, id quod me debere non inficior. Antea vero, quam de historicis utrisque & ecclesiasticis & profanis sententiam meam dico, illud est operae pretium quaerere: sint ne regulae aliquae, & quidam historiae quasi indices, quibus historici cuiusque fides ac veritas exploretur. Nam Ioannes Annius tres regulas ponit, easque Metasthenis testimonio confirmat, ad quas omnes Chronicorum libros expendere, & examinare haud secus atque ad Lydium lapidem debeamus.

*Prima, inquit, regula est ista. Suscipiendi sunt absque repugnantia omnes qui publica, & probata fide scripserunt. Secunda. Gesta & annales quatuor monarchiarum non possunt negari & rejici ab aliquo, quia solum publica fide notabantur: & in Bibliothecis, aut archivis servabantur. Vnde & in Esdra legitur, quod controversia de reparando templo diffiniebantur ex annalibus Persarum servatis in bibliothecis. Tertia regula. Qui solo auditu, vel per opiniones scribunt, hi tanquam privati recipiendi non sunt, nisi ubi a publica fide non dissentiant. Ex quibus colligit, quod nemo in Chronicis suscipiendus est, nisi annalibus quatuor monarchiarum concordet. Et in monarchia quidem Assyriorum, quia publica fide scripsit Berossus Chaldaeus, consequens est, ut in temporibus eiusdem monarchiae ipsi detur palma: & hunc secutis item ex Persis Metastheni, ex Graecis Xenophonti in aequivocis, & Archilocho & Eusebio. Reiciuntur a temporibus huius monarchiae ex Graecis Herodotus, Hellanicus, Acusilaus: ex Latinis Iustinus, Gellius & Orosius, qui contra publicam, & probatam fidem scripserunt.*

In secunda vero monarchia Persarum & Medorum auctor publicae fidei fuit Metasthenes Persa, & Ctesias Gnidius, ut in tertio libro Diodorus notavit. Reiciuntur Iosephus ex

Hebræis: & Clemens, Tatianus, Africanus, & Eusebius ex Græcis. Quia privatas opiniones secuti, contra publicam fidem notant reges & tempora, quæ in bibliothecis, & annalibus non fuerunt: & contra omnem publicam fidem scribunt, Cyrum ante dedisse licentiam Hebræis in Babylone captivis & mortuum, quam Babylonia Darius eius patruus potiretur. Proinde idem Eusebius, quoniam in tertia monarchia Græcorum, & in quarta Romanorum publicam annalium fidem sequitur, in utraque recipitur. Recipitur & Philo Hebræus, qui solus habuit Chronographiam omnium quatuor monarchiarum, & ideo solus ipse in temporibus ex Hebræorum scriptoribus recipitur. Qui non per opiniones, ut Iosephus, sed etiam 70. seniorum testimonio usus certissima scribit. Hæc Annii in 11. & 14. lib. hoc est, in Metasthenem Philonemque suos censet: fidenter sane, ut solent isti, nihil tam verens quam ne dubitare aliqua de re videretur. Sed videndum nobis, an in censura hac quantum securitatis est, tantum sit etiam veritatis. Nec vero libenter nos scriptorum, præsertim familiæ nostræ, vitia detegimus. Sed in publica studiorum causa nullo modo prævaricandum erat. Cum viderem itaque viros quosdam eruditos in his Annii præceptis, & exemplis hallucinari: necessarium existimavi, & regulas vanas esse ostendere, & falsa item regularum exempla. Principio igitur affirmare videtur Annii in quatuor tantum monarchiis scribas certos haberi solitos (2), quos resp. in id constituerit, ut gesta temporaque notarent. Horum annales in locis tutis asservari. Quemadmodum in bene institu-

---

(2) Nisi forte Annii sentit, gestat & annos quatuor monarchiarum non a privatis scriptoribus solere scribi: sed ab iis tantum, quibus resp. id muneris commisisset. Qui omnino sensus & falsior & absurdior est. Constat siquidem in omni monarchia privatos quosdam historicos etiam fuisse. Nam, ut de Cræca Romanaque taceamus, in quibus ea res verti in dubium non potest: Diodorus in 3. Ctesiam aliosque de rebus Babylonicis discrepantes inducit, nec hos Ctesia nec his Ctesiam præferendo. Quod certo indicio est nullum eorum publica auctoritate scripsisse. Primo contra Appion. Alex. libro.



tuta civitate videmus, quæ instrumenta scripturarum publica a tabellionibus obsignata custodiæ tutelæ committit. Verum illud non in quatuor solum monarchiis, sed in Phœnicum Ægyptiorumque rep. fieri solere, Iosephus auctor est 1. contra Appionem Alexand. libro. Nec omnes quatuor illæ monarchiæ huiusmodi rerum gestarum scribas, & annales publicos habuere, quibus rerum temporumque lites, si quæ essent exortæ, finirentur. Græcos siquidem hisce, & scriptoribus & annalibus caruisse, multo probabilius est. Sane ante olympiades Eusebius scribit, Græcam de temporibus historiam falsam credi: quod, ut cuique historico visum est, diversis Græci sententias protulerunt. At post olympiades non asserit eius generis annales a destinatis reip. ministris ad scriptos extitisse: sed id asserit, ex eo veram de temporibus Græcorum historiam credi, quo olympiades in usu esse cœperunt. Ac Marcus Varro, apud Censorinum libro de natali die capite 17. non aliud tradit, quam quod Eusebius, accepit, ante olympiades tempus *mutuiv* hoc est fabulosum extitisse, quia in eo multæ fabulæ referuntur. Cum olympiadibus verò cœpisse *isropiv*, quod res eo gestæ veris historiis contineantur. Itaque post olympiades Greci res vere gestas scribere orsi sunt, habitaque est deinceps apud eos quædam historiæ ratio, temporum convenientia, & historicorum nonnulla consensus. Atqui Græcorum remp. certos historiæ administros ex eo tempore constituisse, dicere Annius poterit, probare non poterit. Quin e contrario Iosephus bonus in primis auctor scribit, Græcos nihil firmiter scientes tradidisse, *Sed quod unusquisque, ait, optimatus est: hoc studuit explanare. Vnde etiam libri se invicem arguunt, & in multis Hællanicis ab Acusilao discrepat, Hesiodum corrigit Acusilæus, Ephorus Hællanicum in plurimis ostendit esse mendacem, Ephorum vero Timæus, Timæum qui post illum fuisse, Herodotum vero cuncti. Sed neque de Siculis rebus qui eas conscripserunt, neque rursus de Atticis hi qui Atticæ, neque de Argolicis qui Argolicæ memoria prodidere, consentiunt. Nam & Thucydides in multis etiam tanquam fallax accusatur, licet scrupulosissimam sui temporis historiam scripserit. Causa vero huius dissonantiæ ea præcipua est, quod non fuerit studium apud Græcos publicas de iis, quæ semper aguntur, præferre conscriptiones. Non*

*enim duntaxat apud Græcos alios publica conscriptio est neglecta: sed neque apud ipsos Athenienses disciplina cultores aliquid huiusmodi reperitur: Hactenus Iosephus. Qua ex re liquet falso Annius Iosephi testimonium usurpasse, ut probaret publicos Græcorum annales in templorum bibliothecis custodiri. Nihil enim tale Iosephus argumentatus est, quale illi tribuit Annius. Sed hoc argumentatur, quod a Cadmo literas Græci se accepisse gloriantur, id persuadere illos non posse: cum nulla inscriptio vel in templi parietibus, vel in vasis, statuis, cæterisque donis templo dicatis ex eo tempore relicta sit. At in his tamen post literas inventas aut deorum, quibus ea dona offerebantur, aut offerentium nomina semper inscribi sunt solita. Plutarchus quoque auctor, & ipse gravissimus affirmat (3), nullos sua ætate publicos Græcorum annales extare, præter nuncupatos canones temporales, quorum auctoritas parum apud eum valet, quod multarum rerum inventa in ipsis repugnantia tolli nequiverit, quamvis in ea re plurimi multum operæ studiique posuerint. Vanum igitur & commentitium est, in Græcorum regno & monarchia post olympiades eiusmodi historicos publica auctoritate diffinitos destinatosque fuisse. Illud autem vanius in hac monarchia solos Philonem atque Eusebium accipere, qui publicos probatosque annales fuerint secuti. Etenim Eusebius si eam auctoritatem suis Chronicis posset adiungere, nullo modo reticuisset, se huiusmodi annalibus inhærere. Philo vero Iudæus nec quatuor monarchiarum annales habuit, quod illi falso sineque ratione ac testimonio tribuit Annius, nec si habuisset, cuidquam nobis attulisset commodi. Nulla enim Philo aut rerum gestarum, aut temporum monumenta reliquit. Nam libellus, qui de temporibus inscribitur, cum fabularum plenus sit, nullius gravis auctoris est, nedum Philonis. Auctor certe eius libri non solum mendacia consecatur, sed adeo etiam historiæ rudis est, ut solos Hebræos, nec præterea quemquam de profanis scriptoribus legisse videatur. Sed hoc, nec ita multo post, satis abunde ostendemus. Nunc de Romanorum quoque annalibus*

pau-

---

(3) *In vitam Solonis.*

pauca dicantur. Quibus fuisse publicos annales olim, Cicero in secundo de oratore libro auctor est. *Ab initio*, inquit, *rerum Romanarum usque ad P. Mutium Pont. Maxim. res omnes singulorum annorum mandabat literis pontifex Maxim. efferebatque in album, & proponebat tabulam domi, potestas ut esset populo cognoscendi, ii qui etiam nunc annales maximi nominantur.* Primo item de legibus lib. inducit Atticum sic loquentem, *Nam post annales pontificum maximorum, quibus nihil potest esse (4) nudius, si aut ad Fabium, aut ad Catonem, aut ad Pisonem venias: tamen quid tam exile quam isti omnes?* Annales igitur isti pontificum maximorum a tempore P. Mutii intermissi sunt, illisque in historia Cato, Fabius Pictor, Pison alique successere graves omnino auctores quidem, sed sine publica auctoritate tamen. Nec vero audiendi sunt, qui huiusmodi Pont. Max. annales post P. quoque Mutium continuatos asserent, quod hec loco apud Ciceronem Atticus eos se vidisse significet. Videre autem nullo modo potuerit, nisi essent continuati: cum Livius priorum temporum pontificios annales incensa a Gallis urbe interuisse dicat. Non enim interuisse dicit omnes, sed plerosque. Qua ex re non fit, ut si in Livii manus annales isti pontificii non venerunt, quoniam rari ex incendio relicti sunt, ne in manus quidem Attici pervenisse existimemus, qui his quaerendis maiorem forte diligentiam, & curam adhibuit quam Livius. Quamquam codices eiusmodi non semper hominum diligentiae obveniunt, sed fortunæ. Annalium igitur Pont. Maximi post Pub. Mutium facta intermissio est. Etenim si ea Pontificum diligentia perseverasset, aut annales isti publici in bibliothecis templisque deorum extarent, nec tam multis locis animi penderet Livius, & annalium incertitudinem causaretur, nec adeo sæpe in notandis consulibus, consulumque etiam annis erraret. Nam errasse Enricus Glareanus perquam diligenter ostendit: dubitasse de personis frequentissime Fabius Quintilianus ait. Ac decad. I. lib. 6. Livius ipse, quæ a condita urbe Roma ad captam eandem a Gallis urbem, id

est,

---

(4) *Alii incundius legunt, sed perperam & ad sensum Ciceronis parum apte.*

est, ad olympiadem 97. quinque libris exposuerat, ea obscura & parum constantia queritur: tum quod perraræ per eadem tempora literæ fuerint, tum quod etiam si quæ in commentariis Pontificum aliisque publicis privatisque erant monumentis, incensa urbe pleræque interierint. Et rursum in 8. lib. posteaquam historicorum Romanorum varias discrepantesque sententias posuit, *Nec facile est, inquit, aut rem rei, aut auctorem auctori præferre. Vitiata memoriam funebribus laudibus reor, falsisque imaginum titulis: dum familia ad se quæque famam rerum gestarum honorumque fallente mendacio trahunt. Inle certe & singulorum gesta, & publica monumenta rerum confusa: nec quisquam æqualis temporibus illis scriptor extat, quo satis certo auctore stetur.* In libris quoque 9. & 10. ut loca alia præmittam, satis ille aperte docet, quam nullos habuerit certos probatosque annales, quos in scribendo sequeretur. Dionysius etiam Halicarnaseus se eiusmodi annales publicos minime consecutum haud obscure significat. Cum enim historiæ suæ fidem conciliare cuperet, & veteres scriptorum Romanorum historias se consuluisse testaretur, eorum vel maxime, qui gravissimi, & nobilissimi fuerint habiti: horum tamen annalium publicorum nullam omnino mentionem fecit, factururus sine dubio, si adeo magnam ac certam auctoritatem suo posset operi adicere. Quid multa? Iulius Cæsar, auctore Tranquillo (5), inito consulatu primus omnium instituit, ut tam senatus, quam populi diurna acta conficerentur & publicarentur. Quo Satyricum illud attinet. *Cupient & in acta referri:* Plinianum item illud, *Milon: causam dicente lictoribus coctis pluisse in eius anni acta relatum est.* Veterem ego Pont. Maxim. morem, qui iandiu fuerat interruptus, Iulius Cæsar primus omnium renovavit. Nec me præterit, Romanis quondam libros quoque liateos fuisse, qui nihil fere præter consulum, & magistratum nomina continebant. Sed neque hos Livius vidit, quoniam incensa urbe forte hi etiam perierunt, neque ita horum auctoritate permotus est, ut non eos interdum ab aliis citatos neglexerit. Quin Macrum Lici-

nium

---

(5) *In vitam Iulii Casaris.*

nium cum libris linteis suis aliquando coarguit. Imo vero & Tuberonem, & Licinium refert indiscrepanti opinione utrumque libros linteos protulisse. Vt intelligas libris istis linteis quam tenuem & exilem fidem haberet Livius. Quibus ex rebus facile Annius refellitur, qui circa finem commentariorum in Philonem suum astruit, Titum Livium publicos annales Romanæ monarchiæ secutum esse, huiusque Philonem vestigiis instituisse. Vbi multum omnino de gradu Philonem suum deicit, qui si publicos omnium monarchiarum annales habuit, ut paulo ante Annius dixerat, imprudenter sane ac leviter Livium secutus est: quem constat, primum nullos publicos annales habuisse: deinde in plerisque dubitasse, denique errasse in multis, & ita errasse, ut errorum quorundam ab aliis evincatur, quorundam ipse etiam se arguat. (6) Nec patiar ut quisquam mihi Flavium Vopiscum Syracusium opponat, qui in vitam Probi fatetur, se usum libris ex bibliotheca Vlpia, registris etiam scribarum porticus porphyreticæ, actis demum senatus ac populi. In vitam vero Aureliani scribit, Aurelianum in libris linteis, quam in Vlpia bibliotheca erant, ut quotidiana sua acta scriberentur præcepisse. Multo vero minus illud feram, ut mihi Diodorus opponatur, qui in primo libro asserit ex veteribus annalibus gesta se ac duces Romanorum cognovisse. Flavius quippe nihil nisi libros linteos restitutos diligentiamque Pont. Maxim. non antiquam illam, sed a Julio Cæsare primum instauratam affert: Diodorus autem non affirmat se publicos Romanorum annales nactum esse, sed veteres. At hi in privatis monumentis esse potuerunt. Nihil igitur afferunt, qui in Græcorum Romanorumque monarchiis publicos fuisse annales aiunt: ad quos cæteras oporteat historias revocare, ut si iis consentiant, approbentur, reprobentur, si dissentiant. Ostensum est enim, nullos neque e Græcis, neque e Romanis publicos annales extare, atque adeo nullos auctores esse, qui secundum eiusmodi annales Græcorum, Romanorumque scripserint aut res gestas, aut tempora. Nisi forte in uno aut altero loco au-

tor

---

(6) Vide decad. 3. lib. 9.

Etor quispiam assermet, se eam rem, quam scribat, ex libris  
 linteis, aut elephantinis actisve publicis excepisse. Atqui ex  
 una parte de tota historia iudicare stultissimum erit. Præ-  
 terquam quod si quis suam historiam dicat publicis huius  
 aut illius monarchiæ annalibus consentire, non continuo pu-  
 blicam eius monarchiæ auctoritatem habet. Alioqui facile  
 ac promptum cuique erit, ad omnem etiam fabulam legen-  
 tium conciliare uno mendacio dicendo fidem. Id quod Phi-  
 lo historicus apud multos obtinuit, qui in historiis suis om-  
 nia tempora quadrasse ad veros quatuor monarchiarum an-  
 nales plerisque sine omni & ratione & testimonio persuasit.  
 Historicum dixi: nam verus ille Philo gravissimus philoso-  
 phus, idemque theologus eruditissimus ut ab impudentia,  
 & mendacio, ita quoque ab historia scribenda alienus fuit.  
 Eusebius enim Hieronymus, ac Suidas, qui Philonis opera  
 diligentissime enumerarunt, nullum opus habent, in quo  
 Philo res gestas regni cuiusquam temporaque notarit. Ita  
 doctis omnino viris *liber ille de temporibus* inscriptione pla-  
 ne eminenti videtur esse suppositus. Quæ res manifestis  
 quoque argumentis evincitur. Primum illud est, quod li-  
 belli eius auctor scribit: stirpem Salomonis in Ochozia defe-  
 cisse, & Ioas, qui illi in regno successit, non de Salomonis,  
 sed de Nathanis fuisse progenie. Quod quam falsum sit, e  
 sacris literis facile patescit. Quarti enim libri regum cap. 11.  
 ita legitur. *Athalia vero mater Ochozia videns mortuum filium  
 suum, interfecit omne semen regium. Tollens autem Iosaba filia  
 regis Ioram soror Ochoziae Ioas filium Ochozia, furata est eum de  
 medio filiorum regis, qui interficiebantur, & abscondit eum a  
 facie Athalia, ut non interficeretur.* Et cap. 12. *tulit Ioas rex  
 Iuda omnia, que consecraverant Iosaphat & Ioram, & Ocho-  
 zias patres eius, &c.* Et cap. 13. *Anno vicesimo tertio Ioas filii  
 Ochozia regis Iuda, &c.* Item secundi Paral. cap. 22. *Nec erat  
 ultra spes aliqua ut de stirpe quis regnaret Ochozia, &c.* Est  
 denique in hanc rem præclarum illud testimonium, con-  
 tra quod nullus est ad tergiversandum locus, e primi li-  
 bri Paralip. capite tertio, ubi in posteritate Salomonis,  
 verbis nihil obscuris recensetur Ioas filius Ochoziæ. Id  
 quod Matthæus explicite confirmat inquam, *Iosaphat ge-  
 nuit Ioram, Ioram autem genuit Oziam, Ozias autem genuit*

*Ioathan, Ioathan autem genuit Achaz, Achaz autem genuit Ezechiam.* Generatione ergo & natura Ezechias filius erat Iosaphat, ac proinde Salomonis, ut Matthæus ait: & non Davidis edicto in filium deputabatur, ut asserit Philo. Ecquis igitur eos ferat, qui contra apertissima scripturæ sacræ testimonia stirpem Salomonis in Ochozia defecisse asseverant? Sed ne hic quidem *ψόδιζον*. ille Philo finem mentiendi facit. Tradit quippe & id rursus, quos scriptura filios Iosaphat fratresque Ioran appellavit, eos non vere filios Iosaphat germanosque Ioran, sed Nathanis posteros fuisse. Quod ut mireris, imo execreris etiam, verba subscribenda sunt, quæ secundi Paral. libri cap. 21. leguntur. *Dormivit, inquit, Iosaphat cum patribus suis, & sepultus est cum eis in civitate David: regnavitque Ioran filius eius pro eo, qui habuit fratres filios Iosaphat, Azariam, & Iabiel, & Zachariam & Azariam, & Michael & Saphatiam. Omnes hi filii Iosaphat regis Iuda. Deditque eis pater suus multa munera argenti & auri, & pensiones cum civitatibus munitissimis in Iuda. Regnum autem tradidit Ioran, eo quod esse primogenitus. Surrexit autem Ioran super regnum patris sui. Cumque se confirmasset, occidit omnes fratres suos gladio.* Quo in loco quæ potest esse tergiversatio, quæ tanta interpretandi licentia, quæ tam magna comminiscendi livido, imo vero quæ tam insignis impudentia, ut eos filios Iosaphat verosque germanos Ioran fuisse negemus, quos non sic modo scriptura vocat, sed reddit etiam causam, cur germanos fratres intelligi necesse sit? *Ioran, ait, fratres habuit filios Iosaphat: ne aliunde fratres existi mares.* Idque etiam ne dubitare posses, iterum atque iterum repetit, *Omnes hi filii Iosaphat regis Iuda. Deditque eis pater suus munera multa, regnum autem tradidit Ioran, eo quod esset primogenitus.* Quid autem illa commemorem, quæ sine omni sacro & profano testimonio, sineque ulla rationis coniectura Philo iste falsus comminiscitur? Ortam litem inter filios David ex Bethsabee, Davidis edictum de posteris in regnum quodam ordine successuris, a rege Ioas omnes sequentes binomios trinomiosque etiam fuisse, a desolatione ad carceres Ioachim viginti annos interfluxisse, Mardocheum decem & octo annis ætatem Isaac superasse, Machabæos simul cum pontificatu etiam ducatum a domo Da-

vid subripuisse, unde inimicitias exortas, multaque alia eiusmodi, quæ partim commentitia sunt, partim sacris etiam literis adversa. Quid? quod vel in humana historia Philo iste adeo sæpe delirat, ut facile dicenti ipsi credas, se in ultimo anno ætatis suæ decrepitæ libellum illum scripsisse. Scribit siquidem anno Cyri secundo Aggæum & Zachariam prophetasse. Item ob mortem Darii Histaspis opus esse impeditum, nec adiri potuisse Cyrum, qui bello Tamyrico erat implicitus. Item Cyro Assuerum Priscum Arthaxerxem successisse, qui & plusquam 12. annos imperarit, & Hofernem in Iudæam miserit. Item hunc duos filios habuisse, qui de imperio contenderint, sed cum alter eorum, hoc est, Darius Longimanus victoriam fuisset consecutus, in eius primo anno Iesum hortantibus iisdem prophetis templi ædificium aggressum. Quæ omnia falsa esse, & historicis probatis omnibus vehementer repugnantia, quis non videt? Itaque miror quid in mentem Annio venerit, ut eum librum, qui de temporibus inscribitur, in quo multa false, pleraque absurde, nonnulla contra scripturam etiam dicuntur Philoni attribuerit viro doctissimo & prudentissimo. Quis enim credat Philonem, Xerxem illum Persarum regum omnium apud Græcos celeberrimum ignorasse? Darii Histaspis cum Dario Medo Cyri avunculo confudisse? Assuerum illum, qui opus templi impedit, patrem Longimani existimasse? Nempe in eos errores solus ille posset incurrere, qui utriusque literaturæ & sacræ & profanæ rudis omnino & imperitus esset. Non ergo Philo Iudæus, cuius ingenium, eruditionem, faciundiam, celebravit antiquitas, auctor illius libelli fuit: sed homo quispiam sine ulla bona arte, sine eloquentia, sine ingenio, sine literis. Nullo certe loco Philo iste falsus platonizat, sed ubique non modo indocte & indiserte, verum inculte etiam atque inornate loquitur. Sed ut eo, unde digressa est, recurrat oratio, cum monarchiæ Græcæ atque Romanæ nulli nunc publici annales extant, nullique omnino auctores, quorum historiæ ad illiusmodi annales conveniant & quadrent: nimirum in his duabus monarchiis regulæ Anni nulli penitus usui futuræ sunt. Sed & in prioribus duabus monarchiis mihi sane videntur otiosæ, ad omnemque usum prorsus inep-



tæ. Nam tametsi Medos ac Persas publicos annales *asservatos* habuisse sacræ literæ prodiderunt (7), Babylonii etiam publicæ auctoritas historias fuisse, non Iosephus modo testatus est, sed auctores alii nobilissimi; eiusmodi tamen annalibus nos hodie caremus, omnique etiam historico, quem hosce annales secutum esse certum atque exploratum sit. Berosum fateor, quoniam valde probabile est, auctoritate publica Chaldæorum historiam edidisse. Metasthenem vero publicum Persarum historicum fuisse cur fatear non video, quem res Indicas scripsisse, & in Plinio (8) & in Iosepho (9) legi, res Persicas non legi. Sed quoniam non in hoc contentionis summa impendit, demus illud Annio gratis. Sicut & id quoque, Ctesiam Gnidium in Persarum & rebus gestis & temporibus accipiendum esse. Videlicet apud Diodorum in tertio Ctesias ipse testimonium perhibet, Græcis se veros certosque annales Persarum ac Medorum attulisse. Hoc igitur, quoniam Ctesias de se dicit, credamus illi. Nam Lucianus Ctesiam Gnidium ait de rebus Indicis scripsisse ea, quæ nec ipse viderit, nec de alio narrante audierit: itaque fabulæ esse. At donemus hæc interim, nec enim de omnibus certandum est. Illud agamus, quos libros Berosi & Metasthenis nomine inscriptos Annius protulit, eos nec Berosi esse nec Metasthenis.

Berosum porro Annianum non verum esse, sed fictum, Raphael Volaterranus libro *Anthropologiae* 14. animadvertit (10). Cui Ludovicus Vives (11) pluresque alii viri doctis-

M 2

si-

(7) *Esther* 2. 6. & 10. Et 1. *Esdr.* 4. & 5. & 6. cap.

(8) *Plinius* in 6. cap. 17. & in 7. cap. 2.

(9) *Iosephus* lib. 10. *antiq. Iud.* cap. 12. & 1. *contr. Appion.* lib. Ctesias Gnidius apud Diodorum nullius Persarum regis mentionem facit. Regum Medorum tantum seriem ponit, & in ea Mandanem quemdam, quem historia omnes ignorant, iure ut videtur quidem: quoniam nomen femina potius est quam viri.

(10) In 1. lib. *de veris* narrat. statim a principio.

(11) *De trad. dis. lib.* 5. & in *proæmio in librum* 18. *de Civit. Dei.* Faber Stap. in *primum lib. Poli. Arist. lib.* 2.

simi assentiunt. Quæ mihi res argumentis idoneis videtur confici posse. Primum, quod Berosus iste Annianus scribit, Noe præter tres primores filios Sem, Chan, & Iaphet plures alios post diluuium genuisse: quod sacris literis videtur esse contrarium. *Tres isti, inquit, filii sunt Noe, & ab his disseminatum est omne genus hominum super universam terram.* Non ergo alii filii Noe fuerunt, qui colonias orbis terrarum præcipuas Noe iubente constituerint. Refert deinde, cum Noe ebrius iaceret, Chan illius virilia comprehendisse (12), ac tacite submurmurando carmine magico patri illudentem, sterilem eum perinde ac castratum effecisse. Scribit præterea (13) Noe in Italiam venisse, naturaliumque & divinorum libros conscriptos Italis reliquisse: eundem quoque Noe Ianum illum estitisse, qui primus in Italia imperarit. Item Nemrot magis studuisse, paci religionique deorum, quam opulentia, ideoque translatum a diis subito non comparuisse. Quæ commenticia esse omnia facile ostenderem, nisi quod plus etiam nimio huius voluminis magnitudo crevit. Item ait (14), hunc ipsum Nemrot Assyrium, Medum, & Magogum in Asiam misisse, qui regna condiderint Assyrium, Medum, & Magogum. At hi cum essent filii Iaphet, vel patre, vel avo præcipiente credibilius est colonias deduxisse: vel certe, ut Geneseos undecimo capit. dicitur, is ipse Deus qui divisit linguas eorum in Babel, inde dispersit eos super faciem cunctarum regionum. Præterea narrat (15), Semiramidem Babylonem urbem maximam ex oppido fecisse, & magis illam ædificasse, quam ampliasset. At verus e contrario Berosus apud Iosephum in primo contra Appionem Alexandrinum libro, scriptores Græcos reprehendit, qui falso tradiderint a Semiramide Babylonem ædificatam, & mira opera ab illa circa hanc fuisse constructa. Ad hæc Berosus Annianus prodit (16), Cencrem Ægypti regem Hebræorum magica in mari pe-

riis-

---

(12) *Genes. 9.* (13) *Lib. 3. Omnia qua de antiquitate sapientia nostra, que eadem Indæorum fuit, Iosephus, Eusebius & Augustinus disputant, vana sunt: si hæc vera sunt.* (14) *In 4. In 5.* (15) *In 5.* (16) *In 5.*

riisse. Quod utique nullo esset modo a Iosepho prætermissum, (17) qui cum Hebrææ gentis antiquitatem adversum Græcos conaretur ostendere, nullum aut prius aut antiquius expressum testimonium potuit Berosi proferre, quam ex 3. libro Caldæorum, ubi Nabuchodonosorum scripsit templum Iudæorum civitatemque vastasse. Berosus insuper Annianus nullam nec aperte, nec obscure Abrahami mentionem facit. At Berosus ille verus, ut Iosephus auctor est (18), Abrahami implicate meminit his verbis. *Post diluivm autem decima atate apud Chaldaeos erat quidam iustitia cultor vir magnus, & sideralis scientia peritus.* Præterea Berosus Senacherib regis Assyriorum gesta commemoravit, quemadmodum Iosephus (19) Hieronymusque (20) testantur. At in Beroso Anniano nulla Senacherib commemoratio est. Præterea, fictus iste Berosus in Ascatade decimo octavo Assyriorum rege finem historiæ suæ fecit; postquam tamen viginti alii reges usque ad Sardanapalum Babyloniis imperarunt. Sed hos tamen Berosus non omisit, quin eos etiam annumeravit, qui Nabuchodonosoro Nabulassari filio usque ad Cyrum in imperio Babylonio successere, ut Iosephus contra Appion. libr. 1. Divusque Hieronymus in Danielis 5. caput affirmant. Atque Metasthenes Annianus, cum triginta octo Assyriorum reges a Saturno ad Sardanapalum numerasset, tempusque etiam regni cuiusque eorum subiecisset, in his omnibus se Berosum sequi, atque adeo eius se verba exscribere testatus est. Nec vero dici potest libellum istum de antiquitatibus fragmentum esse Berosi, non integrum opus, quoniam vel Annius ipse nobis tanquam integrum opusculum venditavit. Manethon quoque Annianus aperte dicit se inde historiæ exordiri, ubi finem historiæ suæ Berosus fecit. Ita in supplemento Manethon decem & octo regibus Berosi quatuordecim alios adiecit, quos si a Beroso accepisset, nullo pacto inficiaretur. Fictus est ergo Berosus iste Annianus, non mancus. Quid? quod apud auctores

ve-

---

(17) 1. cont. Appion. lib. (18) Lib. 1. an. Iudai. cap. 15.

(19) Lib. 10. antiq. Iudai. cap. 1. (20) In Isaiam cap. 37.

veteres Berosus non Ægyptiorum, non Lybicorum, non Celtiberorum, non Itolorum, non Germanorum, sed Chaldæorum scripsit historiam. Annianus vero iste æque horum omnium regnorum historicum se præbet. Nullum certe probatum auctorem inuenies, qui Berosum nisi in rebus Chaldaicis testem excitet veritatis. Atqui, si auctor gravissimus res alias escripsisset, sine dubio in eis ab aliquo vel Hebræo, vel Græco, vel Latino auctore aliquando citaretur. Sed nescio an Berosum istum satius fuisse nulla argumentatione conficere. Res quippe ita priscas memoriæ prodit, ut licet falsas intelligere per tui animi coniecturam possis, arguere tamen per illarum vetustatem nimiam non possis. In rebus enim eiusmodi quo quisque improbius est, eo maiorem habet fingendi licentiam: adeo ut de libris quidem totis & auctoribus, quemadmodum ait Fabius, mentiatur tuto, quia inueniri qui nunquam fuere non possunt: de rebus autem ipsis, vel tutissime mentiatur, quia nulli testes produci queunt, qui non sint pueri, si contra veterimos proferantur. Quia in re cum Episcopus quidam nostros deprehensus esset sæpe peccasse (eos enim auctores citarat interdum, quos nulla unquam habuit ætas: eas res olim gestas scripserat, quas nulli homines ediderunt) respondit, referre nihil, in historia sic an aliter omnino sentias, quod omnia essent ambigua, nisi quæ sacris literis continerentur. Indigna quidem Episcopo, eoque Theologo sententia. Nam rusticus homo & vanus si hæc dicat, non est mirum. Sed ut eo revertamur, unde discessimus, facilius dico esse, Berosum istum Annianum contemnere, quam refellere. Nam viris doctis ipsa libelli lectio satis magna persuasio est: indoctis persuadere nihil attinet. Suo Beroso fruuntur licet. Quem solum de temporibus inscriptionum quarundam, per annos quadringentos octoginta ante Ninnum & Phoroneum supputasse, Annius ait Plinium tetigisse. Cum Plinius tamen nihil aliud tradat, quam Berosum usque adeo astrologia enituisse, ut Athenienses ei ob divinas prædictiones publico in gymnasio statuam inaurata lingua stauerint. Fruuntur itaque, ut dixi, Beroso suo: sed Plinii auctoritate non fruuntur. Imo ne probabili testimonio ullo quidem, aut ratione aliqua consentanea. Illa enim ridicula est, Hieronymum Berosi huius verbis quandoque uti. Quasi vero

commento locus esse posset , nisi Berosus iste fictus veri Berosi quædam verba compilasset.

Sed iam Annii Metasthenem quam fieri poterit brevissime explodamus. Non autem persequar errata minuta , quæ in parvo volumine plura sunt. Tantum quæ sunt maiora videamus. Scribit igitur monarchiæ Persicæ reges & tempora in hunc modum. *Balt Assare interfecto , regnaverunt simul Cyrus & Darius annis duobus, inde solus Cyrus duobus & viginti. Filius Darii Priscus Arthaxerxes Assuerus annis viginti: ultione interea sumpta de factione Tamarica qua per dolum patrum tradiderat Tamyra: huius duo filii Cyrus Arthabanes & Darius Longimanus septem mensibus pro imperio dimicaverunt, & septimo mense Longimano victoria cessit: regnavitque annis septem & triginta. Eius filius Darius Nothos annis decem & novem. Magnus Arthaxerxes Darius Mennon annis quinquaginta quinque, Arthaxerxes Ocbus sex & viginti: nostra atate Aises annis quatuor, Darius ultimus sex.* Hos quoque reges, & tempora eodem ordine eisdemque pene verbis Philo Annii notavit, ut eundem fuisse utriusque fabulæ artificem suspiceris vel potius intelligas. Hoc solum addit Philo, videlicet ex Hebræorum officina, Assuerum istum Nabuchodonosorum esse, cuius res gestas Judith scribit historia. Illud autem in primis rego, ecquis iste est Priscus Arthaxerxes Assuerus, qui patrem habuit *Darium*, patrum Cyrum, qui Cyro in imperio successit, qui viginti annos regnavit, qui & Nabuchodonosorus fuit, cuius exercitum, Principemque militiæ Holofernem mulier una deturbavit, qui denique duos filios sortitus est *Cyrum Artabanum & Darium Longimanum*. Sane *Cambysen* respondent esse. Id namque *Metasthenes paulo* ante scripserat, *Cyrum & Darium*, sex annos prius, quam *Babylonem* caperent, bellum *Tamyra reginæ* illaturos regnum Persicum *Cambysi filio* resignasse. Id etiam historicorum omnium consensione proditum est, *Cambysen* statim a *Cyro Persarum imperium* tenuisse. Assuerus ergo iste idem, qui & *Cambyses* fuit. At vero quæ in *prisco Assuero* sive adiuncta, sive antecedentia consequentiaque ponuntur, adeo sunt a *Cambyse aliena*, ut etiam contraria esse videantur. Primum enim *Darius Cambysis pater* non fuit, sed *Cyrus*. Id quod non *Herodotus modo, Iosephus, Hieronymus, sed universi scriptores Græci Latini*

tinique testantur. Cuius omnino rei illud quoque argumētum est, quod Cyri parenti Cambyses nomen erat, ut historici uno ore dixerunt omnes. Darius autem nullum maiorem habuit, qui Cambyses vocaretur. Consentaneum est ergo Cambysem filium Cyri fuisse, non Darii. Præterea si Cambyses Darii filius fuit, certe Dario mortuo in regnum patris successisset: at Dario mortuo Cyrus solus Persis ac Medis vigintiduobus annis imperavit, ut etiam Metasthenes & Philo confessi sunt. Non ergo Darii filius Cambyses fuit, sed Cyri, cui in imperio successit. Præterea cum monarchia a Medis in Persas per Cyrum fuerit translata, ecquo pacto verisimile fit, filium Darii Medi in monarchiam successisse, filium Cyri Persæ non successisse? Sed quid ego demens eam rem conor argumentis demonstrare, quæ cum ex historiarum fide pendeat, historicis omnibus consentientibus memoriæ prodita sit? Nihil profecto necesse est contra eum ratione pugnare, quem omnium, & ecclesiasticorum & profanorum auctoritas vincit. Simile est quod deinde subiicit, Cyrum patrum fuisse huius Assueri. Fuerunt igitur Cyrus Persa, ac Darius Medus germani fratres, quod cum ratione etiam pugnat. Atque auctores universi alios parentes Dario Medo, alios Cyro Persæ fuisse scribunt. Quod rursum tertio loco addit, Assuerum istum 20. annos imperasse, illud historiis item omnibus adversum est. Apparet autem in hoc esse confictum, ut historia libri Iudith sub isto scripta videatur, id quod Eusebius in chronicis magis refert quam sequitur. Traditio quippe Hebræorum est, quæ nec idoneo testimonio, nec probabili ratione consistit. Iosephus sane repugna, qui libro Iu. an. 11. cap. 2. Cambysem ait septimo anno regni sui mortem oppetiisse. Sed & Eusebius Cambyssi octo solum annos imperii tribuit. Herodotus vero septem annos & menses quinque. At Nabuchodonosorus, qui in libro Iudith commemoratur, plures etiam quam 13. annos imperavit, ut cap. 2. habes. Non ergo Cambyses Nabuchodonosorus ille fuit. Præterea omnes historiæ produnt & Cambysem & Cyrum, cui ille in regno successit, reges Medorum Persarumque fuisse. At Nabuchodonosorus libri Iudith nusquam aut Medorum aut Persarum rex, sed ubique & Assyriorum fuisse, & regnasse in Ninive civitate mag-

na dicitur. Adhæc si Cambyses Mediæ rex erat, ut vere erat, quomodo Nabuchodonosorus is fuit, qui Arphaxat regem Medorum obtinuit? Nempe quamvis fingere nostro arbitratu libeat, id quod Philo Annius facit, Arphaxat factionis Tamyricæ fautorem Assyrios, Medos, ac Persas ad defectionem compulisse, at non proinde tamen regem eum Medorum scriptura appellaret. Pari enim ratione Persarum, Assyriorumque rex Arphaxat iste vocaretur. Quid? quod Nabuchodonosor tum etiam rex Assyriorum fuisse dicitur, cum Arphaxat regem Medorum superavit. Quale ergo Philonis commentum est, Arphaxat cum Persis ac Medis Assyrios quoque ad defectionem compulisse? Præterea Arphaxat ille, contra quem Nabuchodonosorus depugnavit, civitatem Mediæ florentissimam condidit, cui nomen Ecbatana, ut Iudith primo capite legitur. At civitas hæc multis ante Cambysem annis erat ædificata, a Diocle videlicet, quinto Medorum rege, quemadmodum Eusebius testatur in chronicis, idemque in 1. libro Herodotus. Nec excidit mihi scripsisse in tertio Diodorum, Ecbatana ante Semiramidem condita, in quibus regiam quoque illa ædificavit: Plinio vero in 6. cap. 14. Seleuci ædificium esse. Verum, quoniam non consulto, sed casu in huius rei mentionem incidi, satisfaciam utrique quasi præteriens quam brevissime. Diodorus primum sæpe ac multum in historia nugatur. Eandem certe habuit, ut cæteri Græci, mentiendi libidinem. Quid enim levius in mentiando, quam Græciæ regio vana, & ad omnem impulsus mobilis? Nisi forte Diodorum defendit titulus libri eius, qui nunc unus extat, de antiquorum fabulosis gestis inscriptus, qui quoniam inscriptioni suæ ipse respondet, neminem fallit. Quod enim promiserat, idem exsolvit. Nam quod Plinius in præmio totius operis asserit, Diodorum apud Græcos primum desiisse nugari, id facile ex orationis Plinianæ contextu intelligitur non ad historiarum falsitatem, sed ad inscriptionum vanitatem pertinere. Græci enim auctores inanes ventosasque inscriptiones libris suis passim præponebant. At Diodorus, ut Plinius ibi refert, librum suum nullo levi vanoque indice invidiosum fecit, ut priores, sed bibliothecæ historiam inscripsit. Non ergo Diodori nos urgebit auctoritas, si quæ de Semiramidis magnificentia, &

in Ecbatanis extracta regia Græcis fabulis decantata sunt, ea ipse vel retulerit, vel etiam fuerit secutus. Plinius vero iis, qui urbes præclaras condiderunt, nobilitandis sæpe fallitur. Sed ad rem. Cum Arphaxateum, qui Ecbatana ædificavit, ante Cambysem fuisse certum, exploratumque sit: fieri non potest, ut Cambyses Nabuchodonosorus ille intelligatur, qui ab Arphaxat Ecbatanarum conditorẽ victoriam reportavit. Præterea Ninive tempore regni Persarum a Babylonis vastata fuerat, ut Nahum vaticinatio indicat. Nec Persis monarchiam occupantibus regum proprium hæc civitas habuit. At Nabuchodonosorus, cuius in libro Iudith mentio est, regnabat in Ninive civitate magna: non igitur quæ Iudith historia refert, ea sub Cambyse, sed, ut vere Carion sentit, ante Persarum imperium gesta sunt. Nec ut ab hac sententia discedam, Archioris me verba movent, quæ cap. 5. referuntur. Quoniam ante insignem illam captivitatem Babylonicam afflixit aliquoties Dominus omne semen Israel, & tradidit eos in manus diripientium nunc Ægyptiorum, nunc Syrorum, nunc Assyriorum, nunc Moabitarum, & Ammonitarum, donec tandem proiecit eos a facie sua. Quia vero in varias regiones captivi adducti sunt, sed brevi tempore reduxit eos Dominus in terram suam, idcirco non libris Regum eiusmodi minus celebres captivitates silentio premuntur. Nam & Iudic. cap. 18. cuiusdam captivitatis mentio fit, quam Caietanus vere, ut ego sentio, dicit in libris Regum prætermissam. *Non enim, ait, omnia scripta sunt. Non itaque Achior de captivitate illa insigni Babylonica loquitur: sed de alia quapiam. Iudith porro atate templum Hierosolymitanum non erat eversum, nec civitas ipsa vastata. Iterum ait, possident Hierusalem ubi sunt sancta sanctorum.* At regnante Cambyse & eversum templum erat, & nondum civitas instaurata. Manet igitur ea, quæ ipsius Iudith narrat historia, non esse ad Cambysem referenda. Merito igitur Assuerum istum priscum Arthaxerxem negant ullum fuisse quidam: quoniam re vera, qualem Metasthenes Philoque describunt, nullus fuit. Qui etiam si fuisset, si a Cyro statim imperavit, Longimani profecto parens non fuisset. Ecquis enim dubitet, post Cyri & Cambyse regnum Darium Histaspis Persarum dominationem adeptum, cui Xerxes filius in imperio successerit?



Nimirum id Herodotus, Iustinus, Orosius, cæterique scriptores profani tradiderunt, atque universi etiam veteres ecclesiastici Iosephus, Clemens, Aphricanus, Hyppolitus, Eusebius, Hieronymus. Hieronymus certe eam rem non tanquam dubiam & incertam, sed tanquam perspicuam atque constantem prodidit in Danielis caput septimum, inquit. *Tres ordines qui erant in ore bestia, quidam tres reges post Cyrum fuisse Persarum autumant, & qua illis sunt nomina reticent. Nos vero cum post Cyrum, qui regnavit annis 30. sciamus apud Persas regnasse Cambysem filium eius & fratres Magos, & deinceps Darium: cuius secundo anno captum est edificari templum in Hierusalem: Quintum, Xerxem filium Darii: Sextum, Arthabanum: Septimum, Arthaxerxem Longimanum: Octavum, Xerxem Novum, Sogdianum: Decimum, Darium norbum: Undecimum, Arthaxerxem Memnonem: Duodecimum, Arthaxerxem Ochum: Tertiumdecimum, Arsem. Ochi filium: Quartumdecimum, Darium Arsani filium, qui ab Alexandro superatus est: quomodo tres reges Persarum fuisse dicimus? Hactenus Hieronymus. Sane si in regum Persarum serie, aut fratres Magos, aut Arthabanum, aut secundum Xerxem sive Thucydides, seu quisquam alius historicus præterierit, nihil mirum esse debet: quoniam illi vel brevissimo tempore imperarunt, vel certe eo quoque brevi tempore de imperio cum aliis contenderunt. At Darium Histaspis & Xerxem filium eius, qui potentissimus rex atque ditissimus adversum Græciam innumerabilem duxit exercitum, & ea gessit, quæ Græcorum & Latinorum, Gentilium, ac fidelium historiæ narrant: hos inquam duos tam excellentes ac præclaros reges silentio transire extrema ignorantia, ne dicam impudentia est. Etenim hos in Persia regnasse, si quis neget, negare etiam poterit Constantinum, Theodosiumque Romæ imperasse. Non enim plures gravioreque historici hoc, quam illud affirmant. Atque Herodotus & Thucydides de his videlicet sui sæculi regibus ita loquuntur, ut non res auditas, sed visas narrare videantur. Nec si historiæ suæ Herodotus fabulas miscet, idcirco fides illi abroganda est in rebus sui temporis publicis, & manifestis, in quibus nullus erat fictioni locus. Alioqui Plutarchus, qui minimos quoque errores Herodoti persecutus reprehensione est, hunc, quoniam erat maximus, pos-*

simum insc̄taretur. Credamus itaque potius Herodoto, Thucydidi, Iustino, Orosio, Aphricano, Eusebio, Hieronymo, Iosepho cæterisque auctõibus probatissimis, quam Metastheni huic non veteri & erudito, sed recenti, rudi, sine sensu, sine sapore, ignoranti, atque adeo impudenti. Nempe qui polliceatur scripturum se regum Persarum tempora, ut in annalibus publicis liquide & vere digesta sunt, Reges quoque & nomina quam apud eos splendidissime regnatum est: & tamen eos reges omittat, qui in Persis magnificentissime atque amplissime regnaverunt. Nec me fugit, Ioannem Carionem operose etiam contendisse ut inter Eusebium, Hieronymum, ac reliquos auctores graves, & Metasthenem Persam istum nulla esse repugnantia videretur. Ita in summa discordia ac dissensione pacem conciliare nititur, & quæ discrepant plurimum, ea facere ut consentiant vel maxime. Primum ergo ait Carion, *Assuerum illum priscum Darium Histaspis intelligi oportere*. Quia una ex re totum disce Carionem. Quid enim stultius dici potuit, quam Darium Histaspis patrem habere Darium Medum, patrum Cyrum, filium Longimanum? His enim attributis priscum illum Assuerum Metasthenes cumulavit. Quid autem a Dario Histaspis alienius, quam publico edicto vetare, ne templum Hierosolymis instauraretur, quod Assuero illi prisco Philo Anianus assignat? Nam causæ a Carione redditæ, cur a Metasthene Xerxes fuerit omisus, usque adeo ridiculæ & ineptæ sunt, ut non sint a me in præsentia referendæ. Atque eas omnes sigillatim Ioannes Vergara, Canonicus Tolletanus, vir Græcæ ac Latinæ linguæ peritissimus, in libello octo quæstionum Hispanè edito accuratius refutavit. Cuius nos opera & diligentia multum hoc loco adiuti sumus. Malum enim, quod nos Plinius admonuit (21), mutuum omnino reddere, quam in furto deprehendi. Illud enim Basilii præceptum semper nobis probatum est, siquid ex alio discitur, minime celandum: more pravæ mulieris, quæ partus nothos clam supponit. Quamobrem sermonis & doctrinæ patrem ingenuè manifestandum. Quibus rebus demonstra-

tis,

tis, omni luce clarius apparet, id quod huius orationis institutum erat, Annii regales in historiæ iudicio utiles esse non posse. Quando ne ex his quidem posterioribus Chaldæorum ac Persarum monarchiis annales ulli publici relictæ sunt, nec auctoris cuiuspiam monumenta, qui historiam suam ad veram certamque eorum animalium formulam composuerit. Quocirca Iosephum, Eusebium, Hieronymum cæterosque probæ fidei auctores in Persarum aut rebus gestis, aut temporibus explorare, quod Metastheni huic & iis, qui prætextantur, Susianis annalibus non cohæreant, magnum incitiæ, imo vero etiam temeritatis argumentum est. Quo loco Ioannes Driodonis vehementer erravit, homo quod ad Theologiæ diligentiam pertinet, plane doctus: quod ad historiæ humanæ cognitionem, valde rudis. Qui cum in hæc Anii volumina incidisset, & Berosi Chaldæi, Metasthenis Persæ, Ctesie Gnidii, Philonis Iudæi, Diodori Siculi, bibliothecæ Susianæ, septuaginta seniorum excitatio inani verborum sonitu illius complevisset aures: ad Eusebii, Iosephi, Hieronymi vocem oppido quam gravem obsurdit. Quanto prudentius ecclesia, quæ cum Adam, Enoch & Noe quidam libelli producerentur, eos noluit recipere: quoniam, ut Augustinus ait, *Quo in auctoritate non essent nimia fecit antiquitas, propter quæ videbantur habenda esse suspecta, ne profiterentur falsa pro veris. Nam & proferuntur quedam, quæ ipsorum esse dicuntur, ab eis qui pro suo sensu passim, quod volunt, credunt.* Hactenus in 18. de Civit. lib. cap. 38. Augustinus. Viro igitur prudenti, ut liber quisque sub antiquitatis nomine profertur maxime, ita maxime debet illi esse suspectus. Quam nos prudentiam secuti, Berosi hos, Metasthenisque libellos vel nimia vetustate suspectos haberemus, etiam si nihil illi continerent, quod viris gravissimis contraveniret. Quibus rebus efficitur, ut prima Annii causa, quamobrem in Persarum monarchia Iosephum Eusebiumque reiici oporteat, futilis & vana sit. Nam altera falsissima est. Non enim aut Eusebius, aut quisquam alius probatus auctor scribit, Cyrum ante dedisse licentiam Hebræis in Babylone captivis & mortuum, quam Babylonia Darius ille Medus potiretur. Eusebius porro Darii Medi in chronicis nusquam meminit: nec sub eo nomine, nec sub nomine Ciaxaris, quo eum appellat Xenophon.

plam. Non ergo Eusebius scripsit, Cyrum ante interfectum esse, quam Darius Medus Babyloniam cœpisset, cum Darium omnino Medum in chronicis prætermiserit. Herodotus autem nihil eiusmodi scripsit, quale illi Annius impingit. Darium Histaspis filium Eusebius, Herodotusque commemorant. Ille, ut solet, breviter, regni tempora notans, hic latius eius gesta describens. In quibus illud refert, Darium Histaspis Babylonem, quæ a Persarum imperio defecerat, iterum & obsidione cinxisse & expugnasse. Atque hinc turpis Anni error extitit. Cum enim audisset Herodotum scribere, post Cyri mortem Babylonem a Dario captam, existimavit eum de Dario Medo intellexisse (22), cum Darium Histaspis sine dubio Herodotus expresserit. Nam a Cyro semel expugnatam Babylonem 1. lib. dixerat. Deinde in 3. ea iterum capta Darium Histaspis potitum affirmat, muros eius circumcidisse, & portas omnes amoliturum esse, quorum neutrum Cyrus fecerat prius eidem a se. captæ. Abeat ergo nunc Annius & dicat (23), Herodotum & Eusebium somniasse. Annius ipse re vera potius somniat, qui e duobus hominibus Dario Medo, & Dario Persa unum facit, exque duabus Babylonis expugnationibus item unam. Id quod proprie dormientium, & soniantium est. Sed ais, Daniel, cap. 11. post Darium Medum quatuor solum Persarum reges usque ad Alexandrum futuros vaticinatus est. Non ergo 14. fuere, quemadmodum nos, Eusebium, Hieronymumque secuti fuisse diximus. Huius argumenti ratio Tertullianum in eo libr. quem contra Iudæos scripsit, viderur impulsisse, ut inter Darium Medum & Alexandrum quatuor duntaxat Persarum reges intermedios poneret, Arthaxerxem, Ochum qui & Cyrus, Argum denique ac Darium ultimum, qui & Melas nominatus est. In quem errorem Nicolaus Lyranus (24), licet a Hieronymo admonitus, videns prudensque

(22) In fin. 3. lib. (23) In Philonem suum.

(24) Daniel. 9. & 11. ubi hos quatuor reges ait fuisse Cyrum, Cambysen, Assuerum maritum Esther, & Darium filium Assueri, quem Alexander, ut inquit debellavit. Darius autem iste, postremus: iuxta: horum sententiam Longimanus intelligitur, sub quo adunq: templum edificatum.

que incurrit, Hebræorum somnia sequens, qui historiæ humanæ penitus sunt ignari. Quoniam nulla externi regni monumenta in lingua sua habent: nec alios aut Persarum, aut Græcorum reges agnoscunt, nisi quos scriptura commemorat. Quod qui parum perspiciunt, hi Iudæos in earum etiam scripturarum explicatione sequuntur, quarum intelligentiâ, si Gentilium ignorentur historiæ, aut vix, aut certe nullo modo haberi potest. Ita Hæbrei ratione sæpe historiarum vertunt, & id, quod probare non possunt, fingere conantur. Quorum error eripiendus est, omnisque opinio ad eam speciem traducenda, ut scriptura sacra interpretanda, in iis præsertim locis, quæ res externas gentium attingunt, gentium monumenta sequatur. Rectius igitur veriusque Hieronymus quartum illum regem, quem Propheta commemorat, Xerxem Darii Histaspis filium fuisse intelligit: talem enim hunc Ethnicorum historiæ narrant, qualem Propheta describit. Quod autem Daniel quatuor Persarum regibus enumeratis novem, qui fuerunt post Xerxem, prætermiserit: hoc non solum contra nos, sed contra Metasthemem Anii, Philonemque etiam facit. Non autem curæ fuit, ut Hieronymus ait, spiritui prophetali historiæ ordinem sequi, sed præclara quæque perstringere. Ac si quis prophetarum transitiones diligenter animadvertet, inveniet multa internèdia frequentissimè pertansiri, quæ si ex verum silentio numquam fuisse iudicabit, in magno eum errore necesse est, & multarum rerum ignoratione versari. Hoc vero loco peculiaris causa fuit, cur in rege Persarum Xerxe spiritus prophetæ subsisteret. In eo siquidem Persarum monarchia maxime adversum Græcos eminuit: adeo ut ab innumerabili exercitus multitudine Græcia vel brevi momento vastanda atque exinanienda videretur. Itaque repente Danieli Alexander Græcus ostensus est, qui non solum Græcos posset a Persis eripere, sed de Persis etiam triumphare. Sed de regulis Anii, earumque regularum exemplis, ac de tota demum Anii censura satis, ut arbitror, diligenter disputatum est. Quid igitur? (Nam hoc dicit fortasse aliquis) nulla via ratioque erit, qua veraces historicos a fallacibus distinguere atque internoscere valeamus? Erit nempe & multiplex etiam crit.

Prima lex ex hominum probitate integritateque sumetur. Quæ omnino res locum habet, cum quæ narrant historici, ea vel ipsi se videsse testantur, vel ab his, qui viderunt, accepisse. Qualia sunt pleraque in epistolis Ambrosii, Cypriani, Hieronymi, Augustini: in libris quoque huius de civitate Dei, in dialogis Gregorii; breviter, in omnibus fere doctorum ecclesiæ probatissimorum scriptis, in quibus mendacium suspicari, quod ad memoriam sempiternam transferre illi scribendo voluerint, piaculum est. Magnis quippe præclarisque virtutibus viri sanctissimi, atque optimi id consequi meruerunt, ut in rebus eiusmodi, quas vel spectasse se, vel ab aliis fide dignis, qui spectarint, se audisse testati sunt, fides omnino illis habeatur. Qua in re Erasmus Roterodamus, aliique iuniores quidam sæpe ac licenter errarunt. Quid enim liberius, licentius, immoderatus dici potuit, quam Hieronymum asserentem, Mathæi evangelium Hebraicum describendi sibi copiam fuisse, in eo virum gravissimum sanctissimumque mentiri? Iure itaque piis hominibus nimia hæc quorundam iuniorum liberiorque licentia displicuit: iure etiam in crimen vocata est. Hæc autem prima lex in profanis quoque auctoribus locum habet. Quædam enim Iulius Cæsar, quædam Suetonius, quædam Cornelius Tacitus, quædam Plutarchus, quædam Plinius narrant, quæ auctores ipsi partim oculis aspexerunt, partim acceperunt ab his, qui ea præsentibus aspexerant. In hisce vero auctoribus, tamen si pietatem absolutaque virtutis officia spectare non licet, licet tamen probitatem quamdam bonitatemque naturæ. Quidam enim eorum aut veritatis amore inducti, aut ingenui pudoris verecundia usqueadeo a mendacio abhorruerunt, ut iam pudendum fortasse sit, historicos gentium quosdam veraciores fuisse, quam nostros. Dolenter hoc dico potius, quam contumeliose: multo a Laetio severius vitas Philosophorum scriptas, quam a Christianis vitas sanctorum: longeque incorruptius & integrius Suetonium res Cæsarum exposuisse, quam exposuerint catholici, non res dico imperatorum, sed martyrum, virginum, & confessorum. Illi enim in probis, aut Philosophis, aut principibus, nec vitia, nec suspensiones vitiorum tacent: in improbis vero etiam colores virtutum produunt. Nostri autem plerique vel affectibus

inserviunt, vel de industria quoque ita multa confingunt, ut eorum me nimirum non solum pudeat, sed etiam tædeat. Hos enim intelligo ecclesiæ Christi cum nihil utilitatis attulisse, tum incommodationis plurimum. Nominibus parco, quoniam huius loci iudicium morum etiam est, & non eruditionis tantum, in qua liberior potest esse censura. Nam quæ morum est, hæc debet profecto esse & in vivos cautior, & in mortuos reverentior. Certum est autem qui fictæ & fallaciter historiam ecclesiasticam scribunt, eos viros bonos atque sinceros esse non posse, totamque eorum narrationem inventam esse aut ad quæstum, aut ad errorem, quorum alterum fœdum est, alterum perniciosum. Iustissima est Ludovici (25) querela de historiis quibusdam in ecclesia confictis. Prudenter ille sane ac graviter eos arguit, qui pietatis loco duxerint mendacia pro religione fingere. Id quod & maxime periculosum est, & minime necessarium. Mendacii quippe homini ne verum quidem credere solemus. Quamobrem qui falsis atque mendacibus scriptis mentes mortalium concitare ad divorum cultum volvere, hi nihil mihi aliud videntur egisse, quam ut veris propter falsa adimatur fides, & quæ severe ab auctoribus plane veracibus edita sunt, ea etiam revocentur in dubium. In Herodoti lucubratione rebus fictis & adumbratis quidem loci plurimum fuit. Verum inscriptione ipsa ille præmonuit, non esse in eo libro historiæ rationem ad vivum rescandam. Musa videlicet inscripsit, quibus fabulæ interdum concessæ sunt, ut audientium animos incundius & suaviter allecctent, quod severitate narrationis non perinde assequerentur. Xenophõn, qui ut Fabius ait (26), magis inter Philosophos, quam inter historicos reddendus est, optimi & absolutissimi Principis formam in Cyro perfectam conatur effingere. Itaque non est ab eo expectandum, qualis nam Cyrus re vera fuerit, rex licet excelsus & eximius, sed qualis futurus sit in repub. Imperator, si ad normam exemplaris exactissimi componatur (27). At

Tom. II.

O

in

(25) *De traden. disciplin. lib. 5.* (26) *Lib. 10. cap. 1.*(27) *Cicero ad Quintum fratrem* Cyrus ille, inquit, a Xenophonte non ad historiæ fidem scriptus, sed ad effigiem iusti Imperii.

in historia Christiana, duæ tota, ut diximus, non voluptate, sed veritate perpenditur, quorum attinet historiæ nomen commentii fabulique præterdere? Quasi vero sancti Dei homines nostris invidiis egeant, qui tam multa vera pro Christo gesserunt, ut falsa quantumvis licet eruditæ simulationis artificio composita, ut noxia non sint, quoniam inutilia sunt tamen, tamquam ignavi milites oneri sint magis, quam auxilio. Heroum porro nostrorum res vere gestæ, sicuti ego existimo, non solum amplæ magnificæque fuerunt, verum multo etiam maiores quam fama fecerunt. Neque eorum qui fecere virtus tanta habenda est, quantum eam verbis extollere potuerunt nostri: sed tanta potius, ut & præclara ingenia rebus ipsis, & ingeniiis præclaris verba quoque defuerint. Sed dum quidam affectui suo nimium indulgent, & ea scribunt, quæ animus scribentis dicitur, non veritas, tales Divos quandoque nobis exhibent, quales Divi ipsi, etsi possent, esse tamen nolissent. Et quis enim cederet, Divum Franciscum pediculis semel excussos in se ipsum solitum esse immittere? Quod ad sanctitatem viri scriptor pertinere putavit, equidem non puto, qui paupertatem sciam viro sanctissimo placuisse semper, sordis nunquam. Illud item quam rediculum? Diabolum Dominico Patri nostro semel obstrepentem, a Deo esse coactum ut lucernam haberet in manibus quod illa absumpta non molestiam solum, sed incredibilem dolorem etiam afferret. Non possunt huiusmodi exempla numero comprehendi, sed in his paucis pleraque alia intelliguntur, quæ Divorum clarissimorum historias obcurant. Non autem decebat, veras sanctorum res gestas falsis & commentitiis fabulis contaminari. Quæ causa Gelasio fuit, ut huius generis historias multas in concilio 70. episcoporum reprobareret. Eius pontificis verba sunt legi, cognoscique dignissima: idcirco adscribenda sunt. *Gesta, inquit, sanctorum martyrum, qui multiplicibus tormentorum cruciatibus & mirabilibus confessionum triumphis irradiant, quis ita esse Catholicorum dubitet: & maiora eos in agonibus esse perpessos, nec suis viribus, sed Dei gratia & adiutorio universa tolerasse? Sed ideo secundum auctoritatem antiquam, vel consuetudinem singulari cautela in sancta Romana ecclesia non leguntur: quia eorum, qui scripsere, nomina penitus ignorantur, & ab infidelibus aut dicta superflue, aut minus*



ap̄te quam rei ordo fuerit scripta esse putantur: sicut cuiusdam Quirici & Iulita matris eius: sicut Georgii, ditorumque passionis huiusmodi, quæ ab hæreticis probantur conscripta: propter quod (ut dictum est) ne vel leuius subsannandi oriretur occasio, in sancta Romana ecclesia non leguntur. Nos tamen cum prædicta ecclesia omnes martyres & eorum gloriosos agones, qui Deo magis, quam hominibus noti sunt, cum omni devotione veneramus. Item vitas patrum Antonii, Pauli, Hilariionis & omnium eremitarum: quas tamen vir beatissimus scripsit Hieronymus, cum omni honore suscepimus. Item actus beati Sylvestri Apostolica sedis præsulis, licet eius, qui scripsit, nomen ignoremus, a multis tamen in urbe Rom. catholicis legi cognovimus: & pro antiquo usu multa hoc imitantur ecclesia. Item scripta de inventione sancta Crucis Dominica, & alii scripta de inventione capitis Besti Ioannis Baptista novella quidem revelationes sunt: & nonnulli eas catholici legunt, sed cum hoc ad catholicorum manus pervenerit, beati Pauli apostoli sententia præcedit. Omnia probate, quod bonum est tenete. Hactenus Gelasius. Quod si prophetias, quæ numinis afflatu edi solent, Paulus docet non spernendas quidem, sed explorandas tamen: equis nos accusare iam audebit, si historias huminò sensu editas exploremus? Gelasius sane auctor est cum concilio gravissimus, quod de prophetia ab apostolo dictum est, hoc apte etiam in historiam quadrare. Iubet ergo in primis Pontifex, ut eas historias nullo modo amplectamur, quæ sine certo auctoris nomine proferuntur. Olent enim aut quæstuosorum hominum imposturam, aut, quod Gelasius ipse ait, hæreticorum fœtum. Quæ eadem omnino causa subest, ut historiæ illæ valde etiam suspiciosa sint, quæ tametsi auctoris cuiuspiam nomen præferunt, sed quis ille qualisve sit, obscurum & incertum est. Cuiusmodi ante hos paucos dies quædam fabulæ prodicere, quarum & auctores, & loca adeo longo intervallo distant, ut ani mentiantur illi non possit inveniri, an hæc sint, addubitari etiam possit. Sed bene habet, quod totum narrationis corpus commentitium apparet, ut quod Hispanorum sermone teritur, id quoque in hac re facile probes, *De linguas vias, linguas mentiras.* Sed ad Gelasium redeamus. Qui illius d. inde erro is non admonuit, in quo olim non vulgus solum, sed Gratianus etiam versatus est, ut librorum deceptus indicibus cred. f. t. omnia;

quæ Hieronymi & Augustini nominibus in scripta erant, Hieronymi Augustinique vere etiam esse. Sic librum, qui de vitis patrum inscriptus est, Hieronymi nomine vulgus circumferebat, quum paucissimas tamen patrum vitas ille scripserit, quæ & hoc loco fere a Pontifice referuntur. Gelasii itaque testimonio eorum impudentiam retundemus, qui harum rerum auctorem Hieronymum pervulgarunt, quas nemo nisi rudis atque elinguis ederet. Huius generis fabula etiam illa est, insulsa æque ac barbara, de Nativitate Sanctæ Mariæ, ad Chromatium & Heliodorum episcopos. Huius generis sunt alia multa, quæ & diligentissime & rectissime Erasmus refutavit. Illud etiam in his Gelasii verbis equidem animadverto, novellas revelationes, sic enim vocat, nos admirari & suspicere minime oportere. Iam enim passim non pro ecclesiæ necessitate, sed pro hominum affectu expromuntur, adeo ut in conceptionis causa utrinque, si superis placet, revelationes vel contrariæ proferantur. Quæ res impiis quidem non levem subsannandi occasionem præbet, piis vero lacrymandi. Contemnantur profecto necesse est Dei, & dona & miracula, si nostris aut opinionibus, aut affectibus inservierint. Ecclesiæ igitur Christi hi vehementer incommodant, qui res Divorum præclaræ gestas non se putant egregie exposituros, nisi eas fictis & revelationibus, & miraculis adornarint. Qua in re, nec sanctæ virgini, nec Christo Domino hominum impudentia pepercit, quin quæd in aliis Divis factitavit, idem quoque in Christi & matris historia scribenda faceret, & per humani ingenii levitate multa vana & ridicula comminisceretur. Cum superioribus annis Tridentino concilio interesssem, e quibusdam audivi, Aloisium Lippomanum episcopum Veronensem huic malo mederi, historia de vitis sanctorum constanti ac gravi ratione edita. Sed hanc mihi adhuc videre non licuit, nec aliam quamvis, quæ mihi quidem probari possit de his, quæ venerunt in manibus. Spissum sane erit opus & operosum, sed vehementer omnis Christianis utile, si quis præstiterit dignum modo Divis, ecclesiæ, Christo. Id quod haud dubie præstabit nemo, nisi vir probus, integer, incorruptus: ut ne quid falsi dicere audeat, ne quid veri non audeat, ne qua suspicio gratiæ sit in scribendo, ne qua simultatis. Quæ cum ad  
pro-

probitatis integritatisque officia pertinere notum sit, miror ab uno Suetonio servata esse omnia, a plerisque nostris omnia esse deserta. Qui autem res humanas a Divis quorum historias scribendas sumunt, alicuias fore consent, hi Divos ipsos ne homines quidem fuisse videntur credere. Quanto sapientius Evangelistæ faciunt, qui vel in ipsis apostolis, quos eramus vitæ torius exemplum habituri, nec affectus naturæ imbecilliores, nec casus etiam graviore dissimulant. Divina hæc sapientia quidem Evangelistarum fuit, sed bonitas quoque integritasque naturæ, ut nihil illis in scribenda historia deesset, quod in historiæ lege vel Ethnici requisissent. Scriptoris autem probitas & integritas (nam hoc quæret aliquis) in his, qui olim fuerunt, licet aliquando in scriptis ipsis eluceat, sed fama & gravi atque frequenti præteritorum hominum testimonio cognoscetur. Sunt enim, ut dixi, in profanis auctoribus non pauci, quorum ingenuitas & verecundia, sic hominum sermone celebrata est, ut nemo illos unquam mendaces & in fingendo impudentes existimaverit. Quales sunt Cæsar, Val. Max. Terentius Varro, Livius, Cornelius Tacitus, Seneca, Arrianus Marcellinus, Eutropius, Flavius Vopiscus, Paulus Diaconus, Lucius Florus, Pelybius, Dionys. Halicar. Julius Capitolinus, Cornelius Nepos, Strabo, aliique plures, Latini præsertim auctores. Nam Græcorum fides maiori ex parte fracta ac debilitata est. Religiosus est Thucydides, & ut Iosephus ait, inter omnes Græcos historicos in primis scrupulosus. Appianus Alexandrinus, Græcus licet auctor, sed quoniam hesternæ & civilia Romana bella memoriæ mandavit, in alienis rebus mendax non fuit, futurus in suis, si Græcorum morem & ingenium sequeretur. Quorum iactantia & vanitas impudentius est aucta, postquam certare cum Latinis de imperio, de rebus gestis, de doctrinæ veritate inceperunt. Latinus siquidem fulgor & gloria Græciæ claritatem obcuravit, & adeo Græcorum præstrinxit oculos ut vel Plutarchus, scriptor alioqui verax, in rebus Græcorum illustrandis & cæcutire & fingere interdum etiam videatur. Quod tum in opere de viciis illustrium Græcorum & Romanorum, tum in parallelis Eudovicus Vives animadvertit. At vero in nostris, hoc est, ecclesiasticis facilius est ratio virtutis & bonæ fidei conspiciendæ.

## I IO DE HVMANÆ HISTOR. AVCTOR.

dæ. Optimos enim quosque apud nos non solum humanus sermo atque existimatio colit, verum etiam ecclesiæ decretum in concilio cælestium collocat. Hos itaque mendacii impudentiæque arguere, quemadmodum supra diximus, impietatis etiam, non modo temeritatis argumentum est. Cum is ego sanctis iustisque viris Ægesippum, Paulum Orosium, aliosque nonnullos ecclesiæ historicos annumerandos censeo, qui a me brebitatis causa prætereuntur. Non enim hic bibliothecas excutimus, sed genera degustamus. Ne quis negligentiam nos insimulet, si ullos aut laudando, aut vituperando transimus. Sed ais: Crispus Sallustius in perditis omnino moribus veridicus historiæ scriptor est habitus. Sane quidem. At cum Sallustium obiicis, hominem obiicis, in quo si non honestatis pudor, at infamiæ eius timor fuit, quam Romani cum primis declinarunt, ne mendaces, quemadmodum Græci, in historiis haberentur. Deinde non mihi Sallustius videtur vitis caruisse & gratiæ & simultatis. Certe cum de Cicerone scribit, multa silentio præterit, quæ libentissime in aliorum gratiam retulisset. Sed hæc duo vitia cum historicorum fere omnium communi sunt, tum quorundam quasi propria. In quibus Paulus Iovius est in quamlibet partem nimius odio & amore, gratia & similitate. Et quoniam pecuniam amabat, in historia quoque scribenda pecuniæ servus fuit. Postremo aliud est dicere, viros bonos veraces esse omnes, aliud improbos omnes esse mendaces. Illud nos diximus, hoc non diximus. Quamquam nescio quomodo fit, ut nusquam securus animus nisi in viri boni testimonio conquiescat. An officio veritas adeo coniuncta est, ut in homine vitioso esse illa fortasse possit, sed esse tamen credit vix possit. Quæ causa Chaldæis Ægyptiisque fuit, quamobrem non alios historiæ auctores approbarent, nisi qui sacerdotio fungerentur, quod sanctos religiososque viros mentituros esse nullo modo existimarent. *Homo*, inquit, (28), *ex Iudæis quidam, sacerdos venit: non decipiet nos.* Verum de prima ad historiam diiudicandam regula hæc dicta sint.

Lex

Lex vero secunda in historiæ iudicio santiatur, ut eos historicos reliquis anteframus, qui ingenii severitatis quamdam prudentiam adiunxerunt, & ad eligendum & ad iudicandum. Quæ lex in iis rebus locum habet, quas res neque scriptores ipsi sunt intuiti, nec a viris fide dignis, qui viderint, audierunt. Quo ingenere est operæpretium levitatem eorum recordari, qui muliercularum more qued nimis miseri volunt, hoc facile credunt. Nam & ætas nostra sacerdotem vidit, cui persuasissimum esset, nihil omnino esse falsum, quod semel typis fuisset excussum. Non enim, ut aiebat, tantum facinus reipub. administratos commissuros, ut non solum divulgari mendacia sinerent, sed suo etiam communicarent privilegio, quo illa tutius mentes mortaliū pervagarentur. Quo sane argumento permotus animum induxit credere, ab Amadiso & Clariano res eas vere gestas, quæ in illorum libris commentitiis referuntur. At vero quantum illa adversum reipub. administratos ratio valeat, non est huius loci temporisque disserere. Certe hoc ego pro me ipso & animi mei sensu ac dolore pronuncio, magna ecclesæ calamitate atque pernicie id solum in libris vulgandis præcaveri, ne erroribus nœci adversis aspersi sint; ne sint moribus exitiales, non item. Nec de fabulis istis potissimum excutier, quas modo dixi, quamvis ineruditis & nihil omnino confidentibus, non dico ad bene beateque vendendum, sed ne ad recte quidem de rebus humanis sentiendum. Quid enim conferant meræ ac vanæ nugæ ab hominibus otiosis fictæ, a corruptis ingeniis versatæ? Sed acerbissimus est dolor, & vix omnino consolabilis, quod dum quidam (utinam tam prudenter quam ferventer) incommodum hoc recitare ac devirare cupiunt, non pro fabulis veras & graves historias edunt, id quod esset plebi utilissimum; sed libros mysteriorum ecclesiæ plenos, a quibus arcendi profani erant: id quod est, mea quidem sententiâ, pestilentissimum, eo vero magis, quo vulgus eos libelos securius legit, quia probatos videt, non modo a civili magistratu, verum etiam ab iis, qui doctrinæ censors sunt in Christi reipub. definiti. Sed hæc aliam, nec quod instat agamus. Misericordia sane hominis ignorantia potius quam ludenda, qui usqueadeo, aut bonus, aut stultus erat, ut omni narrationi statim crederet, si modo

esset literis prodita. Verum invenias alios non pari inscitia quidem, sed imprudentia pene pari, qui veritatem rerum non inde petunt, ubi ea residere sit solita, se ex iis, in quibus raro est eam invenire, nempe ex dissipatis pervagatisque rumoribus. Quæ res plerumque iis accidit, qui sunt inconstanti levique natura. Nam homines graves atque severi non solent inanem vulgi sermonem aucupari. Quamquam negare non possumus, viros aliquando gravissimos in Divorum præsertim prodigiis describendis sparsos rumores & excepisse, & scriptis etiam ad posteros retulisse. Quia in re, ut mihi quidem videtur, aut nimium illi sibi, aut fidelium certe vulgo indulserunt: quod vulgus sentiebant non tantum ea facile miracula credere, sed impense etiam flagitare. Itaque signa nonnulla & prodigia sancti quoque memoriæ prodiderunt, non quo ea libenter credidissent, sed ne desse fidelium votis viderentur. Id vero eo magis sibi licere existimarunt, quod intellexerunt, auctoribus nobilissimis placuisse, veram historiæ legem esse, ea scribere quæ vulgo vera haberentur. Nec ego hic libri illius auctorem excuso, qui *Speculum exemplorum* inscribitur: nec historiæ etiam eius, quæ *Legenda aurea* nominatur. In illo enim miraculorum monstra sæpius, quam vera miracula legas: hanc homo scripsit ferrei oris, plumbei cordis, animi certe parum severi & prudentis. Veteres excuso & sanctos & eruditos viros, quorum & libros & nomina volentem ascribere pudor me ac religio vetaret, nisi contra vererer ne mea hæc taciturnitas plerisque causa esset, ut aut dampnarent quæ non intelligerent, aut errore vario circum sanctorum omnium historis vagarentur. Atque Theologum etiam admoneri operæpretium est, ne id statim illi persuasum sit, omnia, quæ magni auctores scripserint, undique esse perfecta. Nam & labuntur aliquando, ut ille ait, & oneri cedunt, & indulgent ingeniorum suorum voluptati, vulgoque, ut dixi, interdum etiam indulgent: nec semper intendunt animum, & nonnumquam fatigantur, adeo ut Ciceroni Demosthenes dormire, Horatio vero Homerus quandoque ipse videatur. Summi enim sunt, homines tamen. Quæ ego eadem de Beda atque Gregorio iure fortasse ac vere dicere possum. Quorum ille in historia Anglorum, hic in dialogis quædam

miracula scribunt vulgo iactata & credita, quæ huius præsertim sæculi Aristarchi incerta esse censebunt. Equidem historias illas probarem magis, si earum auctores, iuxta præfinitam normam, severitati iudicii curam in eligendo maiorem adiunxissent. Sed quoniam modeste & circumspecto iudicio de tantis viris pronuntiandum est, ne in his quidem duobus reiicienda sunt plurima. Pauca enim in eis possis arguere, quamvis historiam ecclesiasticam revocare ad severiora iudicia contendas. Ac si necesse est in alteram peccare partem, omnia eorum probari legentibus, quam multa reprobari malo. De Vincentio Bellocacens. & D. Antonino liberiori iudico, quorum uterque non tam dedit operam ut res veras certasque describeret, quam ne nihil omnino præteriret, quod scriptum in schedulis quibuslibet reperiretur (29). Ita ad historiam unamquamque existimandam, momentoque suo ponderandam non artificum statera, sed ne populari quidem trutina usi sunt. Quamobrem boni licet ac minime fallaces viri, quia tamen nec auctores eos, a quibus suos exscripsere libros, diligenter examinerunt, nec res iustis libratas ponderibus memoriæ prodiderunt, apud criticos graves atque severos auctoritate carent. Historicus autem, qui theologiæ decreto probandus erit, nec omnes schedas lectione etiam indignas excutiet, nec anilibus fabulis accommodavit operam, nec prius lecta auditaque describet, quam ea prudenti accuratoque iudicio ex pendat ac seligat. Sed in secundæ regulæ explicationem diximus satis.

Tertia regula sit. Si cui historico auctoritatem ecclesia tribuit, hic dubio procul dignus est, cui nos etiam auctoritatem adiungamus. Contra vero, cui ecclesia derogavit fidem, ei quoque nos fidem iure ac merito derogabimus. Gelasius porro historiam de vitis Antonii, Pauli, Hilarionis, ac cætorum eremitarum, quas tamen Hieronymus scripsit, cum

Tom. II.

P

om-

---

(29) *Non te fallat, quod Gelasius Vincentii laboriosum opus commendavit. Mendosi enim sunt plerique codices. Nam correcti & emendati, Iubenci, habent, non Vincentii. Alioqui Gelasius, qui multis sæculis Vincentio prior fuit, propheta id eo cap. fuisset, non Iudex.*

omni honore susceperit. Acta rursus Beati Sylvestri, licet non pari veneratione, sed susceperit tamen. Collaudavit Orosium, Eusebii chronica, hoc est, de temporibus, quantum animi coniectura colligo, non reiecit.

Reiecit itinerarii Clementis libros octo, acta Andreæ, Philippi, Petri, Thomæ nominibus falso edita, librum de infantia salvatoris, alterum item de eiusdem nativitate, librum Pastoris, acta Theclæ & Pauli, quæ Epiphanius usurpat interdum, revelationem Pauli, librum, qui Mariæ transitus inscribitur, libellos de pœnitentia Adæ, Origenis, Cypriani epistolam Iesu ad Abagarum, passiones Georgii ac Quirici & Iulitæ, historiam demum Eusebii Pamphili. In qua refellenda Gelasius magna, ut mihi quidem videtur, prudentia est usus (30). Nam quod Rhenanus dixit, verba hæc postrema Gelasii, non esse, sed esse potius ab asino quopiam adiecta, hoc insolenter, rustice, imperiteque dixit. Principio quippe pontifex ad hunc modum censuerat: Chronicon Eusebii Cæsariensis atque eiusdem historiæ ecclesiasticæ libros, quamvis in primo narrationis suæ libro tepuerit, & in laudibus atque excusatione Origenis schismatici unum conscripserit librum, propter rerum tamen singularem notitiam usquequaque non dicimus. renuendos. Postea vero sic censet Historia Eusebii Pamphili apocrypha. Quæ duæ sententiæ cum contrariæ non sint, tum sunt etiam verissime, & nimis quam graviter ac severe letæ. Cur autem Gelasius historiam Eusebii apocrypham pronunciarit, causæ sunt sane plures atque vehementes. Primum in primo libro refert Eusebius epistolam Iesu ad Abagarum scriptam, quam Gelasius eadem dist. explodit. Fuit etiam altera causa Gelasio, quam ob rem historiam Eusebii apocrypham definierit, quod multæ ibi Clementis Alexandrini testimonio confirmentur, cuius opuscula eadem dist. apocrypha iudicata sunt. Præterea & librum sextum Eu-

se-

---

(30) Hieronymus ad Latam de instit. fil. Caveat, inquit, omnia apocrypha. Et si quando ea non ad dogmatum veritatem, sed ad signorum reverentiam legere volueris: sciat non eorum esse, quorum titulis prænotantur.



sebius texuit in laudem & excusationem Origenis. Cum autem & discipuli Origenis magnas in ecclesia tragædias excitassent, & Origenes ipse tanquam schismaticus, deque fidei catholicæ via sæpe deflectens fuisset ecclesiæ iudicio condemnatus, iure illius historia refellitur, qui Origenem non solum immodice prædicat, sed ad cælum, perinde, ut si pater esse ecclesiæ, extollit.

Præterea, in synodi septimæ actione quinta, cum economachi pro se Eusebium testem excitassent, & lecta etiam esset eiusdem epistola, ubi Ario consentiebat, Tharadius rogavit: *Recipimus hoc? Sacra vero synodus dixit, Nequaquam.* Hic reliquis est nobis maiore odio prosequendus. Et legati Adriani papæ dixerunt: *Ipsa lectio indicat, quod Ariarum sententiam sapit.* Habet enim ante lectus Eusebii liber & alias blasphemias, quas synodus audire respuit. Sanctissimus patriarcha dixit: *Libros illius reiiciamus.* Sancta Synodus dixit: *Reiicimus, & Anathematizamus.* Et actione rursum sexta Epiphanius respondens testimonio Eusebii, *Eusebius*, inquit, *ab illis in testem advocatur, qui tamen ab omni catholica ecclesia Ariarum hæreseos d. fem. or esse cognoscitur, quemadmodum in commentariis suis & omnibus a se editis libris manifestum sit.* Et posterius, *Quis fidelium*, ait, *in ecclesia dubitat, Eusebium Pamphili in reprobum sensum traditum Arii placitis consensisse? Nam in cunctis historicis suis libellis filium creaturam vocat, subministrum, secundo loco adorandum.* Id postquam ex multis libris Eusebii probavit, tandem asserit, Eusebium duplicis animi fuisse, inconstanterque synodo subscripsisse. Nusquam enim aut librorum suorum errores depulit, aut apologiam pro se fecit, cum tamen Arius non obscure testaretur, se sententiæ sub Eusebium habere studiosum ac fautorem (31). Et Hieronymus ad Pammachium & Oceanum *ecclesiasticam*, inquit, *pulchre Eusebius historiam texuit: sed impietatis Arii apertissimus propugnator est.* Et ad Tesipontem, *Eusebium Casariens.* ait,

P 2

Aria-

---

(31) Vide epist. Arii ad Euseb. Nicomediens. Epist. huius initium est, *Schedula*, cap. 1. *Musculo interprete.*

*Arianum fuisse nemo est qui nesciat.* In primo certe ecclesiasticæ historiæ suæ libro filium dicit paternæ voluntatis executorem, qui post patrem omnium sit causa & origo. Item, cum illum psalmi versiculum attulisset, *ipse dixit & facta sunt, ipse mandavit, & creata sunt*, subiecit. Quibus verbis propheta patrem inducit factorem, tanquam universalem principem regali suo nutu præcipientem: sermonem vero Dei illi secundo loco addit, non alium ab eo, qui inter nos prædicatur, paternis iussionibus obsecundantem. Et capite secundo primum affirmat, patri filium in omnium opificio administrasse, deinde patris ministrum in omnibus bonis fuisse ait. Merito ergo Gelasius pontifex historiæ Eusebii Cæsariensis auctoritatem adenit. Quid? An non etiam absurdum est, ut qui infidelis ecclesiæ fuerit, ei fidem ecclesia in rebus ecclesiasticis habeat? Experimur sane, hæreticos sectæ suæ non dogmata solum ac præcepta, sed res etiam gestas accomodare. Imo vero torquere atque adeo fingere, ut sectam undique, & comprobasse & ornassee videantur. Hinc enim, quemadmodum supra diximus, Constantinum finxit Eusebius ab Eusebio Nicomediensi baptizatum, quo Arianorum factioni maiorem & fidem & auctoritatem adiungeret. Hinc etiam cum in synodi Nicænæ mentionem incidit, dogma fidei, quo damnatus est Arius, astute dissimulavit, in paschatis quæstionem repente digressus. Sed ne Arianus quidem unquam in historia sua meminit, callide hominis memoriam præteriens, quem synodi auctoritate obrutus laudare non est ausus, amicitia lege constrictus noluit vituperare. Quæ eadem omnino causæ subsunt, ut historiam Carionis omnes Christi fideles explodant. Quosdam enim summos pontifices, viros quidem optimos, illius lacerat & cruentat oratio, quosdam vero imperatores Germanos commendat & illustrat, qui ecclesiæ Romanæ perduelles, inimicique fuere. Itaque ex unguibus leonem agnosces, hoc est, ex laude & vituperatione Lutherani. Quanquam Carionem Lutheri erroribus adhaesisse, non est opus coniecturis suadere. Multis quippe in locis aperte ille se prodit. Quocirca mirum est, cur eius historia non sit cum cæteris hæreticorum libris ab ecclesiæ iudicibus explosa, cum plerique tamen eam securi legant, nul-

la prorsus nota atque animadversione præmoniti (32). Sed ad Eusebium revertamur. In cuius historia ecclesiastica satis Gelasius ostendit cætera sibi ac concilio placuisse, dum quædam displicuisse commonuit. Itaque si fabulam Abagari, laudesque Origenis ab Eusebio demeres, digna eius historia esset, que fides omnino haberetur, præsertim si in ecclesiæ contra Arium pugna, non ab Ario, sed ab ecclesia stetisset. Ac de ecclesiasticæ historiæ libris hætenus. Nam in chronicis admiranda fuit hominis diligentia, magnus omnino labor, varia & pene incredibilis lectio, ac grave prorsus in lectionis varietate iudicium. Nec scio, an quisquam alius inter ecclesiæ sive Latinos, seu Græcos auctores, quamvis summa vi, ope, atque opera eniteretur, præstantiora nobis posset temporum monimenta relinquere. Tametsi describentium incuria adeo multis locis vitiata sunt, ut dici sine animi dolore non queat. Sed ne illa quidem, quæ ibi Eusebius refert, vera sunt omnia. Quin reperias aliqua, quæ iure ac vere reprehendas. Cuiusmodi illud est, quod eundem scribit fuisse Sennacherib, qui temporibus Ezechiae Hierosolyma obsedit, & Salmanassar, qui Samariam cæperat. Id quod divinis literis esse contrarium Hieronymus in Isaia 36. caput edocuit. Atque Tobia cap. 1. Salmanassar dicitur fuisse pater Sennacherib. At nihil est, ut ille ait, omni ex parte beatum. In opere, ut ita dicam, immenso raro peccasse felicissimum fuit. Verum de Eusebio hæc satis.

Sozomenus sequitur, de cuius nos fide & auctoritate dicere Divus Gregorius cogit. Qui historiam illius duabus præcipue causis improbavit. Vna, quod sæpe in ea mentitus sit. Altera, quod Theodorum immodice extulerit, quæ constat & hæreticum fuisse, & in quinta synodo ab ecclesia damnatum. Equidem Sozomeni mendacia non excuso. Græcus namque fuit, & natio hæc, ut diximus, est, fuitque semper ad mentiendum promptula. Atqui in novem ecclesiasticæ historiæ libris, quos ante hos paucos dies Musculo

in-

---

(32) *Post se ipsa hæc Carionis historiam Paulus quartus condemnavit.*

interprete accepimus, nihil tale Sozomenus scribit, quale secundo loco illi Gregorius obiicit (33). Tantum ait, Theodorum discipulum Libanii fuisse, ad quem prolapsus Chrysostomus epistolam dederit, qui etiam postea episcopus Mopsuestæ fuerit constitutus. Andreas certe in concilio Florentino, ubi pro ecclesia Latina respondet, huius historici testimonium non solum usurpat, sed etiam probat. Cum enim imperator Paleologus interrogasset, num congruum esset, ut Synodus historiæ auctoritate niteretur, Andreas illi respondit, *Ad res gestas cognoscendas synodum historia uti debere.* Tum imperator, *historiam illam, ait, in nostra religione debemus suscipere, quam maiores nostri probaverunt, aliam vero minime.* Cui Andreas, *de Romanorum, inquit, aut Græcorum, aut regum bello historia nequaquam in synodo uti debemus, sed cum historia hac, scilicet, Hermii Sozomeni ecclesiastica sit, in qua omnium synodorum acta & patrum sanctorum definitiones explicantur, cur ei credendum non est?* Hactenus in concilio Florent. sessione 7. Non videtur itaque hoc concilium fidem Sozomeno abrogasse, sed habuisse. Sed huic argumento responsum facile atque expeditum est.

Illi vero alteri non video quemadmodum responderi possit, nisi dicamus aut Gregorium alios libros Sozomeni legisse, qui in manus nostras non venerunt, aut memoria lapsium, pro Theodorito Sozomenum scripsisse. Nam Theodoriti verba illa sunt, quæ Gregorius retulit. Libro quippe historiæ suæ quinto, capite 27. Theodorum istum doctorem præclarum fuisse scribit. Et cap. 40. *Moritur, inquit, Theodorus episcopus Mopsuestias, cum omnium ecclesiarum doctor, tum hæretica cohortis profligator.* Theodoritus ergo erat eo nomine damnandus; qui & revera ob hanc causam damnatus est in quinta synodo generali, action. 5. canone 13. & 14. At Theodorus canone 12. Meruit etiam Theodoritus ea ex causa damnari, quod impie adversum Cyrillum & primam Ephesinam synodum scripsit, duodecimque Cyrilli capita reprehendit, quæ rectam fidem continebant. Nec vero de  
Theo-

Theodorito desperare quispiam debet. Nam, ut Bessarion in oratione quam pro unione apud patres Florentiæ habuit, affirmat, suum postea cognovit errorem, & in concilio Chalcædonensi palinodiam recantavit. Verum, ut hæc cumque habeant illiusmodi errantium patrôcinia historiæ elevant & auctoritatem & fidem. Quo mihi nomine, ut cætera omittam, Socratis Scholastici minus historia placet. Etenim & Origenis ipse quoque patronus est (34), & Nestorium excusat (35) & Cyrillum mordet (36), & Alexandrum vellicat, & in reiectione presbyteri pœnitentiarum homousianorum innocentiam infamat (37). De tertia vero regula in historiæ iudicio servanda hæctenus. Ac perspicua sunt hæc quidem, & in vulgari prudentia sita. Nam in quibus animi quædam maior vis acriorque in iudicando prudentia est, ii sine hisce regulis, exacuendo illam ingenii aciem vera deligent, reiiicientque contraria. Mihi sane aliquando, & verum ipsum in scribentis sinceritate, candoreque relucet, & mendacium contra auctoris quidam angor & calliditas patefaciunt. Sincera, mihi crede, veritas est, & si animum repurgatum invenerit, ipsa per se recte influit. Falsitas circuitiones quærit, & anfractus, seque verborum ambitu sollicitè circumdat ac protegit (38). Atque etiam cum in historiæ ratione quid quemque deceat considero, facile intelligo, *historicos non solum falso, sed imprudenter res quasdam memoriæ prodidisse.* Quis enim vel mediocriter prudens ab apostoli Thomæ, Ioannisque evangelistæ persona illa non videat abhorrere, quæ in rebus eorum gestis referuntur? Ut aut ille iniuriæ vindictam expetierit; aut hic rupta veste, suumque ipsius caput tundens equum acceperit, ex *ecclesia* quantum potuerit prope-

(34) *Lib. 6. cap. 12. & 13. & Lib. 7. cap. 45.*

(35) *Lib. 7. cap. 32. & 34.* (36) *Lib. eod. cap. 13. 14. 15. & 34.* *Lib. 1. cap. 5. 6.* (37) *Lib. 5. cap. 19.*

(38) *Euripides in Phenisis. Veritatis suevit esse oratio simplex, vastris non egens ambagibus, si quidem ipsa per se congruit. At sermo iniquus, quia per se sit morbidus, medicamina exquisita deposcit sibi.* *Euseb. lib. 3. cap. 23.*

peraverit, & senex adolescentem iuveniliter fuerit insecutus. Non itaque prudentibus, & ingeniosis iudicandi præcepta diligenter elaborata dedimus, sed ut dicitur, crassa, pinguique minerva rudioribus. Nec vero adeo stultus ego sum, ut existimen in has formulas omnia historiæ iudicia conclusa & comprehensa. Sed si quæ fuerunt præscribendæ formulæ, hæ videntur potissimum consentaneæ convenientesque fuisse.

## CAPVT POSTREMVM.

*In quo 15. 16. 17. & 18. argumenta capite tertio proposita refelluntur.*

**Q**Uamquam ex his quæ capite superiore diximus, argumentorum eorum refutatio apparet, quæ 15. loco 16. 17. & 18. sita sunt; sed ordine tamen refutanda sunt singula, ut scholæ etiam minutis theologis morigeremur. Et in 15. argumento quidem Philonis primum auctoritas quæritur. Quæ sane magna fuit, sed breuiarium illud temporum Philonis non fuit, nec libellus alter de antiquitatibus, quem constat eiusdem esse farinæ.

Resp. ad  
15.

Iosephi vero in historia fidem non Romani modo principes, sed viri quoque ecclesiæ celebrarunt. Egesippus bonus in primis auctor, vir probatæ fidei, ac gravis omnino historicus Iosephum egregie laudat (1), quod ad historiæ auctoritatem pertinet quidem; nam quod ad religionem, consortem eum facit perfidiæ Iudæorum. Hieronymus non dubitat (2) locum illi inter ecclesiæ scriptores dare, atque adeo eius de rebus gestis monimenta inter ecclesiasticas historias recensere. Eusebius Cæsariensis (3), Sozomenus (4), Nicepho-

---

(1) *In præmio lib. 5. de excis. Hier.* (2) *De viris illustribus.* (3) *Euseb. lib. 3. eccles. histor. cap. 9.* (4) *Sozomenus, lib. 1. cap. 1.*

phorus (5), ut alios omittam, miris modis Iosephi historiam commendant. Quin & Iosephus ipse historiam suam gravibus, probabilibusque rationibus commendavit (6). Quæ non minorem faciunt fidem, quam si eadem ab Hieronymo aut alio quopiam auctore posite fuissent.

At serpentis pœnam nimium crasse interpretatur, vinæ ligni scientiæ boni & mali falsam, fictitiâque commemorat; Herodiadem scribi non Philippi, sed Herodis uxorem fuisse (7), qui Herodis quoque tetrarchæ frater erat; templum in secundo anno regni Darii dicit esse perfectum: seniorum lamentationes, cum templi veteris amplitudinem recordarentur, non ad novum fundatum, sed ad iam consummatum refert: aliaque demum ait partim scripturæ sacræ, partim veris aliis, ac probatis historiis adversa (8). Plane ait, non inficior. Sed errores fuere ignorantis, non mendacia fallentis. Neque æquum est paucis e maculis labem toti narrationis corpori aspergere. Egregius itaque historicus Iosephus fuit, quemadmodum Egesippus affirmat, & rerum indagini, sobrietatiq; sermonum attentus. Quod vero in temporibus notandis eum quidam reprehendum, id iure, an iniuria faciant, non facile dixerim. Equidem eiusmodi errata indoctis, negligentibusque librariis prompte ac libenter assigno. Iulii porro Aphricani quinque de temporibus volumina in manus nostras non venerunt. Quare de eius historiæ fide ipsi per nos iudicare non possumus. Sed extat Gelasii præiudicium, quod in argumento obiectum est, idque sequi Theologos oportet de rebus eiusmodi iudicatos. *Opuscula*, inquit, *Tertulliani sive Aphricani apocrypha*. Quo in loco an Iulium Aphricanum voluerit Gelasius improbare, non satis expeditum est. Primum enim de Iulio Aphricano nullus veterum malam opinionem habuit. Eusebius vero, ac Hiero-

Tom. II.

Q

ny-

(5) Nicephor. lib. 2. cap. 18. (6) Lib. 16. an. cap. 7. & in fine 20. Lib. 1. Lib. cont. App. Alex. Lib. 1. an. cap. 3. eo cap. Lib. 18. an. cap. 9. (7) Caietanus ait fuisse binominem, eundemque Philippum & Herodem appellatum. Sed ne Iosephum quidem ipsum viderat. (8) Lib. 1. cont. App. Lib. 11. an. cap. 3. 1. Esdr. 3. 4. 5. & 6. cap. contraria referuntur.

nymus ubique eius de rebus gestis testimonia colunt. Nec Iulius hic est in fidei doctrina reprehensus. Nam quod historiam Susanæ fictam esse credidit, in eo virorum doctissimorum errorem secutus est. Atqui ob peccatum unum, cuius vel probabilis excusatio est, omnia Iulii opuscula a Gelasio damnari, non fit mihi profecto verisimile. Eadem quippe culpa, si culpa fuit, Iulio fuit cum doctoribus ecclesiæ communis. Vix enim reperias quenquam, qui non in aliquo errarit. Deinde, quorsum Gelasius, quasi nihil interesset utrum hic, an ille damnaretur, in eam formam censet? *Opuscula Tertulliani sive Aphricani apocripha*. Atque si duo auctores illi essent nominibus, reque etiam ipsa differentes, more suo Gelasius utriusque singillatim opera condemnasset. Cum autem Tertullianum, sive Aphricanum una confessione notat, non est existimandus auctores diversos, sed eundem intellexisse. Mihi sane huiusmodi coniecturæ suspicionem afferunt, locum esse corruptum, ut alia in hoc capite pleraque, & particulam, *sive*, scriptorum vitio additam. Legendum itaque esse, *Opuscula Tertulliani Aphricani apocripha*. Nisi forte Aphricani cognomen quidam Tertulliano impertiebant: quocirca in eum modum sententiam Gelasius tulerit, ut sive nomine proprio, seu cognomine a quolibet vocaretur, intelligeremus esse damnatum.

Reliqui sunt Eusebius & Sozomenus, quorum auctoritas quintadecima tandem argumentatione urgebatur. Verum de his auctoribus quid senserim, quid censuerim, capite superiore habes.

Resp. ad  
6.

In quintodecimo argumento nullus scrupulus obiectus est, qui non fuerit excussus. In sextodecimo autem Innocentii decretum primum obiicitur. Sed ille, si ecclesiæ monumenta probat, non statim gentilium historias improbat. Sunt hæ, fateor, usui ecclesiastici fori, litiumque vulgarium parum aptæ; quamvis & in hunc usum possint esse aliquando utiles. Sed quibus in locis & quæstionibus, quoniam a præsentis instituto alienum est, non est operæpretium dicere. In sacrarum vero literarum expositione, quod in cap. huius libri secundo fuse diximus, historiæ profanæ multum omnino valent. Quamobrem, si quæstio circa divinas literas incidat, & concilia, & cæteri ecclesiastici iudi-



dices eiusmodi historias negligere nec debent, nec vero possunt. Nec his solum scripturæ usibus gentium historiæ accommodantur. Quin sunt alias Theologis necessariæ, quemadmodum & nobis ante explicatum est, & sequentibus quoque libris explicabitur. Andræas porro in synodo Florentina nihil aliud docet, nisi Græcorum, aut Romanorum bella cognoscere nequaquam ad synodum pertinere. Poterat dicere, Troianorum, aut etiam Florentinorum. Nam Græcorum ac Romanorum bella quædam cognita, utilissima sunt prophetarum vaticinationibus explicandis. Sec hæc facillima sunt cætera persequamur. Quæ & ipsa post ea, quæ retro disseruimus, nihil difficultatis habent.

Sane in responsionem decimiseptimi argumenti ne verbum quidem unum adiiciendum censeo, quippe quod, nisi ego fallor, in cap. 6. accurate est ac diligenter expeditum. Duod. vigesimum ergo idemque postremum, quam brevissime potero expediam, quo iam sit tandem huius loci finis.

Resp. ad  
16. & 17.

Duo igitur argumentorum genera Theologus usurpat. Vnum est certum, alterum probabile. De utrisque proximo libro est latius disserendum. Nunc in pauca restringam. Non est necesse, Theologus certa semper principia sumat. Ex incertis, probabilia sint modo, argumentationes aliquando conficit, non ad vincendum quidem, sed ad persuadendum idoneas. Stultus vero Theologus ille erit, qui in omni suo syllogismo res necessarias velit rebus quoque necessariis addicere. Sunt enim nonnulla adeo implicata & obscura, ut prudentiæ theologicæ sit, non ea demonstrare velle, sed suadere, non patentius illustrare, sed utcumque expedire.

In huiusmodi itaque argumentorum genere si quis humanæ fidei probabilitate usus fuerit, falli nimirum aliquando poterit, reprehendi sine iniuria non poterit. Atque etiam, quemadmodum supra diximus, quædam ita certo humana fides tradit, ut ea in dubium vertere stultitiæ sit argumentum vel certissimum. Hæc si in usum suum Theologus v. n. dicarit, nihil fallax, nihil imbecillum ineptumve conficiet, sed rem veram, firmam, rationique tum humanæ, tum etiam divinæ consentaneam. Verum ab his historiæ partibus, quæ sunt expositæ, quemadmodum ducatur argumentum, satis expositum videtur. Omnia igitur argumenta

## I 24 DE HVMANÆ HISTOR. AVCTORIT.

theologica manare a fontibus decem, dictum est in primo libro. In decem autem sequentibus libris, cuiusmodi argumenta e singulis locis erui possint, ostensum est. Quæ dicta sunt fortasse longius, quam instituta causa postulabat, sed brevius certe, quam res tantas posse a me dici existimaram. In historiæ humanæ auctoritate explicanda, fateor, magna mihi longitudo orationis fuit. Sed nullus e locis Theologiæ erat, ubi aut lauior occurreret disserendi materia, aut me oporteret magis cura, diligentia, industria elaborare. Quod etsi minus præstiti, quam rei magnitudo desiderabat, non tamen frustra elaboravit. Admonere enim reliquos potui, ut accuratius scribant, & res vel meliores addant, vel supervacuas detrahant, vel disperse, & diffuse dictas, angustius, & contractius astringant: breviter, si quid norunt rectius istis, candidi impertiant.

*Vndecimi libri finis.*

D E

LOCORVM VSV  
IN SCHOLASTICA  
DISPV TATIONE.  
LIBER DVODECIMVS.

*IN LIBRVM DVODECIMVM  
Proœmium.*



Ratrem Franciscum Victoria, Lector optime, eum quem summum Theologiæ præceptorẽ Hispania Dei singulari munere accepit, solitum dicere audivi, postquam ab illius schola discessi, se ingenio meo quidem egregie delectari, sed id vereri, ne huius excellentia quadam elatus & exultans immoderate iactarer, & grandior effectus, non late modo & libere ingrederer, sed temere etiam, ac licenter præceptoris vestigia conculcarem. Audierat enim me opinionem ipsius unam & item altera non probasse. Vellem autem de nobis ea vere dicerentur, quæ ille pro nimia sua in filium indulgentia dicebat. Sed si minus imitatione tantam ingenii præstantiam consequi possumus, voluntate certe proxime accedimus, magistrumque conamur exprimere. Nimirum si doctrinam meam approbet quispiam, quæ utinam eruditorum opinione digna esset; si in rerum iudicio prudentiam, quæ utinam esset digna nostro cognomine; si orationis cultum, quem elegantiozem adhibere soleo, quam consuerunt scholastici in libris suis: in hoc sumus docti, prudentes,

&

& facundi. quod virum hunc rerum earum omnium ducem optimum sequimur, atque eius præceptis monitisque paremus. Quod vero ad animi moderationem attinet, quam vir in me modestissimus desiderabat, in eo dedi operam, ut timorem illius ego fallerem. Effecerim, an non, alii incorruptis iudicabunt. Sane si qua in me temeritatis culpa est, vix eam excusatione alicuius rei tegere & adumbrare possum, qui sciam parum ingenium valere quamlibet excellens & eximium posse, nisi prudentis intelligentiæ frano, & definita animi moderatione gubernetus. Quamquam illos probare non soleo, qui velut sacramento rogati, vel etiam superstitione constricti, ut Fabii verbis utar, nefas ducunt a suscepta semel persuasione discedere. Theologo nihil est necesse in cuiusquam iurare leges. Maius enim est opus atque præstantius ad quod ipse tendit, quam ut magistri debeat vestigiis semper insistere, si quidem est futurus Theologiæ laude perfectus. Memini de præceptore meo ipso audire, cum nobis, secundam secundæ partem cœpisset exponere, tanti Divi Thomæ sententiam esse faciendam, ut si potior alia ratio non succurreret, sanctissimi & doctissimi viri satis nobis esset auctoritas. Sed admonebat rursum, non oportere sancti doctoris verba sine delectu & examine accipere; imo vero si quid aut durius aut improbabilius dixerit, imituros nos eiusdem in simili re modestiam & industriam, qui nec auctoribus antiquitatis suffragio comprobatis fidem abrogat, nec in sententiam eorum, ratione in contrariam vocante, transit. Quod ego præceptum diligentissime tenui. Non enim ullam non Divi Thomæ dico, sed ne magistri mei opinionem quidem revocavi ad arbitrium meum, neo cordi tamen fuit iurare in verba magistri. Nam & vir erat ille natura ipsa moderatus, at cum Divo etiam Thoma aliquando dissensit. Maioremque, meo iudicio, laudem dissentiendo, quam consentiendo assequebatur: tanta erat in dissentiendo reverentia. Sed hæc hæcenus. Multa enim sæpe laudandi præceptoris nostri gratia dicemus. Nunc ad reliquas partes propositi operis revertamur. De locorum usu tres libros pollicitus sum. Vnum in scholastica pugne alterum in scripturæ sacræ expositione, postremum speciatim adversum fidei christianæ singulos inimicos hæreticos, Paganos: Iudæos, Sarracenos-

His enim rebus 12. 13. & 14. librum impertivi. Atque, ut ad præcepto rem redeam, locorum usum in scholæ concertatione præsertim si tractare ille voluisset, gravissime & copiosissime potuisset scribere. Sed quoniam nulla eius ingenii monumenta mandata literis, nullum opus eruditionis, nullum doctrinæ munus extat : nos ad huius rei scribendæ operam omne studium curamque convertimus. Cum enim tota Theologia frugifera, & fructuosa, nec ulla pars eius inculta ac deserta sit; nullus feratior in ea locus est nec uberior, quam de locorum usu & argumentis, quæ a locis theologiæ ducuntur. Quare quantum conniti animo possum, quantum labore contendere, si scribendi hæc labor est potius, quam voluptas, tantum faciam, ut efficiam, ne cum omnia a præceptore mihi harum rerum principia suppeditata sint, ipse mihi præceptorum item meo videar defuisse. Huius enim clarissimi viri eruditionem memoriæ prodimus: atque ei etsi nequam parem illius ingenio, ut pro nostro tamen studio meritam gratiam, debitamque referimus. Quamquam postulo ab iis, qui hæc in manus sument, ut maius quiddam de magistro meo, quam quantum a me exprimi potest, suspicentur.

## CAPVT II.

*Quid Theologia sit, quæ ei obiecta res, quis finis.*

**P**ROPOSITUM est nobis hoc libro de locorum Theologicorum usu in scholæ disputatione dicere. Id quo recte atque ex ordine fiat, optimum fuerit initio definire, quidnam Theologia sit, quæ illius quasi subiecta materies, quis scopus, in quem theologo studia dirigenda sint omnia. Ac Theologia quidem, si Græcam vocem in Latinam vertimus, *ratio est sermoque de Deo*. Omnis autem, quæ ratione & via de aliqua re suscipitur, institutio, essentiam & potentias, quas vocant, ac cætera omnia vestigat, quæ illi rei sunt peculiariter ac proprie attributa. In theologia ergo facultas quædam intelligitur, quæ Dei naturam, vim & proprietates inquit. Nec vero Theologo satis est, quæ Deo in se absolute conveniunt, ea facultatis suæ viribus iuribusque tribuere, nisi etiam illa von-

di-

dicet, quæ Deo quasi accidunt in ordine ad creaturas. Dei enim notionem omni ex parte rimatur. Bipartita igitur est Theologiæ tractatio: una de Deo secundum se, altera de eodem, quia rerum est principium ac finis. Nec theologus tamen summa & infima, divina, & humana miscet; sed adeo articulate, clare, artificiose, hæc componit illis, his illa iungit, ut non modo nullam sibi viciniam obscuritatem afferant, verum etiam utraque utrisque adhibeant lumen. Quid? Quod sicut solem intueri nequimus adversum, eiusque radiis acies nostra sensusque vincitur: sic ad divinæ lucis obtutum mentis nostræ oculi hallucinantur & calligant. Quamobrem necesse est, ut Deum sua natura invisibilem in effectus ceu in umbra, in speculo, in imagine, in signis vestigiisque cernamus. *Invisibili enim ipsius a creatura mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur (1): sempiterna quoque eius virtus & divinitas.* Cum vero inter omnia, quæ oculorum sensu percipimus, rationalis creatura similima Deo sit, ad imaginem quippe Dei factus est homo, nihil profecto invenias, in quo divina bonitas, potestas & sapientia magis eluceant. Quare theologiæ disciplina, quamvis de Deo ipsa præcipue sit, plurimum tamen circa homines humanaque versatur: & cum ex homine, tum ex iis, quæ Deus homini fecit, atque effecit, divinæ naturæ cognitionem quærit. Quod si potentiam, benignitatem & providentiam Dei indagare & proferre proprium theologiæ munus est: de fine, quem Deus non alium, quam seipsum hominibus comparavit, deque mediis ad hunc finem necessariis, virtutibus, legibus, gratia, incarnatione, sacramentis, longissima licet theologi disputatio, non est ab instituto theologiæ aliena: non solum ob eam causam, quam D. sane Thomas gravem reddidit, ne theologia, quæ efficitrix etiam est, non modo speculatrix, manca & imminuta hac parte omissa linqueretur: sed multo magis quod eæ res Dei ipsius probitatem, æquitatem, virtutem, integritatem, beneficentiam, liberalitatem, misericordiam, patientiam, longanimitatem insigniter & præclare patefaciant & illustrent. Cuius rei ignoratio causa

qui-

(1) ROMAN. I.

quibusdam erroris illius fuit, ut existimarent, disciplinam hanc non esse contemplandi gratia inventam, sed agendi. At enim quibus argumentis utantur, videamus. Primum contemplationis tractatus, inquit, longe minor est, quam actionis. Illi enim D. Thomas primam summæ suæ partem dedit, huic secundam & tertiam, quæ voluminis magnitudine illam singulæ etiam exsuperant. De fine rursus, ac mediis disputare, ad eam facultatem sine dubio pertinet, quæ aliquid molitur & agit. Nimirum non ad mentem ea, sed ad affectum referuntur. Cum ergo de fine, & mediis humanæ vitæ plurimam theologus disputationem instituat, fieri videtur, ut theologiæ vis non in cernendo potissimum, sed in agendo sita sit. Theologiæ insuper & divinarum scripturarum idem est finis. Nec enim finem alium disciplinæ eiusdem principia ac conclusiones habent. At divinarum omnium scripturarum finis dilectio est, ut Augustinus (2), Gregoriusque (3) testantur. Non ergo Theologia præcipue ad contemplandum tendit, sed ad amandum.

Præterea, quæ doctrina cuiuspiam est speculatrix venatrixque naturæ, oculos maxime ad cernendum postulat, non ad agendum vires. Nec stultitiæ eos arguit, qui in actione torpent, sed qui sunt in speculatione tardi. At scriptura omnis a discipulis opera exigit (4), eosque cesatione torpentes tanquam vanos & otiosos reprehendit. Non igitur speculandi causa hæc doctrina potissime traditur, sed agendi. Ad hæc, fides in charitatem refertur, non e contrario in fidem charitas, ut ex Matth. cap. 22. & ex Apostol. 1. Corinth. 13. colligitur. Notitia ergo principiorum Theologiæ, quam notitiam fidei vocabulo accipimus, diligendi causa primum omnium fidelibus data est. Causa quippe *rationis*, quam finalem possumus interpretari, eadem & prima & principalis est. Quod si notio principiorum doctrinæ huius *actuosa*, est, fides scilicet, quæ per dilectionem operatur, conficitur sane, doctrinam quoque ipsam ad mores primo, vitæque actionem attinere. Item si fides

Tom. II.

R

spe-

(2) 1. de Doctrin. christ. cap. 35. & 36. (3) Hom. 10. in Exech. (4) Matth. 7. Luc. 1. Sap. 13. & aliis infinitis propemodum locis.

speculatio quædam est, non moralis disciplina, unde illud (5), *Fides sine operibus mortua est?* Vnde illud rursum (6), *Ad dandam scientiam salutis plebi eius in remissionem peccatorum eorum?* Nam scientia salutis corporalis in praxim maxime spectat, in contemplationem non item. Quid illa (7)? *Dedit illi scientiam sanctorum. Scientia sanctorum prudentia. Omnis scriptura divinitus inspirata utilis est* (8), &c. *ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus* (9). *Hæc* (10) *autem scripta sunt ut credatis, & ut credentes vitam habeatis in nomine ipsius. Qui* (11) *dicit se nosse Deum, & mandata eius non servat, mendax est*: aliaque huius generis sexcenta, quæ in divina passim scriptura reperiuntur. Ex quibus omnino videtur effici, Theologiam non esse speculatricem, sed eff.ctricem: atque adeo finem eius præcipuum non esse contemplationem, sed actionem. Id quod opinati sunt scholastici quidam Theologi in primis clari & nobiles, qui in ea re magistrum (12) forte sequuntur, hanc disciplinam ex usu & fruitione partientem. Nec intelligunt doctissimi viri (sic enim mihi modestissimum est vocare illos,) alium esse finem doctrinæ, alium doctoris: vel, ut verbis differentibus rem fere eandem exprimamus, alium esse finem doctrinæ primum, alium postremum: ut si verbi causa dicimus, vini duos esse fines, unum ad bibendum, alterum ad medendum. Charitas ergo docentis Dei, atque ea re doctrinæ quidem huius finis est: at non primus, sed secundus. Nam & cognitio contemplatioque naturæ, ut ait eleganter Cicero, manca quodammodo atque inchoata est, si nulla actio rerum consequatur. *Vani sunt*, Sapiens inquit (13), *omnes homines, in quibus non subest scientia Dei, &c. & alius item* (14). *Quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis, &c.* Quapropter si ex fine secundo naturam disciplinæ consideres, iam tibi physica inter actuosas numerabitur. Quid? Quod finis noster primus, ut D. Thomas verissime sentit, visio Dei est clara & manifesta? Quia verò

fi-

---

(5) *Iacob. 2.* (6) *Luc. 1.* (7) *Sap. 10.* (8) *Prov. 9.*

(9) *2. Timoth. 3.* (10) *Ioann. 20.* (11) *1. Ioann. 2.*

(12) *1. dist. 1.* (13) *Sap. 13.* (14) *Ad Rom. 1.*



finem illum adipiscimur mente & voluntate, & cognitione & amore: fit, non ut cognitio ex se ad amorem, sed ut utraque res ad visionem referatur. Quod si cognitio viæ ex se non nisi ad patriæ cognitionem referenda est, quamvis illa non sit per se idonea, nisi ei affectus dilectioque iungatur, visio vero Dei, cuius fides seminarium est, contemplatio potissimum est, non effectio: sequitur Theologiam maxime speculativam esse, non practicam. Liceat enim, quando de scholæ disputatione habetur oratio, scholæ verba usurpare. Adde, quod Theologia Dei naturam, potentiam & proprietatem inquirat. Est ergo Deus huius scientiæ proprium obiectum, atque adeo speculationis causa comparatur. Atque Augustinus aperte docet (13), sapientiam, de qua Apostolus 1. Corinth. 12. loquitur, intellectualem notionem esse & contemplationem rerum æternarum. Sine dubio autem sacra doctrina sapientia est, eaque re speculativam esse constat. Quod, ut cætera taceamus, vel Theologiæ nomen præ se fert. Quemadmodum enim non solum asserere, sed etiam addubitare stultissimum est, num Physiologia Astrologiaque speculatrice sint, an effectrices, quod nomina ipsa insignite egregieque declarant, contemplationem rerum ingeri, non mores & actionem. Tametsi Medici, Nautæ ac cæteri, qui rebus publicis addicci & destinati sunt, otiosam naturæ astrorumque notionem aspernantur & fugiunt; quæ actiosa est, eam & amplectuntur & colunt: Sic ambigere, theologia speculatrix ne sit, an effectrix, a communi etiam mediocrique intelligentia & sensu remotum est: Vtpote cum nihil aliud illa sit, quam ratio sermoque de Deo. Quanquam viri prudentes vacantem illam & otiosam esse nolunt, sed ad humanæ vitæ & usum, & finem accomodari. Præterea, Theologia omnem de Deo cognitionem tradit, sive ea per naturæ lumen seu divino solum munere & illustratione habeatur. Cum igitur speculetur quicquid de Deo cognoscere humana ingenia possunt; nimirum aut speculativa est, aut scientia de Deo nulla esse speculativa potest. Quod licet nonnulli huic argumento dederint, adeo tamen absurdum

R 2

est,

(15) 12. de Trinit. cap. 14. &amp; 15.

est, ut *refelli non debeat*. Quid? Quod theologia nostra divina sapientiae quaedam impressio est, quae eadem & speculandi vim habet & agendi? Nihil igitur obstat, cur non idem lumen vultus Dei, quod signatum est super nos, utraque ostendat & quae contemplari oportet, & quae agere. Sicut anima rationis, quod formarum omnium praestantissima sit, vires quidem excellenter habet & sentiendi, & vigendi, sed in ea tamen vis intelligendi prima eademque praecipua est. Nec vires illa exercet reliquas, nisi ut proprio tandem intelligentiae munere perfungatur. In hunc itaque modum Divus Thomas scienter ac perite dixit Theologiam muneribus utriusque fungi & speculandi & agendi, quamvis magis speculetur, quam agat. Non enim agit, nisi quia agendo ad perfectam Dei cognitionem tendit. Quibus rebus breviter explicatis illa tria perspicue satis, & plane intelliguntur, quae a principio huius capituli exponenda suscepti: nempe quoniam sit Theologiae propria notio ac definitio: quae rursus illi subiecta materies, circa quam ipsa versetur: quis tandem illius finis tum primus, tum secundus. Theologia scientia est, quae docet, quidnam natura divina sit, & quae naturae eius vires ac proprietates. Deus ipse est doctrinae huic obiectum subiectumque propositum, & quasi versanda materia: his enim modis res, quam facultas quaelibet mente tractandam cognoscendamque proponit, a Philosophis appellatur. Finis primarius quidem naturae divinae notio, & contemplatio per Dei potentias, virtutes & proprietates explicata: postremus autem earum rerum actio, quae ad mores sunt, ac bene beateque vivendum necessariae. Et quidem quem usum loci Theologici habeant vitae moribus & actionibus accomodatum, non institui in praesentia dicere; quamvis magnus ille omnino sit, & qui nobis disserendi praestaret valde utilem copiosamque materiam. Is tantum usus, ut supra dixi, nunc mihi expediendus est, quem Theologus capere e locis potest, si in scholae disputationibus illos verset & tractet, cum scilicet quantum potest, tantum cognoscere curat de Deo, rebusque divinis. Non autem mihi excidit, scripsisse me in libro quinto, cum de ecclesiae auctoritate in morum iudicio dicerem, duplicem esse de rebus Theologicis quaestionem: Vnam, quae ad contemplationem attineret; alteram, quae in moribus

atque usu vitæ sita esset. Quod a quibusdam sic accipi potest, tanquam hoc, quod nunc habeo institutum, priori diversum sit. Id vero a me procul aberit. Namque aliud est locorum usum Ecclesiasten in concione docere, ubi de moribus aut hortando, aut de hortando igitur, aliud Theologum in usu locorum instituere, cum in morum quæstionem incidit, sive illa sit earum rerum, quas scire ad salutem est necessarium, sive earum etiam, quæ fuerint opportunæ. Atque concionatoribus, quemadmodum loca theologica usurpare debeant præscribere, id ego hoc tempore prætereundum censeo. At quoniam quæstiones fidei & morum a Theologo eadem via & ratione tractantur, quum in disputationem Theologiæ veniunt, id ambigendum non est, quæ superiorum quæstionum præcepta fuerint, eadem ad sequentes pertinere. Hæc enim est una res prorsus, ut non differat multum inter fidei decreta & iudicia morum; eaque est ex eisdem locis eademque prope modum forma tractanda. Nec vero velim, ut rursus me quispiam in tam frigida tamque ieiuna calumnia remoretur, quod Theologiam simpliciter & absque ullo temperamento scientiam nuncupaverim. Quasi nescirem Aristotelem in scientia evidentem & claram conclusionis notitiam exigere, cuiusmodi quum in principiis Theologia non habeat, ne in conclusionibus quidem habere potest. Pugnat enim, rationis conclusionem dilucidam, apertam & manifestam effici, si res, e quibus illa colligitur, obscuræ, oportæ, atque involutæ sunt. Porro autem si non ut Aristoteles, ut sacri auctores, sic nos certe loquimur, qui doctrinam hanc scientiam absolute vœ carunt. Scire, Augustinus inquit (16), quemadmodum fides & piis optuletur, & contra impios defendatur, proprio appellare vocabulo scientiam videtur Apostolus. Illud autem sine dubio munus Theologiæ proprium & officium est. Et Hieronymus, ut alios omittam, scripturæ sacræ doctrinam, quam Theologi profitentur, scientiam sapientiamque passim appellat. Quin sacræ literæ, ubi res certa est, ibi nullo modo sciendi vocabulum reformidant. Nota sunt illa (17), *scio quod redemptor meus vivit, &c.*

Item

---

(16) 14. de Trinit. cap. 1. (17) Job 19.

Item (18), *Scio quod certissime regnaturus sis*, &c. Item (19) *Dedit illi scientiam sanctorum*. Item (20) *scientiam Dei invenies, quia Dominus dat sapientiam, & ex ore eius prudentia & scientia*. Et Apostolus (21), *Alii quidem per spiritum datur sermo sapientia, alii autem sermo scientia*. Præterea evidentiam Aristoteles in disciplinis flagitat, ut rerum cognitio nec fallere possit, nec mutari. Firmam enim immutabilemque notionem scientiæ vocabulum postulat. Cum igitur quæ res in fidem ac Theologiam incidunt, qua ratione in eas incidunt, stabiles immobilesque sint, nec in eis Theologus errare, labi aut decipi queat, fit, ut sine perspicuitate etiam Theologia scientiæ proprie sibi appellationem vendicet. Quæ eadem causæ subest, ut disciplina hæc circa res etiam contingentes; hoc est sua natura minime necessarias, sine sui nominis impendio & iactura versetur. Necessitatem quippe in doctrina idcirco Aristoteles requisivit, quod sine ea nec rerum nec cognitionis stabilitas & immutabilitas appareret. At causæ vel fortuito antegressæ, harumque effecta suapte natura parum firma & constantia, ut sub Theologiam & fidem cadunt, non mobilia, & quæ modo huc atque illuc transferantur, sed certa immutataque perinde ac perennia manent. Quamobrem utraque Deus proprie scire dicitur, & quæ necessario eveniunt, & quæ nobis in casu & fortuna sunt posita. Rite ergo Theologiam scientiam dicimus, in qua certitudo immobilis, firma constantia, & ut ita dicam, infallibilitas cognitionis est. Quid? Quod Musica & Astronomia a plerisque scientiæ nuncupantur, & tamen vix unus aut alter cælorum siderumque errantium conversiones, a quibus disciplinæ illæ nunc pendent, proprio vel instrumento, vel experimento exploravit? Quin Astrologi fere iuniores veterum experimenta, tanquam certa earum rerum præiudicia sequuntur, quas ipsi tractandas, iudicandasque suscipiunt. Theologia igitur iure quoque scientia vocabitur, præsertim cum huius doctrinæ principiis accadat, ut obscure nobis sint cognita. Nimirum enim si nobis perspicuæ ac dilucida forent, nihilo secius suum hæc dis-

---

(18) 1. Reg. 24. (19) Sap. 10. (20) Prov. 2.  
 (21) 1. Corinth. 12.

disciplina & nomen & rationem tueretur. Ac re vera, si modo Aristoteles viveret, non aliud nomen inveniret, quo theologiam aptius & congruentius appellaret. Nam fidem dicere, quæ non auctoritati proximæ, sed rationi & syllogismo inimitatur, absurdum est. Alioqui si prior propositio certa ex fide sit, posterior autem ratione naturæ probabilis, conclusionis fides erit, non opinio. Quod plane falsum est. Theologiam ergo, quando illud melius non occurrit, scientiæ vocabulo nuncupemus. Firma enim & stabilis earum rerum perceptio & comprehensio est, quæ e certis constantibusque principis manifesta connexionem necuntur. Nec enim illud vere dici potest, theologiæ consequentias probabiles & obscuras esse, non evidentes & firmas. Cuius rei argumentum ponunt minime acutum, sed in primis hebes, quod si certa esset claraque connexio, conclusiones non iam ad Theologiam, sed ad fidem attinerent. Verum hæc ratio ridicula est; iure itaque a plerisque reprehenditur. Est enim facile & apertum fidei Theologiæque discrimen: quod fides proxime, & ut sic dicam, immediate auctoritate nititur; Theologia vero proxime & immediate ratione. Habent enim se, quemadmodum supra dixi, fides & Theologia non aliter quam habitus principiorum, & scientia conclusionum. Et sicut naturæ lumen absque ratiocinationis medio principiorum naturalium notitiam efficit: ita lumen fidei, nullo adhibito rationis argumento, earum rerum persuasionem facit, quibus fideles assentimur, divina solum auctoritate nixi. Non igitur consecutionis evidentia & firmitas Theologiam tollit, sed facit: non aufert, sed infert. Quanquam sunt in hac, sicut & in aliis disciplinis, opinioniones quædam rebus scitis exploratisque permixtæ. Ac quemadmodum doctrina physica, naturæ licet ipsa congruens & consentanea, non omnes conclusiones explorete conficit, sed quasdam probabili argumentatione suadet: sic plurima Theologus pronuntiat quidem constanter, certo, fidenter, in quibusdam tamen præclare agi secum putat, si verisimile quod sit invenerit. Nec arbitratur sese scire quod nesciat: aut perinde ut si omnia certa essent Theologiæ dogmata, nihil formidat, nihil ambigit: sed illud cavet & providet, ne universis temere assentians & valde cuncta asseverans, earum etiam

rerum auctoritatem, quæ sunt certiores, & illustriores, amittat. Sed ad rem. Cum incerta connexio est vel altera propositio est incerta, quæ cum fidei principio sumitur, conclusionis opinio erit, Theologia proprie non erit. At sive ambo syllogismi principia fidei sint, seu alterum ex fide certum, alterum ex natura evidens, conclusio ad Theologiam pertinebit; modo consecutio, aut clara luce naturæ sit, aut fidei illustratione cognita. Haud enim secus, quod etsi dixi, sæpe ac sæpius dicturus sum, haud secus, inquam, eiusmodi conclusionis scientia refertur ad fidem, quam ad habitum principiorum naturales disciplinæ. Quæ quoniam ita sunt in promptu, ut res argumentatione non egeat, his omissis pergamus ad reliqua.

## CAPVT III.

*Quæ sint Theologiæ principia.*

**E**Nimvero cum disciplina omnis quosdam habeat fontes, quos scientiæ principia dicimus, quosdam deinde rivulos, quos quasi scientiæ fines conclusiones appellamus: necesse est theologo usum locorum paraturo discere ante omnia, quænam facultatis suæ causæ & principia sint, quæ effecta causis illis principiisque connexa. Principia vero theologiæ primum cognoscenda sunt: nam his cognitis, multo facilius extrema intelligemus. Sed quoniam decem locorum generibus propositis adiunximus causas cuiusque generis, easque res ante constituimus, quibus cuiusque vis & natura continetur: non deerit fortasse qui tractationem hanc superfluum esse contendat, immo ea etiam omnia, quæ dicere de locorum usu instituimus. Argumentabitur enim, theologiæ non alios esse fontes ac locos ipsos, quos digito etiam indicavimus: tamque aperte & clare singulorum vires & naturam explicuimus, ut facile ex quoque loco possimus, nisi simus valde tardi, argumenta colligere. Quid? (Nam & hoc dicet aliquis) Nonne & ante nostram hanc artem, si modo hæc ars est, theologi & argumenta invenerunt, & alia ex aliis necentes rem theol-

logicam via & ratione tractarunt? Num D. Thomas perfectus absolutusque theologus, si hanc theologiæ partem necessariam iudicasset, eam penitus intactam omisisset? A quo non verisimile est, cum ceteræ partes theologiæ bene descriptæ sint, extremum actum tanquam ab inerti posita esse neglectum. Quid igitur laborare opus est, aut in quo evigilare curas & cogitationes nostras: siquidem nihil locorum usu explicando parere tale possumus, nihil consequi, quod sit theologis magnopere utile & necessarium? sed non poterunt huiusmodi argutiæ mentem meam e sua sede & statu dimovere. Ego enim sic mihi persuasi, sic sentio, has nostras de locis præceptiones plurimas res continere: quoquo se theologus verterit, præsto esse, nulla disputatione excludi. Nam sive argumentum quaeritur ad theologiæ probanda dogmata firmissimum, sive ratio ad sacras literas explicandas aptissima quaeritur, aut hæc ars est, aut nulla omnino, per quam ea assequamur. Nullam vero dicere maximarum rerum artem esse, cum minimarum sine arte nulla sit, hominum est parum considerate loquentium, atque in maximis rebus errantium. Sed hæc, quibus ad locorum cognitionem & usum cohortamur, accuratius essent forsitan disputanda. Quod aliis quidem libris fecimus.

Hoc autem tempore tantum nobis declarandum fuit, cur Div. Thomas diligentissimus absolutissimusque Theologus hunc de locis tractatum dereliquerit, si tam est, quam nos dicimus, theologo necessarius. Et quidem Divus Thomas in 1. part. quaest. 1. artic. 8. ad secundum, restrictè, breviterque, ut solet, Theologiæ locos indicavit, non omnes, sed plerosque. Quia etiam, ut homo minime ingratus illi me dedam, cui me tantopere debeo, & huius officii servitutem astringam testimonio sempiterno: D. Thom. mihi & auctor & magister fuit huius operis componendi. Sed ille locorum fere naturam explicuit presse & anguste, ac suo demum modo. Non enim dilatat argumentum, sed quasi punctis, quod proponit, efficit. Rationem autem tractandi locos ipsos nec Divus Thomas, neque alius quisquam, quod equidem sciam, conatus est explicare. Quod idem Aristoteles in locis dialecticis fecerat, qui locos ipsos varie ac fuse quidem complexus est, sed non ostendit, quomodo inveniendum sit ex ipsis,

neque usum eorum demonstravit, qui in hac re esset maximus & potissimus: sed usum nescio quem ad probabilem & communium argumentorum inventionem literis prodidit, quem ignorare eruditi possunt, nec magnam eruditionis iacturam facere. Quanquam 1. topic. lib. ambitiose forte magis, quam vere, quæ in topicis a se traduntur, ea quatuor usus habere ipse Aristoteles iactat. Quid igitur? Sic Div. Thomas locorum usum silentio præterivit, persecutus nisi aliquis casus aut occupatio consilium eius prævenisset; aut si non res has consulto & iudicio persequi instituit; certe vel non omnia possumus omnes, vel divinæ procurationis fuit, ut priores aliquid posterioribus relinquerint, in quo elaborare quoque ipsi & exercere utiliter non solum memoriam, sed etiam ingenium possent. Hanc igitur partem relictam explebimus nullius adminiculis, sed ut dicitur, marte nostro. Nec enim quicquam de locis Theologiæ post Divum Thomam explicatum est, quod mihi probaretur de iis, quæ in manus nostras venerunt. Quemadmodum igitur in re militari solet, ubi dux non satis esse putat militibus arma dare, sed docet quomodo sit ipsis utendum, manus illorum aptat, componit gradus, quando fugere adversarium debeant, præcipit, quando insequi, quando fidere viribus, quando arte uti, quando ferire hostem, quando eius ictus eludere; ducit denique in aciem, præscribit ordinem, locum assignat, de quo iniussu suo non liceat eis discedere: sic mihi videor facturus, si discipulos meos & informare & instituere ad effigiem absolutæ cuiusdam eruditionis volo. Nec verbis modo præfinire hæc habeo, sed arreptis etiam telis in ludicrum certamen descendere ad exemplum posterorum. Quæ tametsi non ad vulnus, sed ad speciem valere videntur, non inutilia erunt tamen. Quicquid enim in his rebus ad aspectum venustum est, idem utiliter fit ad veram pugnam, si quando illa cum adversariis committatur.

Quod si quis sine arte id quod artis est, effecit, permittat, obsecro, mihi meique similibus, ut artem & præcepta adhibeamus. Sunt prata, quibus natus & indigenitalis humor interius infusus est. Sunt, quæ nisi extrinsecus humore allapso irrigari non possunt. At disseruerunt Theologi non-



nulli ante me valde feliciter. Primum, idem erant expeditius certiusque facturi, si hoc genus exercitationum nostrarum degustassent. Quamlibet ager fœcundus sit, fœcundiorum cum tamen faciet agricola, si diligenter & studiosè colat. Sic igitur etsi ingeniiis magnis præditi quidam, copiam in Theologia disserendi sine arte consecuti sunt; ars tamen, ut Tullius ait, est dux certior, quam natura. Aliud enim est argumenta congerere, aut potius spargere ac dissipare, aliud eadem via & artificio premere. Nam qui sciet ubi quicquid positum sit quaque eo veniat, is etiam si quid obrutum erit, poterit eruere, semperque esse in disputando suus. Non itaque si nulli fuerunt, qui locos artificiosè digestos generatim composuerint, nulli qui partem hanc Theologiæ dissolutam divulsamque conglutinarint, & ratione constrixerint: statim nostrum hoc opusculum supervacaneum erit, immo vero eo magis necessarium doctis & ingeniosis fortasse, tardis & rudioribus sine dubio. Deinde non mihi videntur scholastici Theologi ( fatendum est enim quod sentio ) admodum compositæ & ordinate disputationes Theologiæ distinxisse. Divum Thomam semper excipio, apud quem mirabilis est contextus rerum, summus quæstionum & articularum ordo, & compositio disciplinæ incredibilis. Adeo respondent extrema primis, media utrisque, omnia omnibus. Nam de argumentorum copia quid attine dicere? Cum de infinitis prope quæstionibus in utramque partem disserendi tanta illi facillitas & abundantia fuerit, ut non contra omnia semper, sicut *Archesillas*, disputarit, & tamen ut in omnibus rebus quicquid ex utraque parte dici posset expresserit. Cæteri scholæ auctores perturbatione rationis atque ordinis multum omnino peccaverunt, Magistrum videlicet secuti, in cuius quatuor sententiarum libris multa quidem lectio sanctorum apparet, & pro tempore illo haud mediocris sane eruditio. Sed præter distinctionum vocabula, in quas libri illi divisi sunt, nihil distinctum fere videas, recteque & ordine distributum. Testimoniorum congeriem dicas potius, quam dispositionem & rationem disciplinæ. De Trinitate prima est illi disputatio. Ita prius relatæ, quam absoluta persequitur. Nam de iustitia

& misericordia Dei in 4 sentent. quasi præteriens disputavit De virtutibus in tertio. De vitiis quibusdam item in quarto. Innumera sunt eiusmodi confuse ab illo perturbateque tractata. Quamobrem scholasticis, qui huius vestigiis inhæserunt, confusa etiam fere ac perturbata sunt omnia. Nec magistrum ego volo fraudare suo veteri nomine, magnum utique, ut ætate illa, virum, & quem iure coluerint posterum. Nec scholasticorum laudi, quam multorum sæculorum firmavit opinio, detrahere quicquam volo. Sed ingenuè ac libere dico, quid in illis desideretur, quidque illi præstarent homines ingenio, doctrinaque præstantes, nisi disserendi artem neglexissent. Nam quod spectat ad argumenti inveniendi rationem, fontes quosdam videntur etiam ignorasse: adeo nulla ex quibusdam eorum fontium argumenta proferunt. Quotus enim quisque ex traditionibus Christi & Apostolorum argumentatur? Atque ex conciliis raro, ex sacris literis non adeo frequenter, ex historia vix semel. At mea quidem sententia nemo poterit omni laude esse cumulatus Theologus, nisi & erit horum locorum omnium scientiam consecutus, & ex eis promptum, expeditumque paravit ad argumentandum usum. Nam de locorum natura & vi quidem satis fateor supra a me dictum.

Sed in eisdem nunc non frustra versabimur, eum docebimus, quisnam eorum locorum usus sit, & quemadmodum ex eis argumenta ducenda. Id quod non omnibus ita facile est, ut nec præceptis, nec exemplis nostris indigeant. Sed hæc hæctenus. Iam ad instituta pergamus. At ne plura, quæ sunt pene innumerabilia, consecrè, comprehendam brevi, quæ sint Theologiæ principia. Theologiæ naturalis & supernaturalis (hinc enim ordiendum est) facilis est & expedita distinctio. Theologiam naturalem voco Metaphysicam, ea parte, qua Dei naturam per naturæ rationes inquirat: quæ est nobis, id est, Christianis cum philosophis gentium communis. Supernaturalem autem eam dico, quæ eiusdem Dei & naturam & proprietates per principia ea investigat, quæ sunt hominibus divinitus revelata. Revelationem porro Theologorum more hic accipio, quæ hominis & captum superat

&

& ingenium. Nam Paulus (1) ea etiam, quæ naturali ratione & lumine cognoscuntur, Dei revelationi & manifestationi tribuit. Atque hæc supernaturalis Theologia propria est fidelium & Christianorum, tanto disciplinis cæteris melior, quanto divina auctoritas, in qua illa sustentatur, humana omni ratione potior & antiquior est. Recte igitur Divus Thomas docet (2), quod *argumentari ex auctoritate est maxime proprium huius doctrinae, eo quod principia huius doctrinae per revelationem habentur; & sic oportet quod credatur auctoritati eorum, quibus revelatio facta est. Nec hoc derogat dignitati huius doctrinae. Nam licet locus ab auctoritate, qui fundatur super ratione humana, sit infirmissimus; locus tamen ab auctoritate, qui fundatur super revelatione divina, est efficacissimus.* Tantum ille. Ergo quoniam omnis oratio nobis de Theologia ea, quæ est supra naturam instituitur; ideo huius solum principia, quæ & qualia sint, exponendum est. Hoc vero ut scholæ congruenter fiat, nodos illos & proferendos, & solvendos puto, qui rem totam istam illigant & impediunt. Primum est, quod D. Thomas paucis verbis malta peccare videtur. Vnum, quod secum ipse pugnat. Modo enim ait articulos fidei esse Theologiæ principia: nunc autem illa omnia, quæ in sacris literis continentur: imo aliquando universa etiam, quæ sunt divinitus revelata: in quibus traditiones profecto apostolorum sunt, quamquam in libris canonicis non inveniuntur scriptæ. Potest ne magis secum ipse pugnare (3)? Alterum peccatum, quod cum Paulus inter ea, quæ credere oportet, duo illa numeret (4), *Deum esse, & esse remuneratorem iniquitientium se*; D. Thomas contra docet (5), illam fidei articulis minime comprehendi, sed a fide potius supponi. Non sunt igitur D. Thomæ hæc Theologiæ principia: si quidem non sunt propositiones revelatæ, quas fide credimus, sed

na-

(1) Rom. 1. (2) 1. part. quest. 1. artic. 8. ad 2.

(3) 1. part. quest. 1. art. 7. & 8. 1. part. quest. 1. art. 8. ad 2. 2. 2. quest. 1. art. 5. ad 2. 1. part. quest. 1. art. 5. ad 2. & art. 8. ad 2. (4) Hebraeor. 11. (5) 1. part. quest. 2. art. 2. & 2. 2. quest. 1. art. 5. ad 3.

naturæ lumine ab hominibus cognoscuntur : ob idque fidem ipsam antecedunt , cuius decreta ea demum sunt , quæ in propriis Theologiæ principiis habere debemus. Nec apostolo solum, sed rationi quoque illi Divus Thomas videtur adversus, quæ dilucide probat, Deum esse, proprium idemque primum censi Theologiæ principium. Est enim Deus, ut supra dixi, res huic disciplinæ proprie subiecta. Omnis autem disciplina ponit in primis, & rem sibi subiectam esse, & quid etiam res illa sit. Deum itaque esse, proprium est Theologiæ principium, quia speculatrix est. Nam quia & effectrix, illud habet principium primum, Deum esse remuneratorem inquirentium se. Tertium Divi Thomæ peccatum commune cum plerisque Theologis, quod cum plurima sint a Deo revelata, non solum iis, qui canonicos libros scripserunt, sed aliis etiam sanctis Dei hominibus, Martino, Nicolao, Benedicto, Dominico, Francisco : fidem & Theologiam asserit non quibuslibet Dei revelationibus niti, sed iis duntaxat, quas scripturæ sacræ auctores habuere. Constat autem, & divinam revelationem generaliter esse fidei Theologiæque rationem formalem, & fidem quibusque Dei dictis assentiri : est namque virtus, quæ Deo dicenti credit. Atque hic nodus primus in verbis quidem Div. Thomæ est. Nam secundus non modo Divum Thomam, sed cæteros fere omnes astringit. Nulla enim omnino disciplina sua principia ratiocinatione probat, sed ponit : idcirco enim positiones seu petitiones nuncupantur. At Theologia ea, quæ fides tenet, ratiocinatione concludit : non ergo eadem sunt huius disciplinæ principia, quæ & fidei decreta. Quod vero Theologia fidei dogmata argumentando comprobet, multifariam suaderi potest. Primum, quia Deum esse unum, immortalem, rerum humanarum procuratorem, & cætera eiusmodi per fidem a Christianis accepta, claris Philosophiæ argumentis demonstramus. Tum rursus, quia Deum esse creatorem, fidei articulus est : id autem ratio quoque naturalis ostendit. Adde quod apostolus Petrus iubet (6) nos esse paratos ad red-

den-

dendam rationem de ea, quæ in nobis est, spe, atque ideo de ea, quæ in nobis est, fide. Adde etiam, quod huic scientiæ attribuitur illud, quo fides saluberrima gignitur, nutritur, defenditur, roboratur; id quod ex Divo Augustino (7) acceptum omnium Theologorum ore teritur. Si ergo rerum naturalium cognitio, ut Augustinus, ait, fidem & gignit & nutrit & roborat: nimirum ea, quæ fidei sunt, ratione naturali Theologia patefacit. Non ergo fides Theologo principia tradit, nisi sua ipse principia probet: quod ab omni prorsus disciplina alienum esse, adeo explorete perceptum est & cognitum, ut non sit a me in præsentia confirmandum.

Tertius nodus ex verbis quoque Divi Thomæ necitur. Docet (8) namque, ad fidem aliquid pertinere dupliciter: uno modo directe, sicut ea, quæ nobis sunt principaliter a Deo tradita; alio modo indirecte, ut ea, quibus negatis consequitur aliquid fidei manifeste contrarium, ut si quis neget Samuelem esse filium Helcanæ: ex quo sequitur divinam scripturam esse falsam. Hactenus non verbis quidem eisdem, sed sensu eodem ille ait. Et rursus alio loco (9) affirmat, omnia quæ sunt in sacris literis tradita, præter ea, quibus homo beatus efficitur, per accidens ad fidem spectare, ut Abraham duos filios habuisse, & David fuisse filium Isai. Quod si eiusmodi, licet in libris sacris expresse etiam conscripta sint, indirecte tamen & per accidens ad fidem attinent, non sunt profecto Theologiæ principia. Nec enim cuiusquam disciplinæ fundamenta fabricam illius disciplinæ ex accidenti & indirecte constituunt. Poteram & aliis argumentis hanc quæstionem implicare: sed verbar, ne & hæc quoque lectori delicato multa nimium viderentur. Atque hæc, pauca licet, urgent tamen, & nihil remittunt, ut omnia ea explanemus, quæ Theologiæ initiis exponendis necessaria sunt. Expediemus itaque primum, quænam sit huius doctrinæ ratio formalis, deinde quæ eius, nativa germanaque principia: atque in his, quæ capitalia sint, quæ vero legitima qui-

(7) 14. de Trinit. cap. 1. (8) 1. part. quæst. 32. art. 4.

(9) 2. 2. quæst. 2. art. 5.

quidem, sed secundaria tamen: postremo quæ sint extranea & aliena, hoc est, ascita & accersita ab exteris disciplinis.

Formalis ratio Theologiæ, quoniam illud in primis suscepi explicandum, non est una & simplex, sed duplex & bipartita. Est namque ratio formalis rei obiectæ, quia res est: quomodo Deitas Theologiæ ratio dicitur. Est item ratio rei, ut mentem ad assentiendum movet, quemadmodum veritas prima revelans Theologiæ habetur ratio. Sic rationes videntur intelligimus & colorem & lucem: colorem quidem prior modo, lucem autem posteriore. Atque illam quidam vocant rationem *quæ*, hanc rationem *sub qua*. Puto nobis concedi oportere, ut scholæ verbis utamur, si quando minus occurrent Latina. Quin Latina etiam interdum relinquenda sunt, ne in scholastica disputatione non tam explicasse res, quam verba affectasse videamur. Quia vero de ratione formali rei huic doctrinæ subiectæ, quia res est, nulla esse potest inter viros doctos controversia: de ratione formali ex parte habitus & potentiæ cognoscentis huiusmodi conclusiones statuo.

1. conc.

Primam, *Ratio formalis fidei non est ratio Theologiae formalis*. Nam si Theologiæ principia lumine prophetiæ cognoscerentur, aut lumine etiam gloriæ beatorum, conclusiones nihilo secius ad Theologiam pertinerent. Erat enim Christus Dominus longe omnium, quicumque fuerunt, Theologiæ, divinæque naturæ cognitione princeps, qui tamen sine fide conclusionibus Theologiæ assentiebatur. Exigit quippe fides in ratione sua formali obscurum quidam & invisum, cum sit substantia rerum sperandarum, & argumentum non apparentium. Theologia vero evidens quoque & clara esse potest. Nam est ratio, sermoque de Deo. Atque inter prophetiam & fidem, si Divo Thomæ credimus, non nihil interest: nec lumina sunt eadem, quibus vates ad vaticinandum, & fideles ad credendum illustrantur. At si vates illustratione sua illa Theologiæ principia cognoscat, & ea quæ consequuntur ac repugnant, ratiocinando colligat, Theologus profecto erit, tamen Theologiæ eiusmodi ratio formalis non fidei lumen sit, sed prophetiæ.

Secunda conclusio est. *Esse revelatum a Deo, lumine di-* 2. conc.  
*uinitus infusum, est ratio Theologia formalis, sive illud lumen*  
*fidei sit, seu prophetia, seu gloria:* Theologia namque superna-  
 turalis, de qua nunc loquimur, lumen aliquod natura ipsa  
 superius generaliter ad principia cognoscenda requirit: sed  
 quale id in specie futurum sit, nec nomen Theologiæ nec  
 notio propria definit. Verum quia Theologi non de beatorum,  
 sed de viatorum Theologia disputant, nec querunt  
 quid disciplinæ ipsi, sed quid naturæ nostræ consentaneum  
 sit: idcirco fere asserunt, Theologiæ principia per fidem a  
 Theologo intelligi. Lumen quippe prophetiæ, vel quoniam  
 rarum est, generali præceptioni nihil ob stare creditur: vel,  
 quoniam est, ut lumen fidei, obscurum, in lumine fidei  
 communiter & confuse intelligitur. A qua nos consuetudine  
 minime abhorrentes, Theologiæ nostræ principia per fidem  
 accipit oportere sæpe dedimus.

Vnde illa tertia conclusio nascitur, *Theologia nostra for-* 3. conc.  
*malem & rationem eandem ac fidei esse.* Tametsi aliter ad assenti-  
 endum principiis movet, aliter ad assentiendum conclusio-  
 ni. Illis, inquam sine medio syllogismo & ratione, huic ra-  
 tione & syllogismo intermedio. Quo discrimine, ut dixi-  
 mus, Theologia, & fides, non verbis & cogitatione, sed  
 universa re, & toto genere seceruntur, quamvis utriusque  
 ratio eadem formalis sit. Sane D. Thomas multis in locis fi-  
 dei nomen, ut videtur, existimat manere latissime, idque  
 versari in omnibus, quæ a Deo sunt dicta & revelata, sive  
 auctoribus sacris atque canonicis, sive aliis quibuscumque  
 divino quodam spiritu afflatis. Quod si verum est, ratio  
 fidei formalis longe etiam, lateque patebit, ut non solum  
 contineat revelationes prophetis & apostolis factas, sed eas  
 etiam, quæ cæteris quoque sanctis ecclesiæ Dei factæ sunt,  
 immo illas etiam, quas viri interdum improbi diuinitus ha-  
 buerunt, ut Balaam & Caiphas, quorum prædictiones ad  
 fidem attingere ne dubitari quidem potest. Eadem ergo causa  
 subest, ut cætera etiam, quæ quibuslibet aliis revelata a  
 Deo sunt, ad fidei rationem referantur. At enim 1. part.  
 quest. 1. artic. 8. ad secundum, ut inter argumentandum  
 obieciimus, verbis nihil obscuris docet, fidem nostram non  
 inniti revelationibus aliis præter eas, quas apostoli & pro-

phetæ, auctores videlicet canonicorum librorum, edificaverunt. Id quod Paulus confirmat, quo loco ait, fideles esse superædificatos super fundamentum apostolorum & prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu. Nulla igitur alia nisi prophetarum, Christi, apostolorumque doctrina fidem ecclesiæ fundat, nulla alia Theologiæ principia continet. Eadem enim sunt disciplinarum principia ac fundamenta. Adde, quod fides est virtus Theologica cum religione ecclesiæ erga Deum coniuncta & sociata. Non ergo quæcumque a Deo revelata ad fidei virtutem pertinent, sed ea tantum quæ ad ecclesiæ etiam religionem pertinebunt. Quia vero nihil ecclesiæ refert ea credere an non, quæ Brigidæ, Catharinæque Senensi visa sunt, nullo certe modo ad fidem illa referuntur. Adde etiam, quod fides, de qua hic sermo fit, non est privata virtus, sed communis. Ea enim re catholica dicitur, hoc est, universalis. Quocirca privatæ revelationes, cuiusmodicumque, & quorumcumque illæ sint, ad fidem catholicam non spectant, nec ad fundamenta & principia ecclesiasticæ doctrinæ, quæ vera germanaque Theologia est. Cuius rei illud item non leve argumentum est, quod quæ non per ecclesiam & eius publicos administratos fidelibus proponuntur, illa non creditur catholica fides. Videlicet, æquum erat, ut quæ ad Rempub. generaliter attinerent, hæc non privati quivis homines ad eam retulissent, sed eius communes omnino administri, *Fundamenta eius*, inquit, *in montibus sanctis*. Id, quod explicaturus statim adiunxit, *Dominus narravit in scripturis populorum, & principium horum, qui fuerunt in ea*. Scripturæ ergo privatæ non sunt fidei ecclesiasticæ fundamenta, sed scripturæ populorum, quas nobis principes ecclesiæ traderunt. Quamobrem in principiis Theologiæ nostræ non ea sunt habenda, quæ privatæ & singulariter quibusdam hominibus significata a D.o sunt, sed quæ communiter & publicæ ecclesiæ suæ locutus est Deus. Id si consentaneum est, ut videtur certe, necessario fit consequens, ut ratio fidei Theologiæque formalis non sit tam diffusa & ampla, quam nonnullis apparet, sed multo astrictior atque contractior, ut intelligatur esse veritas prima ecclesiæ revelans ea, quæ ad religionem attinent. Id, quod sine du-



bio fidei constantia, certitudo & firmitas requirebant. Nullo enim loco firma stabiliſque ac fixa conſiſteret, ſi privatas revelationes ſequeretur. Nec mihi quiſquam angelorum in via fidem & religionem obſciat, quibus neſcimus an Deus, quæ credere illos oportebat, per ſe hæc, an per aliquem publicum adminiſtrum angeſum ſuperiorem propoſuerit. Illud dico, in angelis quoque communem fuiſſe fidem, communem revelationem, quæ non privatæ uſurpationis eſſet, ſed publicæ religionis. Nam quod obſciabatur de Balaam & Caiphæ prophetiis, hoc facile reiicitur. Non enim illorum verba ad fidem ſpectant, quia dixerunt illi, ſed quia auctores ſacri ſcripſerunt. Ac formalis Theologiæ ratio quænam illa ſit, breviter quidem, ſed non indiligenter expoſui. Sequitur ut explicem, quæ ſint huius diſciplinæ propria legitimaque principia. Quæ in re video nihil nos laborare oportere. Facile enim e rebus poſitis intelligitur, omnia, quæ ſunt per ſacros auctores eccleſiæ divinitus revelata, in propriis Theologiæ principiis habenda. Non ea ſolum dico, quæ auctores ſacri ſcriptis ſuis prodiderunt, ſed quæ verbo etiam poſteris commendarunt. Id quod explanatum eſt in tertio huius operis libro diligentiffime. Auctores autem ſacros appello, non eos modo, qui libros canonicos ſcripſerunt, verumetiam Chriſtus Dominum, qui & vitæ & doctrinæ catholice primus eſt auctor, & Apoſtolos, qui miniſtri fuere ſermonis. Nec ſi conciliorum & apoſtolice ſedis auctoritas fidem certam facit catholici dogmatis, aut ſanctorum etiam omnium conſenſus & conſpiratio una, idcirco aut principia Theologiæ cumulamur, aut eius formalem rationem extendimus. Quoniam, ut sæpe alias diximus, nec concilia, nec ſedis Apoſtolice pontifex, nec ſancti ſcripturarum interpretes novas fidelibus revelationes edant, ſed quas ab apoſtolis accepit eccleſia, aut poſteris integras & illibatas tradant, aut illas exprimunt, & interpretaſtur, aut e. r. te conſequentia, & connexa colligunt, adverſa & repugnantia manifeſtant. Principiorum itaque Theologiæ numerus e libris ſacris atque apoſtolorum traditionibus integerrime conſtituitur. Quæ obrem duobus primis locis contenta ſunt omnia, quæ in initiis Theologiæ veris & germanis numeranda ſunt. Sed

his initiis tanquam seminibus ab ecclesia datis, quæ Christus apostolis, apostoli ecclesiæ dederunt, pastores & doctores ac Theologi in universum omnes ea rigant & excolunt, & quæ plantæ, traduces, propagines ex eis oriuntur, proferunt & ostendunt. Illa fundamenta sunt Theologicæ, ecclesiasticæque doctrinæ, quæ Christus per apostolos posuit, cæteri sive concilii patres, sive pontifices summi, seu ecclesiæ doctores sancti omnino superedificant. Nam fundamenta alia nemo potest ponere præter ea, quæ posita sunt, apostolorum & prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu. Enimvero disciplinarum principia non eodem gradu locata sunt omnia. Quædam enim simpliciter prima sunt; quæ vi sua generali cætera continent; ut in metaphysicis illud, *impossibile est simul affirmare & negare*. Quædam in Theologia sunt illa, *Deus est, & est remunerator iniquitientium* se: in quibus tanquam in primis credibilibus omnes fidei articuli implicite continentur, quemadmodum D. Thomas eidem quoque verbis affirmat (10). Aliæ sunt principia præcipua quidem & immediata, sed compactiora tamen, quam illa communia, quæ erant cæterorum omnium quasi fontes. Huius generis in physicis ea sunt, *Res naturales materia, formaque constare. Naturam esse principium motus & quietis*: in Theologia vero articuli fidei capitales, qui, ut D. idem Thomas ait, primo & per se credendi fideibus proponuntur. Nimirum enim de Deo, qui est res Theologiæ subiecta, ea articuli enunciant, quæ vel ex perpetua æternitate in Deo insunt, vel humanæ salutis ergo dispensata in tempore ac dispensata sunt. Eundem quippe Deum, qui Trinus & Unus est, qui creavit mundum, qui & impios facit iustos, & felices pios: eundem, inquam, credimus & hominem factum, & natum, & mortuum, & sepultum, & suscitatum, & elevatum in cælos. Iure igitur hæc prima sunt & propria Theologiæ pronunciata, quæ a nobis de subiecto disciplinæ nostræ vel maxime supponuntur. Initiis enim his principalibus non concessis, Theologus progre-

(10) 2. 2. quæst. 1. art. 7.

si ne digitum quidem potest. Ac sunt priora illa similia  
 iis, quas Philosophus appellat dignitates. *Accedentem namque ad Deum oportet credere quia est, & iniquitibus se renunciator sit.* Quicumque igitur disciplinam aliquam supernaturalem discedere parat, eum necesse est duas illas generales prænotiones animo ante cepisse. Quæ dignitatum nota propria atque insignis est. At hæc posteriora principia suppositiones Theologiæ non iniuria vocabuntur. Eas enim Theologus discipulo suadere quodam modo aut explicare certe valet. Sed præter hæc duo principiorum genera, sunt alia non propter se potissime petita, sed, ut D. Thomas sentit, eorum, quæ sunt potissima, explicandorum gratia. Cuiusmodi sunt, inquit præter articulos fidei omnia, quæ in sacris literis assumuntur, vel Dei natura & maiestate explicanda, vel exponenda ipsius in homine benevolentia, rerumque omnium præcuratore, quæ illis essent utiles & necessaria. Hæc vero tametsi non fidei sunt, nec Theologiæ præcipua capita, sed his ex accidenti coniuncta & quasi principia secundaria, accipit tamen ea Theologus, non aliter ac Philosophus principia per se nota, sine medio & ratione, perinde ut articulos fidei acceperat. Hæc enim quasi naturalis atque insita in animis fidelium notio inest, ut quicquid ab apostolis scriptum traditumque est, verum esse sentiant. Ac Theologiæ legitima germanaque principia hæc sunt. Nam, quæ vel a metaphysicis, vel a physicis, vel a mathematicis, vel a reliquis demum naturæ disciplinis asciscit, perspicua per se evidentiaque principia, non ex sua sumit vi atque natura, sed foris inventa in proprium usum mutuatur, aut certe iure quodam suo vendicat. Forsitan quispiam dixerit, Nonne igitur multæ varæque erunt rationes Theologiæ formales? Siquidem multarum disciplinarum varia item principia sunt. Minime vero. Non enim ex adiunctis & extrinsecus attributis doctrinarum formalis ratio petitur, sed ex propriis nativisque principiis. Atqui in Theologia horum omnium una & eadem ratio formalis est, nempe lumen fidei supernaturale. Quæ igitur sint Theologiæ principia germana, tum aliena, atque ex illis quæ prima, quæ secunda, ex primis vero quæ generalia, quæ quasi in speciem contracta, satis, ut reor, dilucide, aperteque docui-

cuimus. Quibus ex rebus intelligitur, e decem locis duos primos propria & legitima Theologiæ principia continere, tres postremos externa & aliena: nam quinque intermedium aut interpretationem principiorum propriorum continent, aut eas quæ ex his ortæ & profectæ sunt, conclusiones. Hæ cuiusmodi in Theologia sint, statim explico, si prius argumenta refello, quibus supra usus sum, quum de principiis eiusdem Theologiæ quærerem. Ad quas ipsas argumentationes ex superioribus dictis satis multa responsa sunt, quibus perspicui possit adversum Divum Thomam, quem vel maxime impugnant, eas nihil habere virium. Tanta vix est veri, ut speciem falsitatis obscuret, si modo id patefactum & illustratum est. Sed singulis tamen respondere volumus, ut rudiorum ingenio morigeremur.

## CAPVT IV.

*Capitis superioris argumenta refellit.*

Resp. ad  
1. **P**rimum ergo argumentum triæ D. Thom. falsa peccata  
oiicit, quorum unum iam omnino depulsum est. Ecquid enim illa pugnant, articulos fidei primaria esse Theologiæ nostræ principia, sacras autem literas continere etiam secundaria? Quia vero non omnia continent, sed pleraque, illud etiam his valde consentit & congruit, divinam veritatem sine scripto quoque rationem esse fidei fontalem. Sunt enim quædam verbo tenus ecclesiæ tradita, quæ in Theologiæ veris germanisque principiis habentur. Prima itaque calumnia adhibita nihil premit. Quæ secundo loco adhibetur, ea pressius urget. Sed si cum animum attenderis, videas de Deo nos duobus modis loqui posse, tunc hæc etiam calumnia contundetur. Intelligendum ergo, sermonem de Deo dupliciter haberi. Aut quia principium est finisque naturæ, aut quia supra naturam est & principium & finis. Sane quandiu præstantem æternamque mentem intelligimus solutam a corpore & liberam, segregatam ab omni concretionem mortali, quæ omnia sentiat & moveat, quæ cælum ac terras tueatur & regat, ad quam res  
uni-

universæ quoquomodo possunt, contendant & enitantur ut veniant: tandiu Deum naturaliter intelligimus, tandiu de eo naturaliter loquimur. At si consideremus Deum ipsam potiore quodam lumine nobis ostensum, quo apparet in una deitate trinus, in effectis supra naturam admirabilis, omnium eiusmodi effectuum supernaturalium & prima causa efficiens & postremus, finis, atque adeo creaturæ rationalis una & summa felicitas: tunc ratio Dei multo alia, sermo longe diversus est. Cum igitur Paulus inter ea, quæ credere necesse est, duo illa ponit, Deum esse & esse remuneratorem inquiringium se: Deum intelligit, non ut naturæ oculis cernitur, sed ut illustratione superiore apparet supernaturalium rerum primum principium ultimusque etiam finis. Quo sensu Div. Thom. 2. 2. quæst. 1. art. 7. ait, omnes articulos in primis illis credibilibus contineri, scilicet, ut credatur Deus esse, & providentiam habere circa hominum salutem. Cum autem aliis locis affirmat, duo illa in fidei articulis non esse, sed a fide potius supponi, de Deo iuxta naturæ lucem loquitur. Quæmadmodum enim gratia supponit naturam, ita cognitio gratuita cognitionem naturalem, ut idem D. Thomas refert. Frustra vero cum fidei doctrina velis imbuere, qui non habeat duas illas naturæ anticipationes, Deum esse, & habere hominum providentiam. Nulla porro gens tam fera est, ut ait Cicero, quæ non, etiam si ignoret qualem Deum habere deceat, tamen habendum sciat. Qui autem Deum prænoverit pro curatorem esse rerum humanarum, atque adeo hominum rectorem & iudicem, is longissime abest a nostra disciplina. Quod si iudex hominum & rector Deus est, si etiam alio modo intelligi non potest, nisi summa sapientia, iustitia, & potestate præditus: fit ut & præmia virtutibus parata habeat, & supplicia vitiis. Nec enim ulla omnino Respub. quod Solon verissime dixit, nisi duabus rebus contineri potest, præmio & pœna. Quæ causa Platonem movit; ut quoniam videbat optimos sæpe viros pro rebus præclare gestis nullo in hac vita præmio virtutis, nullo insigni honoris, nullo monumento laudis decoratos, assereret animos immortales officii præmium & fructum aliquando accepturos. Absurdum quippe esse, ut verus, iustus & honestus labor honoribus, præmiis, splendore careat, si qua est in cælo pietas, si quod

quod numen, quod talia curet. Non itaque aut campos Elisios, aut Sisyphi saxum, Ixionis rotam, Tantali sitim poematis solum esse, sed historiarum. Nam ut ficta sint a poetis isthæc omnia, veri tamen significandi gratia ficta sunt, ut utilissima illa verissimaque sententia in animis hominum inscriberetur: *Recte factis premia, peccatis supplicia deberi.* Quo magis Caietanum miror, qui in epistolam ad Hebræos multum omnino & a sensu apostoli, & a vera naturæ institutione descivit. Atque eum in errore secuti sunt quidam, non satis diligenter, nec Pauli consilium, nec vim rationis attendentes. Sed ut perspiciat lector unde omnis iste natus sit error, totam rem aperiarn, eaque ipsa verba subscribam, quæ ab inventore & quasi architecto huius opinionis dicta sunt, *Qui non credit Deum esse, ait, nunquam accedet ad eum. At si obiter hoc non congruere iis, qui evidentier cognoscunt demonstrativa scientia Deum esse. Tales enim cum videant Deum esse, impossibile est, quod credant Deum esse, quum fides sit argumentum rerum non apparentium. Solutio est, quod doctrina hæc in communi datur, & propterea dicitur in communi, quod oportet credere quia est. Longe autem melius esset, si non crederet, sed sciret quia est. Sed hoc rarum aut rarissimum est. Alterum vero, quod Deus inquirentibus se remunerator sit, scilicet, in futura vita, oportet fide teneri: quoniam nulla scientia speculativa ad hoc attingere potest, & sine huius rei fide nullus accedit ad Deum.* Hactenus ille. Quo in loco universa ratione mea cum illius tota confligendum puto. Primum ergo, si placet, quæ de illo principio, *Deus est*, sunt a Caietano dicta videamus. Atque illud videns prudensque prætereo, longe melius esse scire, quam credere. Id quod verum esset, si de humana fide loqueretur. At fides, quæ Deo dicenti innititur, multo certior, & potior est, quam ea scientia, quæ ingeniorum nostrorum ratione constat. Sed hæc ostendere non est præsentis loci & temporis. Illud propriæ huius disputationis est, si Pauli sententiam in communi, & de iis, quæ frequenter eveniunt, intelligamus, tunc totam nos Pauli argumentationem eludere. Conabatur siquidem apostolus eo capite monstrare veteres omnes, quotquot a Deo probati sunt, testimonio fidei probatos esse. Cum vero in enumeratione Enoch quoque inter cæteros induxisset, non aliter ostendit illum fide esse

esse probatum, nisi qui ante translationem testimonium habuerat placuisse Deo. Qua propositione e sacris literis posita, euestigio assumptionem adiunxit, *Sine fide autem impossibile est placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum, &c.* Hoc vero argumentum, quo assumptionem illam probat apostolus, vanum & imbecillum est, si demus non oportere semper credere accedentem ad Deum quia est, sed aliquando, raro tamen, satis esse scire. Refellemus enim argumentantem apostolum ea responsione, quæ fieri potest, idque melius esse, ut quis sciat esse Deum, quo casu non oportebit credere Deum esse. Itaque fiet, ut non sit impossibile sine fide placere Deo. Enoch autem unum ex eis esse, qui non credebant, sed sciebant esse Deum. Quemadmodum ergo cum apostolus ait, sine fide impossibile esse placere Deo, non in communi & ut plurimum loqui intelligendus est, sed semper ac de singulis hominibus viatoribus: sic quum causam eius rei reddit inquires, *Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est*, eodem modo intelligitur nullum omnino excipere, sed de omnibus, atque de omni tempore loqui, si illa ipsius argumentatio quicquam habitura est ad faciendam fidem virium. Iam vero quod ad sequens principium attinet, Caietanus in hoc defendendus est, quod dixerit per nullam speculatricem scientiam, cognosci evidenter posse, Deum esse remuneratorem inquirentium se, si de remuneratione supernaturali intelligit. In nulla vero scientia ostendi præmium aliquod iustos sapientesque viros manere post mortem, hoc Caietanus generaliter videtur asserere, hoc cogor ego improbare. Chrysostonus porro homil. 4. de provid. tradit, qui animi immortalitatem in dubiunt vocant, eos addubitare, num in meridie sit dies, *Si enim*, inquit, *negant animos esse immortales, negant supplicia improborum post hanc vitam, negant præmia iustorum.* Providentiam itaque Deo negant, atque adeo divinitatem, quæ sine providentia intelligi non potest. Nam si *ii*, qui Deum rite colunt, iniuriis affecti migrant, *impii* contra iniusta felicitate potiti: non ergo iustitia in Deo est, si suos potest honoribus, præmiisque donare. Quod si Deo aut potentiam, aut iustitiam, aut oculos ad cernendum tollis, Dei vocabulum inane sit. Omni namque ratione concluditur, ut si nullo præmio afficit eos, qui inquirunt illum,

## I 54 DE LOCOR. VSV IN SCHOL. DISP.

ne Deus quidem ullo modo sit, nisi Deum aut cæcum, aut imbecillum, aut iniquum habeam is. Cæcum, qui suos non videat: imbecillum, qui dare præmia non possit, iniquum, qui nolit. Qui igitur negat alterum, iis utrumque tollat necesse est: & si non habeat remuneratorem inquirentium se, ne Deum quidem habeat oportet. Illud quoque vix in telligo, quid sibi Caietanus velit, cum ait nullam scientiam speculativam hoc attingere, an Deus sit remunerator inquirentium se: unde colligit oportere, ut id fide teneamus. Quid enim si nulla speculatrix scientia illud assequitur? Nonne satis erit, si aliqua effectrix assequatur? Mihi quidem illud persuasum est, quemadmodum Deum, hoc est, primam causam efficientem esse, speculatrix naturæ disciplina declarat, ita & effectricem quoque naturæ eiusdem disciplinam, Deum esse omnium postremum finem, ostendere. Neque hoc solum, sed illud etiam, naturæ leges aliquam habere & auctorem & iudicem, nisi forte sola hæc lex deserta sit, quæ nullum legislatorem habeat: aut si quis iura hæc mundo præscripsit, nulla iuris huius servandi cura tangatur. Quod si tam ignarus est, ut nesciat præmia & honores virtutem alere, iacereque eam semper, si præmiis & honoribus destituta sit, indignus profecto est, ad quem auctorem & iudicem sanctissimas naturæ leges referamus. Quo circa si de Deo, divini que remuneratione sermonem facimus, quatenus naturæ lumen ostendit, utrumque in hoc lumine agi oscimur, & Deum esse, & esse remuneratorem inquirentium se. Quia vero, ut Deo placare possimus, non sat est ipsum cognoscere principium esse, auctoremque naturæ, sed oportet in Deum ferri, quia finis est supernaturalis, atque adeo supra naturæ vires eminens & excellens: rectissime in universum dixit apostolus, *accedentem ad Deum*, finem utique supernaturalem, *oportere credere quia est*, &c. Nam quod naturalis ratio docet, id scire ad supernaturalem hunc accessum non est satis. Habemus quippe accessum ad Deum per fidem (1). Quod autem Paulus de accessu ac finem supernaturalem, de remuneratione quoque supra naturam loqueretur. (2), illa manifeste demon-

---

(1) *ROMAN. 5.* (2) *Hebr. II.*



monstrant, *Expectabat fundamenta habentem civitatem, cuius artifex & conditor Deus.* Et posterius, *Nunc autem meliorem patriam appetunt, idest caelestem: ideo non confunditur Deus vocari Deus eorum: paravit enim illis civitatem.* Et rursum, *Aspiciebat in remunerationem, invisibilem enim tanquam videns sustinuit.* Et denique, *Non suscipientes redemptionem, ut meliorem invenirent resurrectionem: atque hi omnes testimonio fidei probati non acceperunt repromissionem, Deo pro nobis melius aliquid providente, ut non sine nobis consummarentur.* Sed crimen illud, quod D. Thomæ secundo loco inferebatur, satis, ut me fert opinio, dilutum est. De tertio vero peccato nihil est necesse illum purgare, quum iam explicate docuerimus, fidem Theologicam, de qua in præsentī disserimus, non quibuslibet Dei dictis assentiri, sed iis, quæ duntaxat & ad fidei-um communem religionem spectent, & communes ecclesiæ administri denuncient. Ac primum nodum solvimus quidem, secundus vero expeditur hoc modo.

Quæ sunt fidei, ea sunt in duplici differentia. Quædam Resp. ad enim simpliciter & apud omnes fidei sunt, ut quæ rationem <sup>2.</sup> superant naturalem. Alia fidei dicuntur esse non per se quidem, sed quasi per accidens divinitus revelata, propter eos, qui eorum demonstrationem & evidentiam non habent: ut Deum esse & esse unum, eundemque æternum, sapientem, iustum. Quas res omnes licet in naturæ lumine videamus, populo tamen rudi Deus providentissime revelavit, quemadmodum D. Thomas 2. 2. quæst. 1. art. 5. & quæst. 2. art. 4. explicuit. De Deo rursum dupliciter loqui possumus, qua divisione primo argumento diluendo utebatur, *vel quia est principium finisque naturæ, vel quia principium & finis est supra naturam.* Priore modo Deum esse, esse unum, immortalem, sapientem & huius generis reliqua, naturale lumen ostendit: posteriore autem illa eadem sola fides tenet. Vnde & Divus Thomas secunda secundæ quæst. 1. art. 8. cum in primo argumento opposuisset, Deum esse unum, non oportere in articulis fidei computari, quod sciri per demonstrationem posset: respondet, quod *multa per fidem tenemus de Deo, quæ naturali ratione philosophi investigare non potuerunt, præsertim circa providentiam eius & omnipotentiam & quod ipse solus sit colendus. Quæ omnia continentur sub articulo unitatis Dei.* Hactenus ille.

ille. Loquitur autem de providentia, & omnipotentia rerum etiam supernaturalium. Et quæst. 2. art. 2. ad 3. *Credere Deum*, inquit, *non convenit infidelibus sub ea ratione, qua ponitur actus fidei, &c.* quæ calumniam fortasse non effugient, nisi ad huius distinctionis normam revocentur. Quibus rebus expositis, D. Thomas aperte docet ea, quæ proprie & per se fidei sunt: nulla posse naturali argumetatione patefieri (3). Quin 1. part. quæst. 32. art. 1. illos arguit quasi fidei inimicos, religionique nostræ etiam noxios, qui ea, quæ fidei sunt, naturæ rationibus conantur ostendere. Quod si quæ argumenta fidei decretis comprobandis sancti doctores afferunt, congruentia illa esse, non evidentia: probabilia, non necessaria: suadere, non cogere: adducere, non evincere. Lumen enim naturale id patefacit & illustrat, quod naturæ congruens, ac consentaneum est. Cum ergo fides, ut sæpe diximus, rerum earum proprie sit, quæ hominum naturam & ingenium exsuperant, fit, ut res eiusmodi nullo monstrari naturæ lumine, nulla confici naturæ ratione queant. Quod si fides substantia est rerum sperandarum, ut ad Hebræos Apostolus ait, spes autem, quæ videtur, non est spes, ut idem tradit ad Romanos consequitur necessario, ut quæ credit fides, quoniam & spes eadem sperat, hæc nec oculus cernant, nec aures audiant, nec in cor hominis ascendant, atque adeo ne rationibus quidem demonstrantur humanis. Nisi forte aut res divinas humanæ fulciunt ac sustinent, aut certe Paulus fallit & fallitur, qui fidem argumentum esse non apparentium astruit, nostramque sapientiam in mysterio absconditam nullum huius sæculi principem cognovisse. Nostræ ergo disciplinæ principia philosophi ostendere probabiliter possunt, demonstrare necessarie non possunt. Quocirca metuere non debet quisquam, ut fidei meritum sit amissurus, si rationes quoque ad fidei veritatem & explicandam & ornandam adhibuerit. Non enim, conetur

li-

(3) 1. part. art. 8. q. 1. & 2. 2. quæst. 1. art. 5. in cor. & ad 2. & art. 10. ad 2. & 1. cont. Gent. cap. 6.

1. part. q. 32. ad secundum 2. 2. quæst. 1. art. 5. ad 2. & quæst. 2. art. 10. similiter ad secundum.

licet quantum potest rationes adhibebit eiusmodi, quæ præbeant experimentum sensum, sed tales tamen, quibus & ii, qui non credunt, ad fidem adducantur suavius, & ii, qui credunt, in fide contineantur libentius. Fides sane cum natura non pugnat, sed consentit: nec dissident humana & divina ratio, sed cohærent. Vtraque vera est, nec verum vero adversatur; utraque est a Deo, nec Deus sibi contrarius est. Pervertunt itaque homines fundamenta naturæ, cum illam a fide se iungunt. Quia fide dirigenda naturæ ratio est, & quidem sic, ut hæc duo verba inter se, non res discrepare videantur. Et cum divinis humana similia & agnata sint, qui hominis officium Deo exhibet, & gratiæ naturam servire facit, is probe Theologi munere perfungitur. Quam omnino rem & D. Thom. sæpe probat, & nos cum alias multis lib. 8. & 9. & 10. & 11. tum in quatuordecimo libro copiose disseremus. Nunc autem argumenta illa refutanda sunt, quibus id effici videbatur, ut Theologia fidei decreta comprobaret. Ac primæ quidem argumentationi responsum est satis. At secunda sic refellitur. Non est articulus fidei, mundum a Deo exitisse; sed Deum in principio temporis cælum terramque creasse, id vero articulus fidei est, qui demonstrari nulla ratione potest, quemadmodum D. Thomas 1. part. quæst. 46. art. 2. disserit. Nam quod tertio loco Petri testimonium obiicitur, nihil aliud efficit, quam religionem disciplinamque christianam non esse omni ex parte similem Pythagoricæ, cuius alumni nulla rationis antecepta informatione, nullaque omnino reddita causa, auctoritatem præceptoris arcte mordicusque tenebant, *Indoctorum* est ista consuetudo, eaque Saracenorum, Paganorum, Hæreticorum, ut cæca, & temeraria sectæ suæ dogmata sine iudicio amplectantur, & quæ disquisitione egent maxime, hæc sine ulla disquisitione recipiant. Non erudiuntur isti, crede mihi, sed astringuntur: nec via & ratione docentur, sed quasi beneficiis & cantionibus in insaniam agitantur. Enimvero quæ in evangelio docemur omnia, quamvis accerrime ad supernaturalia capessenda moveant animos, tamen leniori naturæ ratione Christus ipse prætexuit, ne discipulos rationis expertes habere videretur. Sapientia quippe Dei, quanquam attingit a fine usque ad finem fortiter, sed disponit tamen omnia

nia suaviter, hominesque humano more instituit & erudit, hoc est, rationales rationibus. Nec vero aliter discipulos suos Deus vult esse compositos ad doctrinam cæterorum, quam ipsi ab eo sunt edocti. Dedit illis linguam eruditam, ut sciant sustentare eum, qui lassus est verbo (4): aperuit quoque illis aurem, ut audirent quasi magistrum. Quemadmodum igitur Christi discipuli ipsum magistrum erudientem audimus, non quasi veneficum incantantem: ita & linguam habemus, non quæ huc, atque illuc feratur volubilitate verborum, sed doctam & eruditam, quæ disciplinæ suæ sciat causas & rationem reddere. Lucianum Antiochenum scribit Eusebius (5) rogatum a præside cur cum vir rationalis & prudens esset, sequeretur sectam, cuius non posset reddere rationem, in hæc verba respondisse. *Nos christiani non, sicut vos putatis, humana alicuius persuasionis errore constringimur: nec indiscussa, ut ali, parentum traditione decipimur. Auctor nobis de Deo Deus est. Nec enim posset sublimis illa maiestas sensibus humana mentis illabi, nisi vel spiritus sui virtute delata, vel verbi ac sapientia sua interpretationibus indicata. Fateor, erravimus nos etiam aliquando, & simulachra, quæ ipsi finximus, Deos cali ac terra putabamus auctores. Sed arguebat eos fragilis substantia sua a nobis præstita consecratio, in quibus tantum venerationis inerat, quantum decoris mens contulisset artificum. Verum omnipotens Deus ille, quem non nostris manibus fictum, sed cuius nos decebat esse figmentum, errores miseratus humanos sapientiam suam misit in hunc mundum carne vestitam, quæ nos doceret Deum, qui calum fecisset & terram, non in manufactis, sed in invisibilibus requirendum. Vita & nobis leges ac disciplina præcepta constituit, servare parsimoniam, paupertate gaudere mansuetudinem colere, studere, pari, puritatem cordis amplecti, patientiam custodire. Sed & omnia hæc, quæ nunc adversum nos geritis, ventura nobis esse prædixit. Inde enim qui erat immortalis, ipse morti se præbuit, quo nobis patientia præberet exemplum. Sed nec nos sua morte decepit, quibus post tertium diem resurrexit, ut mortem vinceret resurgendo. Quæ autem dico non sunt in obscuro gesta loco, nec testibus indigent: pars pene mundi iam maior huic veritati assi-*

---

(4) Esai. 50. (5) Lib. 9. cap. 6.

astipulatur. Aut si quid in his suspectum videtur, comestatur de iis etiam agrestis manus ignara figmenti. Si minus adhuc creditur, adhibeo vobis etiam loci ipsius; in quo res gesta est, testimonium. Astipulatur his ipse in Hierosolymis locus, & Golgothana rupes sub patibuli onere disrupta: antrum quoque illud, quod avulsis inferni ianuis corpus denuo reddidit animatum. Quod si terrena vobis minus digna videntur, accipite etiam de calo astipulatorem fidelem. Solem ipsum horum vobis produco testem, qui cum hæc fieri per impios videret in terris, lumen suum meridie abscondit in calo. Requirit in animalibus vestris, invenietis temporibus Pilati Christo patiente, fugato sole, interruptum tenebris diem. Quod si terra, si calo, si sanguini martyrum fidem non accomodatis, quomodo meis verbis allegationibusque credetis? Et cum pene iam his verbis auditoribus suadere cõpisset, arripitur in carcerem; ibique absque tumultu populi necari. Huiusmodi ergo rationes iubet Petrus a doctoribus fidelium reddi, quæ videlicet cum fident antecedunt, infideles non trahant, sed inducant: quum sequuntur, non vim fidelibus afferant, sed adiiciant robur. In hanc enim sententiam Augustinus dicit, rerum naturalium notionem fidem gignere, nutrire, roborare. Nam defendit etiam, quoniam rebus naturalibus perceptis explorata & cognitæ statim intelligitur, primum fidem cum natura nullo modo pugnare, sed mirifice consentire: deinde argumenta captiosa & vana esse omnia, quæ fidei veritatem impugnant. Sed in secundo nodo expediendo multum omnino moræ interposuimus. Bene autem habet, quod tertius idemque postremus nulla dissolutione eget. Quid enim addamus, quod legere operæpretium sit post Divi Thomæ sententiam adeo perspicue, diligenter atque enodate in superioribus explicatam? De principiis ergo Theologiæ hæctenus.

## CAPVT V.

*Quæ sint quæstiones, seu conclusiones Theologiæ.*

**T**heologiæ causis expositis, consequens est, ut effecta exponamus, quæ quum in dubium vocantur, quæstiones sunt, quum ratiocinatione coguntur, conclusiones. Quæstio igitur theologica, quoniam circa eam omnis Theologi versatur labor, quid sit, & quæ illius partes in primis explicabimus. Nam quomodo tractanda sit, deinceps exponemus. Ne vero quempiam fallat huius nominis ambiguitas, intelligendum est, quæstionem Theologicam aliquando appellari pronunciatum omne, quod a Theologo quovis forte etiam, & temere fuerit addubitatum. At si adeo late Theologiæ materiam quæstionemque tendamus, quæstio Theologica non iam ex natura huius facultatis, sed ex hominum vel stultorum arbitrio æstimabitur. Ita fiet, ut in Theologiæ quæstionibus illas ponamus, *Num si forma aquæ per divinam potestatem a materia separaretur, in materia vel forma seorsum baptismus conficiatur? Num asinus baptismum possit bibere?* ceterasque his similes, quas studio brevitatis omitto, ne fastidium stomacho lectoris faciam. Mihi profecto non est cordi, stultas & sine disciplina quæstiones, quas vitare Apostolus præcipit (1), in Theologiæ finibus comprehendere. Fines porro extremaque disciplinarum, conclusiones voco. Eadem vero res est, ut a principio capitis leviter attingimus, quæstio & conclusio. Sed quum per interrogationem elata in controversia ponitur, quæstio est: quum argumentatione colligitur, conclusio. Quod si eandem rem argumentis suis Theologus addicit & conficit, quæ in quæstionem fuerat adducta, futilissimæ scilicet illæ quæstiones Theologiæ vocari nec debent nec vero possunt, ut quæ ex principiis Theologiæ finiri nequeant & solvi, atque adeo ne conclusiones quidem esse doctrinæ eius, sed indoctorum homi-

---

(1) 2. Timoth. 2.

minum commentitię chimęre. Quam ergo intelligimus Theologicam quęstionem? Opinor eam, quę plane ad rem facit, hoc est, ad Theologiam spectat. Non autem spectant vanę, ineptę, noxię, sed solidę, aptę, commode, *Ego*, inquit (2). *sunt Deus tuus docens te utilia*. Theologia ergo, quę Dei nimirum doctrina est, nullo modo inutilia colligit. Quin super fidei fundamentum, quod ab apostolis est positum, aurum, argentum, lapides pretiosos superędificat. Nam qui ligna, scęnum & stipulam (3), ii non hoc ex Theologia, sed ex errore faciunt. Maneat igitur eam esse proprie Theologicam conclusionem, quę ex Theologię principiis, ut affecta e causis suis, oriatur. Vnde illud consecrarium est, nullam Theologię quęstionem existimandam, quę non possit ad eiusmodi initia referri, exque iis apte & congruenter argumentando definiri. Quanquam sunt quęstiones quasi appendices, quas quoniam gratia explicandi illas, quę vere & proprie Theologię sunt, apposite & graviter adiunguntur, iure quodam, vel similitudinis, vel propinquitatis, vel etiam ordinis Theologicas itidem haud absurde appellaveris. Verum hoc loco & tempore de quęstione Theologica secundum naturam & ordinem disciplinę loquimur. Contingit enim aliquando non in Theologia modo, sed in cęteris fere humanis etiam disciplinis, ut quę suapte natura principia sunt, ideoque a discipulo supponenda, si res via, ordineque procederet, ea, ut hominum ingenia sunt, & revocentur in dubium, & argumentationibus comprobentur. Ita fiat perturbatus ac pręposterus rerum ordo, ut causę posteriores sint prioraque effecta sumantur. Quę res effecit, ut Divus Thomas, cęterique Theologi in quęstionibus Theologicis eam etiam ponant, *Sit ne Deus*: & alias omnino similes, in quibus dubium non est, prima certaque principia in dubium verti, ac perinde ut si essent disciplinę huius connexiones, ex aliis quasi principiis necti. Atque hęc causa Aristoteli quoque fuit, ut in scientias omneis quatuor genera quęstionum inferret, nempe *an res sit, quid sit, qualis sit, propter quam causam sit*. Quę duę posteriores quęstiones termi-

Tom. II.

X

na-

(2) *Esai.* 48. (3) *1. Corinth.* 3.

nari recte atque ex ordine naturę possunt, priores duę non possunt: nisi forte quum duę eiusdem rei finitiones sunt, quarum una per materialem causam, altera per finalem definite rei naturam explicant. Tunc enim definitio posterior per priorem demonstratur, ratione quodammodo & via naturę servata. At enim rei finitio, quę secundam illam quęstionem solvit, propemodum ex effectis notescit, quę licet natura posteriora sint, nobis, hoc est, in nostra cognitione priora sunt tamen. Illud item cum in aliis, tum magis in Theologię doctrina usu venit, ut principia ipsa vel disposita inter se & ordinata sint, quemdammodum causę ipsę in quatuor genera distributę ordinem prioris & posterioris habent: vel certe connexa & colligata sint, ita ut ex utriusque concessis, ad alterutra dubia liceat pervenire. Quapropter si adversarius admittit principia quędam, quamvis cętera neget, ex concessis poterimus non concessa colligere, pręsertim si mutuo nexu coniuncta & copulata sunt. Hinc enim Theologi veteres vetus instrumentum probant ex novo, contraque novum ex veteri: ecclesię auctoritatem e libris sacris asserunt, librorum rursus sacrorum ex ecclesia. Ita ne unum quidem principium in Theologia est, quod in quęstionem Theologici non verterint: ut si a quopiam fuerit negatum, qui alia forte principia concederet, parati simus ex his, quę dederit, hominem evincere, & quasi arrepto mucrone confodere. Quę res & explanata est in secundo libro diligenter, & in postremo diligentius explanabitur (4). Nec ob eas solum causas principiorum suorum Theologi quęstionem faciunt, sed eo etiam magis, ut illa explicent & exponant. Nam, quod apud Rhetores olim pueri didicimus, omni disserenti proposita est quęstio, non ei modo, qui disputatione res ambiguas iactat, sed & historicis & poetis qui quęstiones sibi propositas non tam argumentatione solvunt, quam expositione. Expositio autem fidem in auditore sæpe invenit, argumentatio facit. Vbi familię nostrę quosdam sæpe risi, qui

---

(4) *In fin. cap. 4. & cap. 8. in confutatione postremorum trium argumentorum.*



qui in eo laborant vehementer, ut D. Thom. rationes, quas indentidem ad explicandam fidem congruentes ille adfert, proinde ac si essent demonstrationes certæ atque perspicuæ, defendant. Nam & adversarios ipsos ridere soleo, qui in eo, in quo Divus Thomas egregium se fidei administrum præbuit, illum impugnant quasi hostem. Nec intelligunt viri magis ad certandum, quam ad docendum prompti, quæstiones fidei gravissime sanctissimeque proponi, non quia fidem dubitanti auditori facere nitimur, sed quia credenti ea, quæ minus percipit & intelligit, exponere conamur. Quid igitur quæstio Theologica sit, si eam ex disciplinæ ordine naturaque finiamus: quid rursus illa sit, si ex ingenio nostro existimetur: quæ quæstiones in Theologia primariæ, quæ appendices, quæ argumentatione potissimum, quæ contra potissimum expositione solvantur, dictum est satis. Nunc quæstio partienda est, ut ea, quæ in re dispersa atque infinita videntur esse, ratione & distributione sub uno aspectu ponantur. Quæstionum ergo Theologicarum, quacumque de re sint, duo sunt genera; alterum cognitionis, alterum actionis. Cognitionis sunt hæ, quarum finis est scientia, si quærat, *Pater & Filius sint ne unum principium Spiritus Sancti, an duo? Divine persone an proprietatis relativis, an absolutis distinguantur?* Actionis autem huiusmodi exempla sunt, *Sit ne pœnitentia ad salutem necessaria tanquam medium, an etiam ut præceptum? Num sacramenta novæ legis gratiam & virtutes conferant.* Cognitionis quæstiones, si generaliter loquamur, quadripartitæ sunt, *Cum aut, sit ne vel Deus, vel angelus, vel anima rationalis, aut quid sit, aut qualis sit, aut cur sit talis queritur.* Quarum prima & secunda, ut diximus, ex ingenii nostri conditione, secunda & tertia ex natura rerum & disciplinæ ipsius explicantur. Actionis porro duo sunt genera, unum ad salutem necessarium, alterum earum rerum, quæ utiles esse videantur. Prioris generis hæ sunt quæstiones, *Si exempli causa bonor Christi periclitetur aut, salus etiam spiritualis proximi, vir christianus mortem ne pro his rebus subire debeat, an non? De baptismo suscipiendo præceptum ne evangelii sit?* Posterioris autem generis, ut cum quæritur, *Diluat ne aqua lustralis, quam benedictam scholastici appellant, peccata venialia,*

planeque penas peccatorum tollat vi sua, & quod aiunt, ex opere operato: an potius ex operantis merito? Num Eucharistia Sacramentum ex attrito facias contritum? Itemque, an recedente fideione, quemadmodum baptismus & penitentia suam effectum sortiatur? Plena est Div. Thom. summa talium quæstionum. Non enim Theologus semper de necessariis disserit, sed quandoque etiam de iis, sine quibus salus religioque constat. Et quoniam omnia persequimur, dicendum est etiam quæstionem theologicam, sive ad contemplationem, sive ad mores attineat, aliam naturalem esse, aliam vero supernaturalem. Supernaturalem, opinor, quæstionem vocare licet, quæ ex supernaturalibus solum principiis definitur. Naturalem autem quæstionem eam esse dico, cuius cur ita sit, ratio naturæ constans reddi potest. Est & quæstio media, quæ partim ex supernaturali principio, partim ex principio naturali pendet. Primi generis exemplum est, *An omnes mortui simus?* Quam quæstionem Paulus hac argumentatione definit, *Si pro omnibus Christus mortuus est, omnes mortui sunt: ut pro omnibus mortuus est Christus.* Item, *An omnes resurgemus?* Quam sic apostolus terminat: *Christus resurrexit, ergo & nos resurgemus.* Secundi vero generis hæc sunt exempla, *Num Deus sit ubique? Num immutabilis? Num omnium hominum immortalis sit? Num dividi & secari in partes possit?* Quarum omnino probationes, quamvis e sacris literis peti liceat, qua ratione ad fidem utique pertinent, sunt tamen in lumine naturæ claræ & evidentes: eaque re non sunt per se fidei quæstiones, sed ut diximus, quasi per accidens. Tertii generis, *Ut, sit ne Christus risivus? Habeat ne duas voluntates, & intellectus duos, duasque item utriusque potentia operationes.* Quæ ex utriusque principiis patescunt. Prima ex his, *Christus est homo, & omnis homo est risivus.* Reliquæ vero ex his, *Christus duas naturas perfectas habet divinam & humanam: omnis autem natura perfecta propriam sibi & operationem & potentiam vendicat.* Est denique alia divisio Theologicæ quæstionis, ad quodcumque genus illa pertineat. Sunt enim fidei quæstiones quædam, hoc est, quæ cum ad fidem spectent, pro earum veritate theologo est in capitis etiam discrimen veniendum. Aliæ vero sunt, quæ in utramque partem & ignorari & negari sine fidei iactura possunt. Quam par-

tionem Augustinus cum alias sæpe, tum in libr. 2. de peccato originali contra Pelagium & Celestium, cap. 23. commemorat. Atque penitus partitio hæc non est solum memoriæ commendanda, sed in oculis semper habenda, si absolute Theologi esse volumus. Vtriusque generis exempla sunt. Prioris hoc pacto, *An Christi anima simul atque verbo coniuncta fuit, Deum clare viderit?* Item, *An in locis inferis ignis purgatorius sit, ubi fidelium anima pœnas peccatorum luant?* Posterioris Augustinus quidem varia atque innumerabilia esse dicit, & quæ certo aliquo genere complecti ac definire difficile sit: sed quæ ponit, ea sunt. Cum quæritur, *Qualis, vel ubi sit paradysus: ubi consistit Deus hominem, quem formavit ex pulvere,* quum tamen esse illum paradysum fides Christiana non dubitet. Vel cum quæritur, *Vbi sit nunc Elias, vel Enoch, an ibi, an alibi alibi,* quos tamen non dubitamus in quibus nati sunt corporibus vivere. Vel cum quæritur, *Vtrum in corpore, an extra corpus in tertium cælum sit raptus apostolus,* quanquam sit ista impudens inquisitio id scire volentium, quod se ille, cui hoc præstitum est, salva utique fide noscere testatur. Vel *quos sint cæli, in quorum tertium se raptum esse commemorat.* Vel *utrum elementa mundi huius conspicabilis quatuor, an plura sint. Quid faciat solem lunamve deficere his defectibus, quos prædicere Astrologi certa temporum dimmeratione consuerunt. Cur antiqui homines tam diu vixerint, quam sancta scriptura testatur, & utrum proportionem longioris ætatis filios serâ pubertate gignere caperint. Vbi potuerit Mathusalem vivere, qui in arca non fuit, qui sicut in plerisque codicibus & Græcis & Latinis numerantur anni, reperitur supervixisse diluvio.* Vel *utrum paucioribus, qui rarissimi inveniuntur, potius credendum sit, in quibus ita est numerus conscriptus annorum, ut ante diluuium defunctus fuisse monstraretur.* Hactenus exempla Augustini posui. In hoc genere Div. Thom. 2. cont. gent. cap. 70. quæstionem illam esse censet, *An cælum animatum sit:* quam inter cæteros errores Origenis Hieronymus enumerat in epistola ad Avitum, sed Div. Thom. consuetudine videtur Augustinus in enchyr. cap. 57. Verum ne diutius lectorem demorer, de omni isto genere quæstionum quid sentiam, & quæ præcepta danda existimem, perbreuiter exponam.

Nulla Theologicae quaestionis praecepta firma: stabiliaque tradit possunt, nisi ab iis, qui in schola sese multum ac diu exercuerunt. Itaque propria est ea praeceptio scholasticorum, quoniam eorum, qui scholam negligendam esse existimant, nulla idonea, exquisita, excellens de Theologiae quaestione disputatio est: tantum abest, ut harum rerum praeceptores sint, quas nullo usu habent cognitae. Admonebat me res, ut hoc quoque loco intermissionem scholasticae Theologiae, ne dicam interitum, deplorarem, nisi vererer. ne cum de aliis academiis quererem, Hispaniam meam immodice extollerem, in qua valde his temporibus scholae Theologiae viget. Sed apud nos etiam videmus, quibus extinctis Theologis quam in paucis spes, quanto in paucioribus facultas, quam in multis sit audacia. Nihil vero de me, de praeceptore dicam libentius, qui academias Hispanas adeo insigniter ingenio suo & doctrina illustravit, adeoque nostris hominibus & spectabiles & amabiles reddidit, ut in eas certatim non confluerint modo, sed irruerint. Quod si ille Gallis, Germanis, atque Italis scripsisset, quae erat hominis in disputando perspicuitas, elegantia, & suavitas, non ita nunc apud eas gentes scholae studia iacerent. Nam ex eo credo quibusdam usu venire, ut abhorreant a schola, quod incidit in inculta quaedam & horrida de malis quaestionibus deterius vestigata, deterrime etiam inventa & conclusa. Sed age his omissis id, quod instituimus, persequamur. Nec tamen necesse est, ut res faciles separatim instruamus Theologiae praeceptis: sita sunt enim ante oculos. Nec rursus de iis leges ferre operae pretium est, quae multum a ratione discrepant: ea enim facile apparent, nec magnopere admonitionem & praecepta desiderant. Quae autem difficilia videntur esse, neque a multis intelligi possunt, de iis est diligentius praeciendum.

Primum ergo officium Theologi disserentis existimo, ut quaestionem, quam versaturus est, saepe displiceat, & identidem interroget se, cuius generis illa sit. Aliter namque quaestiones illae finiendae sunt, quae naturae & disciplinae ordine in Theologiam veniunt, aliter quas humani ingenii vel imbecillitas vel certe malitia movet. Nec eodem modo dis-

serendum est de iis, quæ quærimus ut exponamus, ac de aliis, quæ quærentur ut demonstremus. Longe que diversa instituitur disputatio de naturali ac supernaturali quæstione, aliique loci Theologici sunt huic, atque illi accommodandi. Nam cognitionis actionisque quæstiones, ut alias diximus, eodem fere modo, exque eisdem locis tractandæ, & solvendæ sunt.

Sed cum uniuscuiusque genus quæstionis diligenter investigandum est, tum illud maxime, an præter fidem illa sit, an potius ad fidem, religionemque pertineat. Cum his porro, qui in fidei quæstione errant, velis equisque, ut dicitur, decertandum est: cum aliis vero, qui de his controversantur, in quibus salva fidei decipi, errare, labi homines possunt, pugnare quidem, quod alias monui, Theologi & possunt, & quandoque etiam debent, sed cruenta pugna illis omnino interdicta est. Quam ridiculum est enim nervos omnes corporis & animi intendere in ea quæstione solvenda, cuius in scientia nihil periculi habet, error nihil habet criminis? Sed in toto hoc posteriori quæstionum genere quam magna Theologo sit adhibenda moderatio, in octavo & nono libris non intelligenter exposui. Hic dico quantum proposito ac formularum brevitati satis est, reliqua illinc petentur. Non enim mihi libet eadem hæc tempore & loco resumere. Illud huius loci & temporis est Theologum admonere, ut non stultas modo quæstiones, & genealogias, & contentiones, & pugnas legis devitet, quæ sunt interdum quoque noxiæ, verum etiam inutiles quascumque, & vanas, quæ Theologo nequam in usum aut cognitionis aut actionis accersiri. In his Hieronymus illas quæstiones censet (5), *Quot ne annos vixerit Mathusalem? Quoto ætatis suæ anno Salomon sortitus sit coniugium? Ne forsitan Roboam undecimo ætatis illius anno natus esse credatur.* In epistola quoque ad Vitalem cum posteriori harum dupliciter respondisset, ad extremum ait, apostolum de istiusmodi interdicens quæstionibus. Et post pauca, *Relege, inquit, omnes & veteris & novi testamenti libros, & tantum annorum reperies dissonantiam & numerum inter Iudam &*

Is-

(5) In comm. epist. ad Tit. cap. 3.

Israel, id est, inter regnum utrumque confusum, ut huiusmodi herere quæstionibus non tam studiosi hominis, quam otiosi esse videatur. At bene habet, quod non dixit attingere, sed herere. Nam si id genus quæstiones breviter exponere otiosum, & inutile est, non ego solum, qui in superiore libro multas eiusmodi explicui, sed Augustinus, ac Hieronymus quoque ipse arguentur. Non est igitur immorandum in huiusmodi quæstionibus minime necessariis, licet ad veritatem historię sacrę quodammodo spectare videantur, sed cum in omni disputatione tum magis in ea, quæ ad fidem & salutem nihil attinet, exercenda est facilitas quædam, ne si hisce rebus disserendis diu ac multum hæremus, in morositatem inutilem & odiosam incidamus. At D. Augustinus supervacaneum esse existimavit quærere, ubi & quomodo sit in cælo corpus Dominicum (6). Sed de fide & symbolo, licet coram synodi patribus, ad novitios tamen doctrinam instituebat. Alioqui Caietanus, quem unum nostrę familię non ingenio solum & eruditione præstantissimum audeo dicere, sed in huius generis quæstionibus excitandis modestissimum, non est veritus, quum sacras literas interpretaretur, eam rem quærere, paucisque etiam explicare. At idem Augustinus (7) eas quæstiones nullo modo patitur, quas ex ægritudine animi dicit existere, *Ecquid faciebat Deus antequam faceret cælum & terram? Ecquid ei venit in mentem, ut aliquid faceret, quum antea nunquam aliquid fecerit?* Sed pœnitentiam agens, confitensque peccata vix ægrefert quæstiones necessarias, nedum minus utiles, curiosas, importunas. Non itaque eadem disputandi regula Theologo præscribenda est cum in gymnasio certat, & cum in cubili, aut etiam in templo luget.

Sed regula hæc erit & rationi & sanctorum auctoritati maxime consentanea, ut omnis Theologus de re supernaturali disputaturus (nam hæc illi propria disputatio est) nomen Theologiæ secum ipse reputet, titulum suum, hoc est, Theologi frequenter legat, quærat a se non semel, sed sæpius, quorsum cœperit disputare, sciatque nullam illi quæ-

stio-

---

(6) *De fid. & Symb. cap. 6.* (7) *Lib. II. con. cap. 30.*

stionem asciscendam, nisi quæ ad veram, quæ supra naturam est, Christi, apostolorum & prophetarum philosophiam referatur. Huius enim præcepti quidam immemores, innumeris quæstionibus, præsertim dialecticis, physicis, & metaphysicis explicandis importunissimi, longissimique fuerunt. Nemo autem est, longus, qui materiæ immoratur, si aliquid, accersit atque atrahit, quod suo videlicet instituto congruens consentiensque sit. Nec tamen quæstiones, istas quamvis non, adeo necessarias, exterminandas puto. Est enim animorum, ingeniorumque exercitatio quædam non modo acuminis plena, sed etiam ad Theologiam scholæ valde utilis. Nam quod, Augustinus ait (8), nihil ad se pertinere, utrum cælum sicut sphaera undique concludat terram in media mundi mole, libratam, an eam ex una parte desuper velut discus operiat? Item, an stet cælum, an potius moveatur, hoc vel in Manichæorum invidiam & odium dicit, qui similes multas quæstiones se a magistro didicisse iactabant: vel illos certe reprehendit, qui iis excitandis & solvendis quæstionibus multum proluxa, & rebus salubribus impendenda temporum spatia occuparent: illius enim verbis libenter utimur. Cæterum quasi præteriens id genus quæstiones ipse solvit, quibus tamen, ut ait, ineundis atque tractandis neque episcopo temporis satis erat, neque illis, quos ad salutem & sanctæ ecclesiæ necessariam utilitatem cupiebat informari. Nec dissimile huic est, quod Augustinus idem (9) curiosissimas Dioscori quæstiones reprehendit, & scribit tamen, sed non idcirco ea dicere, quia istiusmodi discuntur, sed quia vano fine discuntur, ita respondit quibusdam earum breviter, aliis vel prolixè. Ego vero si ab amico essem de rebus eiusmodi interrogatus, aut dissimulanter præterirem, aut aperte etiam responsa negarem. Nec enim dignas eas quæstiones censerem, quibus vel tantillum temporis impertirer. Sed Augustinus erat vel in amicos liberalior, vel in Dioscorum indulgentior. Quorsum hæc? Ut intelligant ii, qui scholæ perpetuam in-

Tom. II.

Y

vi-

(8) De genesi ad litteram lib. 2. cap. 9. & 10.  
 (9) Epist. 56.

vidiam conflant, controversias circa Aristotelem exortas non esse disquisitione Theologi indignas, si quæ in Cicerone ambigua erant, ea non est dedignatus explicare Augustinus. Quid? Quod is ipse nescientem quid sit nihil, quod informis materia (10), quid formatum exanime, quid corpus, quid species in corpore, quid locus, quid tempus, quid in loco, quid in tempore, quid motus secundum locum, quid motus non secundum locum, quid stabilis motus, quid sit ævum & quid sit ne in loco esse, nec nusquam, & quid sit præter tempus, & semper esse, quid sit & nusquam esse & nusquam non esse, & nunquam esse, & nunquam non esse: hæc: inquam nescientem nec de Deo nec de anima sua quicquam recte aut quærere aut disputare posse asseverat. Non sunt igitur quæstiones istæ physicæ & metaphysicæ ab scola nostra expellendæ, ne illæ, quidem, quæ Erasmo, cæterisque similibus curiosæ sophisticæque etiam visæ sunt. Sed de hoc alio loco pluribus. Nunc ad fidei quæstionem redeo. Quæ nisi theologo in primis constituta sit, nihil ratione docere potest neque via. In hac igitur re vehementer elaborandum est, sit in theologia, quis sit gradus veritatis ac falsitatis exquirimus. Id nimirum ut Theologiæ maxime proprium est, ita est omnium difficillimum. Quare illud præstaret valet nemo, nisi perfectus consummatusque Theologus. Dixerit quispiam. Quid? Nonne sunt notæ aliquæ, quibus quæstiones fidei se iungi ab eis, quæ fidei non sunt, & internosci possint? Sane vero. Sed ne cuivis contingit adire Corinthum, nec sunt ista omnium communia contritaque præcepta. Ac pertinet quidem ad omnem fidei quæstionem constituendam semper in promptu habere eiusmodi notas, & quæstionum fidei quasi indices; verum ea magna omnino res est, egetque doctrina & exercitatione non parva. Illas itaque, si poterimus, proferemus, nec ita multo post, sed pauca ante dicenda sunt.

Fidei porro quæstio bifariam intelligitur. Vna, quæ immediate ad fidem attinet, ut vere attinent omnia, quæ Deus ecclesiæ suæ aut verbo edidit, aut scripto. Altera, quæ me-

dia-



diate fidei est, cuiusmodi sunt omnes conclusiones, quas ordine disciplinæ ex illis prioribus colligere, & diffinire possumus. Quæ, quoniam non in se ipsis, sed in aliis tanquam principiis revelate a Deo sunt, mediate fidei dicuntur esse, & qui eas negat, is fidem negare hoc modo dicitur. Atque equidem illud etiam animadverto, eas non abs re forsam quæstiones fidei vocari, quæ vehementer ad ecclesiæ doctrinam pertinent, fideique sunt propter affinitatem appendices. Non quod aut ex iis pendeat fides, aut iis sublatis funditus illa tollatur: sed quod affecta ægraque sit, si harum rerum veritas labefiat, quæ illi hærent & adiunguntur. Oportet nempe in ecclesia sanam doctrinam esse & verbum sanum, ut apostolus ait (11). Quemadmodum autem morbi quidam lethales sunt, alii vero non interficiunt quidem hominem, sed faciunt tamen valetudinem; sic errores quidam non fidem extingunt, sed obscurant, non evertunt, sed infirmant: morbumque afferunt, non exitium. Sicut ergo quod saluti est noxium, vitæ id quoque noxium est: ita quodcumque sanæ doctrinæ adversatur, hoc fidei est etiam quodammodo adversum. Ex quo intelligitur, quæstiones illas, quæ ad doctrinæ ecclesiasticæ sanitatem spectant, ad fidem suo quodam modo spectare. Sed nos huius generis controversias non in fide proprie, sed præter fidem esse dicimus. Nec qui in his errant, eos in fide, sed præter fidem errare existimamus. Atque ita rebus his primo simpliciter collocatis, reliqua deinceps subtilius persequemur.

Y 2

CA-

---

(11) 1. ad Timoth. 1. & 6. & 2. ad Timoth. 1. & 4. & ad Titum 1. & 2.

## CAPVT VI.

*Quibus notis questiones fidei diiudicari possint.*

**Q**uibus autem rationibus hanc diiudicandi facultatem assequi possimus, ne in constitutione causarum fidei erremus, accurate nunc & diligenter exponendum est. Et Cardinalis quidem Turrecremata lib. 4. Summæ eccles. part. 2. cap. 9. septem gradus ordine ponit propositionum catholicarum, quæ eadem, cum in disputandi controversiam, disceptationemque vocantur, quæstiones fidei dicuntur.

Primus earum est, quæ in libris sacris habentur expressæ. Secundus earum, quæ ex hisce per certam & necessariam consecutionem fiunt. Tertius earum, quæ verbo tenus Christus apostolis, apostoli ecclesiæ tradiderunt. Quartus earum, quæ in conciliis universalibus definitæ sunt. Quintus earum, quæ a sede Apostolica sunt fidelibus ad credendum propositæ. Sextus illarum, quæ de fide, & refutatione hæresium sancti doctores una mente, unaque voce docuerunt. Septimus illarum est, quæ ex tertio, quarto, quinto & sexto generibus consecutione firma & necessaria derivantur. Ex quibus capitæ sequenti distinguit etiam septem genera hæreticarum propositionum, quæ septem illis generibus propositionum fidei repugnant. At vero more iurisperitorum ista sunt tradita, quæ fortasse minutius in tenuissimas particulas conciduntur. Nobis tamen, qui docendi compendiarium viam & rationem profitemur, ad breviorum numerum, & absolutam quandam disciplinæ formulam redigenda sunt omnia. Cum igitur veritas fidei, ut paulo ante diximus, bipartita sit, & hæc ad fidem mediate, illa immediate pertineat; necesse est, duos gradus propositionum fidei generales statim a principio collocare. Prior earum erit, quæ Theologiæ legitima principia sunt, cuiusmodicunque sint illa, sive primaria, sive secundaria, hoc est, ea omnia, quæ Deus in se ipsis ecclesiæ revelavit. Posterior vero gradus huiusmodi erit, quæ ex prioribus illis necessario colliguntur. Hoc enim genus conclusionum,  
ut

ut cum rebus fidei colligatum, ad fidem etiam spectat. Ratio enim connexi, quum concesseris superius, cogit inferius concedere, & quum inferius negaris, superius item negare cogit. Rursum in superiore illo gradu duos intelligimus, unum earum propositionum fidei, quas in libris canonicis sacri auctores scriptas reliquere: alterum earum, quas verbo traditas ecclesia, ut crederet, a Christo & apostolis accepit. In posteriore itidem gradu duo genera intelliguntur. Vnum conclusionum eiusmodi, quæ e principiis solum fidei nascuntur: alterum earum, quas non fides sola conficit sine externarum disciplinarum adiutorio, sed aseitibus aut uno principio, aut pluribus naturæ ratione cognitis. Atque hæc quidem tametsi non eodem loco & gradu, omnes tamen simpliciter & sine additamento quæstiones fidei vocari possunt, nempe cum ex utrisque fidei veritas pendeat, cum utrisque coniuncta & copulata sit. Nam quæstiones illæ quasi fidei appendices, quod nuper, & quid dico nuper? immo vero plane paulo ante dicebam, fidei quodammodo sunt, non simpliciter. Nec enim sic fidei adhærescunt, ut separari ab illa non queant. *Ægrotat* sane, ut ita dicam, in earum errore fides, non perit.

Sed quoniam scripturæ sacræ nativæ & germanæ sensa obitura interdum & implicata sunt, nec semper exploratum est & cognitum, quænam illa sint, quæ sine scripto apostoli memoriæ prodiderunt, sæpe etiam impeditum est, & quasi tenebris circumfusum, an conclusio *controversa necessario* e rebus fidei ducatur: id nos modo expedire atque explanare cupimus, quibus notis & signis cognosci ac distingui possit veritas fidei tum illa, quæ in sacris scripta libris est, tum, quæ est verbo ab apostolis tradita, tum demum ea, quæ ex harum vel altera, vel utraque conficitur. Eo vero studiosius hoc negotium suscipimus, quod non modo scholæ Theologis utilissimum fore intelligimus, sed illis etiam maxime necessarium, quibus Apostolica sedes fidei cognitionem & censuram imposuit. Non enim parum in se habet fructus certa constansque ars in Theologia disserendi, nec sine hac arte eorum errores æquabiliter notari possunt, qui a fide Christi, & antiqua ecclesiæ institutione desciscunt. *Contra-*  
rio-

rrior enim, quod a Philosophis vere dicitur, eadem est disciplina. Quare si veritates fidei catholicæ constituimus, errores adversus pariter designamus. Age ergo conferamus pedem ut aiunt, & ad rem propius accedamus.

De rebus perspicuis, ut dixi, nihil præcipi oportet. Itaque si scripturæ divinæ locus, ut inde ordiamur, planum & apertum habet sensum vel ex contextu, vel ex alio eiusdem scripturæ loco, vel ex verborum ipsorum clara luce, nullum nostrum præceptum est. Ipse enim apertus scripturæ sensus certum præ se fert catholicæ veritatis indicium. Quo fit, ut Lutheranorum plerasque hæreses Theologus vel mediocriter scripturæ divinæ sensus imbutus perfacile denotet. Nullum quippe negotium est eos errores inurere, qui scripturæ manifesto repugnant. Vt illi, *Ecclesiam universalem in fide errare posse.* Item *Humanas omnes actiones criminosas esse.* Item, *Tristitiam de peccatis non esse necessariam, sed inuisilem.* Multi denique alii, quos commemorare longum est. At enim de scriptura sacra dicta hæc intelligi volumus, quam esse canonicam constanter sit ab ecclesia diffinitum. Nam quemadmodum in secundo libro docuimus (1), libellum Baruch non adeo explore & firmiter in sacrorum numero ecclesia reposuit, ut aut illum esse sacrum fidei catholicæ veritas expedita sit, aut non esse sacrum hæresis expedita sit. Libellus ergo iste, sive quilibet alius, qui in quæstionem citra crimen hæreseos vocari possit, quantumvis clara & aperta inferat sensa, non statim efficiet certas atque constantes catholicæ fidei veritates. Sed transeamus ad alia, & in rerum difficilliorum iudicio e superioribus libris summa quæque carpamus. Ex eo enim tempore hæc res elaborata est, ex quo locorum Theologorum firmitudinem constituimus.

1. Præceptio.

Sit igitur prima præceptio. *Cum scriptura divina sensus fuerit obscurus, tunc ecclesia intelligentia eadem est germana scriptura intelligentia, ex qua habebitur (crepet licet hæreticus) & catho-*

---

(1) *Librum Baruch e sacris eximere erroneum esse dixi: hæreticum, neque tunc ausus sum, neque modo audeo dicere.*

*tholica veritatis insigne certum, & ad probandas Theologia conclusiones certi eius, quem exquirimus, argumenti delectus.* Si enim ecclesia certissimum ius habet discernendi verba Dei a verbis hominum, ut in secundo libro nobis constitutum est, habebit quoque idem ius, ut in verbis ipsis sensum Dei ab hominum sensu discernat. Nisi credimus, perinde scripturam ecclesiæ, ut Ptolomæo Ægyptiisque concessam: vel certe ut nunc est concessa Iudæis, quos scriniarios ecclesiæ Christi Augustinus non ineleganter appellavit (2). Scimus autem utrumque depositum ecclesiæ commissum, ut utrumque etiam perpetua fide conservet reddatque simul, quas accepit, & scripturam & scripturæ intelligentiam, *Spiritus meus, inquit (3), qui est in te, & verba mea, qua posui in ore tuo non recedent de ore tuo & de ore seminis tui amodo, & usque in sempiternum.* Ambas igitur res Christi ecclesia custodit, custodietque semper & verbum & spiritum verbi. Item, Christus spiritum veritatis promisit (4) ecclesiæ, qui cum illa maneret æternus, eique omnia suggereret, quæ illi a Christo sunt dicta. Item, cum verum Dei Evangelium, quemadmodum Hieronymus elegantissime dixit (5), non in scripturis sit, sed in sensu, non insuperficie, sed in medulla; non in verborum foliis, sed in radice rationis: si ecclesia scripturam haberet, non autem legitimum scripturæ sensum, non haberet profecto verum Dei evangelium, atque adeo ne fidem Christi quidem, quæ sine vero Dei evangelio non est. Nec enim ad verba fides, sed ad sensa refertur. Aliqui & hæretici scripturas sine sensu loquuntur, & diabolus scripturas etiam profert: sed in intelligentia falsa falsum evangelium habent; certe non divinum, sed humanum, immo, quod peius est, diabolicum. Cum vero inter catholicos & hæreticos non de scriptura, sed de sensu plurima controversia sit: si ecclesiæ interpretatio non est certa intelligendi norma, ecquis erit illiusmodi controversiæ iudex? Sensum enim suum pro sua virili quisque defendet. Quod si in exploranda scripturæ intelligentia nullus est ecclesiæ certus iudex, audeo dicere Rempub-

fuis-

---

(2) *Contr. Faust. lib.* (3) *Isai. 59.* (4) *Ioan. 14. 15. & 16.* (5) *In epist. ad Galat. cap. 1.*

fuisse nullam stultius constitutam (6). Nullum enim dissidiorum futurum finem, consensionem fidelium nullam, nullam fides unitatem. Qua sublata, non charitas modo & pax, sed fides etiam ipsa penitus tollitur, atque ipsum omnino ecclesiae nomen. Quod autem apostolis Christus aperuit sensum (7), ut intelligerent scripturas, non id propter illos tantum, sed multo etiam magis propter ecclesiam fecit. Ex quo intelligimus, Christum ecclesiae suae librum signatum perpetuo aperuisse. Scripturae insuper intelligentiam apostoli ecclesiis tradiderunt. Nam si non sensum, sed verba duntaxat tradidissent, non utique praedicassent evangelium omni creaturae nec docuissent omnes gentes servare quaecunque illis fuissent a Christo commendata. Qualis enim evangelii praedicatio, qualisve doctrina absque intelligentia esset? Nempe, qualis aut puerorum aut psittacorum est, qui sine mente dant, accipiuntque sonum. At Apostolicae traditionis certior testis nemo est, quam ecclesia. Nam quid acceperit, ecquis clarius evidentiusque testabitur quam ipsa, quae accepit? Scripturae igitur sensus ab apostolis ecclesiae traditus penes ecclesiam est.

Præterea ecclesia columna est & firmamentum veritatis: at veritas vere & proprie in intellectu scripturae est, in scriptura autem improprie tanquam in signo. Quemadmodum urina figurate sana dicitur, cum animal id sit, quod est proprie sanum. Si ergo ecclesia firmamentum est veritatis, firmam certe habet ac certam earum cognitionem veritatum, quae in sacris literis continentur. Sed quid opus est plura? Iam enim quartus superior liber comprobavit veram fidelemque omnem de ecclesiae auctoritate sententiam. Ostensum est autem multis & testimoniis & rationibus, ecclesiam in fide errare non posse. Atqui nihil magis ad fidem attinet, quam divinorum dictorum vera cognitio & sensus. In ecclesia igitur explorata scripturae intelligentia residet, ex qua nimirum intelligentia & compertum habere possumus fidei catholicae signum, & eodem quoque signo errores contrarios denotare. Sane primae huius praeciputionis clarissimum exemplum est in paradyso ter-

---

(6) Vide lib. 3. cap. 2. & cap. 3. fundam. 4. (7) Luca 24

restrī, in fictione Adę de limo terrę, in Evę formatione de costat Adę, denique in tentatione serpentis (8). Quę omnia Origenistę allegoricis figuratisque interpretationibus perverterunt. Sed cum ecclesia semper ea non figurate dicta, sed proprie ad historiam acceperit, iure illos synodus sexta actione undecima explosit.

Secunda præceptio. *In ecclesia nomine non modo fidelium omnium concio intelligitur, verumetiam ecclesia pastores & doctores, præsertim in concilio congregati.* Hęc ostensa nobis est libr. 4. cap. 4. concl. 4. & libr. 5. cap. 4. concl. 3. Præceptionis vero huius exempla multa sunt, sed nos pauca ponemus. Illa Domini (9) lege, *Hoc facite in meam commemorationem*, omnes semper ecclesię sacerdotes intellexerunt id præscribi, ut hoc idem ipsi facerent, quod & Iesus Christus tum faciebat, hoc est, ut eucharistię sacrificium offerrent. Nam post illa verba in persona Christi prolata, *Vnde & memores, inquit, nos servi tui, &c. offerimus maiestati tuę de tuis donis ac datis hostiam sanctam, &c.* Wiclefistę igitur, qui dixerunt, non esse fundatum in evangelio, quod Christus missam ordinaverit, Lutherani item, ac multo etiam magis, qui negant in ecclesia eucharistię sacrificium esse, iure a nobis hæretici habentur. Sed de hac re in hoc eodem libro posterius. Rursum, concilium Lateranens. patrem & filium vere & proprie rem unam eandemque esse intellexit (10) ex illo, *Ego & pater unum sumus.* Ita in hoc Abbas Ioachimus damnatus est, qui hunc locum non ad rei eiusdem & naturę unitatem, sed ad consensionem voluntatis unius retullisset. Pari enim errore illum alterum locum (11) interpretabatur. *Claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis: ut sine unum, sicut & nos unum sumus.* Præterea, spiritum sanctum a filio procedere concilium Ephesinum ex illo scripturę loco accepit, *De meo accipiet* (12); ex illo etiam, *Quem ego mittam vobis a patre, spiritum veritatis*, (13), &c. Animam rationalem tandem formam esse subsistentem quidem, sed essentialiter vere ac per se humanum corpus informare, con-

Tom. II.

Z

ci-

(8) Vide lib. 7. cap. 3. concl. 5. (9) Luca 22. (10) Idem synodus Ephesina. (11) Ioan. 17. (12) Ioan. 16. (13) Ioan. 15.

cilium Viennense, ut equidem sentio, ex eo loco (14) habuit, *Inspiravit in faciem eius spiraculum vite, & factus est homo in animam viventem.* In eo enim quod Deus animam homini inspirasse dicitur, illam patres foris venisse interpretati sunt, quemadmodum flatus extrinsecus venit. Non itaque spiritum hominis educi de materia, nec ab ipsa pendere, sed per se omnino subsistere. In eo autem quod per eundem spiritum factus est homo in animam viventem, cognovere utique illam corpus vere vivum efficere, atque adeo formam substantialem esse humani corporis. Item, hoc traxerunt ex illo (15), *Nusquam enim angelos, sed semen Abraha apprehendit.* Si namque animus hominis non esset corporis vera forma parsque omnino humanæ naturæ, sed corpori, ut nauta navi, iuxta Platonis Origenisque sententiam assisteret: sine dubio substantia esset, quod ad naturæ conditionem attineret, separata, quam nos angelum nuncupamus. Quare Deus animam rationalem assumens, angelicam naturam assumpsisset. Hæc igitur & alia eiusmodi, tametsi in scriptura obscurius continentur, ecclesia tamen iure suo explicat, fidelibusque ad credendum exponit. Quod dum facit, ipsius decretum non solum non esse falsum, sed etiam stabile, fixum ratumque esse debet, perinde ac si in libris sacris patentius haberetur. Pastores ergo ecclesiastici, quos in ecclesiæ voce communiter intelligimus, cum scripturæ certam constantemque intelligentiam præscribunt, & absolutam veritatis catholicæ exhibet formulam, & notas quoque certissimas, quibus hæreses contrariæ diiudicentur.

3. Præceptio.

Tertia præceptio. *Si sedes Apostolica aliquem scriptura sensum præferuerit, ille idem catholica veritas censenda est.* Quam sane præceptionem, nisi opinio nos fallit, diligentissime in sexto superiore libro demonstravimus. Multis quippe ibi ac necessariis argumentis addiximus, sedem Apostolicam in fidei iudicio labi non posse. Scripturarum vero interpretatio, quum in disceptationem illę veniunt, fidei iudicium est: non ergo in scripturarum intelligentia sedes Apostolica errat, si eas ex præscripto interpretatur. Nam si non constanti iudicio fixoque de-



de creto, sed ex opinione sua, quasi præteriens exposuerit, id quod alias sæpe dictum est, nihil constituet omnino, quod certum exploratumque sit. Quare si tunc erret, scripturam vel parum apte interpretando, vel in sensum etiam alienum detorquendo, nihil huic præceptioni obstat. Quæ non omnia illa sensa præstituit, quæ Pontifices e scriptura sacra ad res, de quibus agebant, suadendas accersierunt; sed illa docet firme esse tenenda, quæ fidelibus a sede Apostolica præstituuntur. Quibus autem signis sedis Apostolicæ conciliorumque firma iudicia internoscantur, in quinto libro explicatum est (16). Ac certe eiusmodi iudicia, quæ in scriptura interpretanda versantur, ad sedem Apostolicam peculiariter attinere, adeo clare hodie est in Clement. unice. de summa Trinitate & fid. catholic. diffinitum, ut minime sit hæsitandum, quin Pontificis sententia eadem, & Viennensis concilii sit. Quid, quod claves habet Petrus, ut librum clausum aperiat? Quid? quod quæcumque solverit in terris, erunt soluta & in cælis? Quid? quod ab initio constitutum est, ut ex ore eius gentes verbum evangelii & audirent & crederent? Quid? quod adversum hanc petram ne portæ quidem inferi prævalere queant? Quid? quod pro eo oravit Christus ne deficeret fides ipsius, quo fratrum vacillantem & nutatam fidem confirmaret? At quid ego stultus, contra proverbium vetus, acta ago? & argutis minutisque interrogatiunculis, quasi aculeis, lectorem pugno, atque ea ut modo primumque nascentia edo, quæ in sexto libro altissimis defixa radicibus usque adeo confirmata sunt, ut nulla unquam vi labefactari possint. Huius autem præceptionis exemplum habes in *extravag. Benedicti undecimi*, cuius initium, *Benedictus Deus in donis suis*. Vbi pronuntiat Pontifex, hæreticos eos fore, qui negaverint animas iustum, simulatque e corpore excesserint, divinam essentiam clare videre, si nihil tamen habuerint, quod pœnis purgatoris ante expiandum sit. Hoc vero sine dubio accepit ex illo (17), id, quod in presenti est momentaneum & leve tribulationis nosra æternum gloria pondus operatur in nobis: Ne quis

autem falso errore ductus existimarct, hanc operationem æternæ gloriæ aut ad præsens mortalis vitæ tempus, aut ad futurum universale iudicium esse referendam, subiungit statim Paulus (18), *Scimus enim, quod si terrestris domus nostra huius habitationis dissolvatur, ædificationem ex Deo habemus, domum non manu factam, æternam in cælis.* Ac nequis rursus aliter æternam illam gloriam interpretaretur homini contingere, quam per claram divinæ essentiæ visionem, mox rem eandem apertius exponens subdit, *Scientes quoniam dum sumus in hoc corpore, peregrinamur a Domino, per fidem enim ambulabamus, & non per speciem, adeamus autem & bonam voluntatem habemus, magis peregrinari a corpore & presentes esse ad Dominum.* Quem locum D. Thom. quarto adversus gentes libro (19) pressius urget. Vbi quamvis & alia scripturæ testimonia referat, sed ad meum sensum: immo ad sincerum subtilique iudicium nullum aliud est hoc testimonio præstantius, ut & illa fidei veritas comprobari & contraria hæresis refutari queat. Præclare itaque mihi sentire videor, si summum Pontificem autumo, ex his ipsis Pauli verbis illud fidei dogma elicuisse. Ea igitur verba in falsum alium sensum peregrinumque deflectere hæreticorum erit.

4. Præceptio.

Quarta præceptio. *Consentiens eadem sanctorum omnium conspiransque scripturarum intelligentia, ipsissima est fidei catholica veritas. Quæ præceptio in septimo libro cap. 3. concl. 5. adeo fuisse lateque & explicata exemplis, & rationibus, ac testimoniis confirmata est, ut ineptus ego sim, si quicquam in præsentia adiciam.*

5. Præceptio.

Quinta præceptio. *Si ex apostolorum traditione communis ecclesia unus unquamlibet scriptura interpretationem præ se tulerit, ea ut fidei veritas tenenda est. Ut ecclesiæ mox perpetuus expressit in illis verbis. Quæcumque solveris super terram, erunt soluta & in cælis, Petro Petrique succesoribus datam esse facultatem & solvendi vota, & relaxandi iuramenta. Qui hanc ecclesiæ facultatem inficiatus fuerit, is vere ac iure hæreticus iudicabitur. Atque hanc quoque præceptionem nec probare ar-*

argumentis, nec exemplis illustrare deo, propterea quod in 3. lib. illam utriusque rebus patefeci.

Sexta præceptio. *Quodcumque dogma fidei vel ecclesia habuerit vel concilium auctoritate Pontificis roboratum, vel etiam summus ipse Pontifex fidelibus præscripsit, vel certe sancti omnes concordissime constantissimeque tenuerint, ita nobis illud pro catholica veritate habendum est, ut contrariam sententiam hæreticam sentiamus; quamvis nec aperte, nec obscure in scriptura sacra contineatur.* Docui nimirum in tertio libro copiosius, dogmata fidei non e sola scriptura petenda, se ex Apostolica traditione. Quæ vero Christi & apostolorum traditione sint, non alia via & ratione melius investigari posse, quam ecclesia ipsa duce atque magistra, superius non semel explanatum est. Ecclesiæ porro auctoritatem non modo omnium fidelium cœtu consistere, verum etiam conciliorum decretis, sedis Apostolicæ iudicio, sanctorum doctorum consensione, superioribus quoque libris expositum est satis, ut arbitror, diligenter. Christi quippe apostolorumque doctrinam, partim scripto, partim verbo in ecclesiam descendisse, cum alias sæpe, tum fusius in tertio libro monstravi. Ostendi etiam sæpissime, nihil per se ad ecclesiæ fidem attinere, nisi quod Christo & apostolis revelantibus accepit. Cum autem neque ecclesia, neque concilium, neque sedes Apostolica, neque sancti omnes simul possint in fide iudicio falli, quemadmodum suis quæque legibus patefacta sunt; certe quodcumque nobis fidei dogma tradiderint, si in sacris literis non habetur, Christo apostolisque tradentibus in ecclesiam venit. Eodem itaque gradu habendum, ac si patenter illud scriptura traderet. Omitto iam plura exempla hæresum notissimarum, quibus præceptionis huius nota inusta est. Nam in tertio libro exempla sunt pene innumerabilia.

6. Præceptio.

Septima præceptio. *Si vel ecclesia, vel concilium, vel sedes Apostolica, vel etiam sancti una mente eademque voce aliquam Theologia conclusionem & consecrunt, & fidelibus etiam præscripserint, hæc veritas catholica ita censebitur, ut si esset per se a Christo revelata: & illi qui aduersetur eque erit hæreticus, ac si sacris literis, traditionibusve apostolorum refragaretur.* Conclusionem sane Theologiæ hic appello eam propriam, quæ ex principiis huius facultatis certa & firma consecutione ducitur. Huius rei

7. Præceptio.

exam.

exempla sunt in promptu vel plurima. Sexta Synodus generalis duas esse in Christo voluntates, duasque item operationes collegit, tum ex illo, *Non sicut ego volo, sed sicut tu vis*, tum ex eo quod Christus Deus est & homo perfectus. Concilium Lugdunens. sub Gregorio decimo, ratione quoque Theologiæ constanti demonstravit, Spiritum Sanctum ex patre & filio non tanquam ex duobus principis, sed tanquam ex uno, non duabus spirationibus, sed una procedere. Pater siquidem & filius iuxta fidem sunt unus Deus, una potentia, una sapientia, breviter in omnibus unum, in quibus non obviat relationis oppositio: nec enim aliter divinæ naturæ unitas, in duabus personis servari potest. Cum itaque in spirando nulla sit a patre filii distinctio, sequitur patrem & filium non esse duo principia Spiritus Sancti, sed unum, quemadmodum non sunt duo principia creaturæ, sed unum. Qua ex re intelligitur utrumque errasse vehementer Erasmus nempe, & Ambrosium Catharinum: illum, qui hanc conclusionem nihil ad fidem pertinere credidit: hunc, qui eam, cum sit Theologiæ propriæ conclusio, inter principia prima, hoc est, fidei articulos muneravit. Item concilium Lateranens. sub Innocentio tertio ratiocinatione Theologia adversus Ioachinum effecit, divinam essentiam nec genitam esse, nec generare. Rem videlicet genitam & generantem realiter distingui oportere: quare si essentia divina generaret essentiam, ipsam a se non sola cognitione, sed re etiam esse distinctam. Item patres ad unum omnes ex eo principio, *Hoc est corpus meum*, ratiocinati sunt, conversionem panis in corpus Christi fieri, sine qua nec verborum illorum veritatem poterant comprehendere, nec cætera, quæ fides catholica de vera inclusione corporis Christi sub specie panis confitetur. Ita concilium Lateranens. patrum veterum consensione constituit, panem in corpus, vinumque in sanguinem *transsubstantiari*; sic enim concilium loquitur. Hac re constituta illa fuerunt consecratoria, quæ concilium Constantiense decrevit, panem post consecrationem non manere, atque adeo manere sine subiecto accidentia. In mutatione quippe & conversione quacumque, terminus, a quo mutatio & conversio initium sumit, non manet. Quare si per consecrationis verba panis transit in corpus, non utique persistit ille

ille , sed perstant accidentia eius. Item synodus Complutensis , Sixto quarto in extravag. sua corroborante , certo Theologiæ argumento confecit ex illo Ioannis testimonio, *Sicut misit me pater , & ego mitto vos: quorum remisistis peccata , remittentur eis , & quorum retinueritis retenta sunt* , non solum sacramenti pœnitentiæ institutionem haberi , sed confessionis etiam præceptum. Id , quod nos in relectione de pœnitentia evidentissime deduximus. Inde ergo exempli huius probatio petetur. Nam & reliqua delibamus , extremisque , ut dicitur , digitis attingimus , quæ late longeque diffusius in lectionibus olim quotidianis persecuti sumus.

*Octava præceptio. Si scholastici Theologi aliquam itidem conclusionem firmam & stabilem uno ore omnes statuerint , atque ut certum Theologia decretum fidelibus amplectendum constanter & perpetuo docuerint , illam ut catholicam veritatem fideles sane amplectemur.* Constituimus autem , ut reor , hanc præceptionem in 8. libr. firmiter & necessario , ne ad opinionem meam solum , sed plane ad veritatem. Ac fieri potest , ut aliorum iudicio errem , sed meo ita prorsus existimo. Christi igitur animam , statim ut est in corpore inclusa , Deum aperte vidisse , scholastici ad unum omnes fidentissime docent. Eam rem unde sibi persuaserint , non omnibus passim expeditum est. Sed ita esse minime ambigitur , nisi quod Erasmus in questionem vocat. At quibus rationibus & testimoniis ea conclusio confecta sit , posterius explicabitur. Illud modo ponimus , universos scholæ Theologos in Theologiæ certis constantibusque decretis præfiniendis errare non posse , sicut ne in fide quidem , quod eorum error , error esset ecclesiæ , utpote quum ad cernendum huius generis res non alios ecclesia , quam Theologorum oculos habeat , qui si fallerentur , totum ecclesiæ corpus in suo facerent errore versari. At enim , ut dixi , post ea , quæ 8. libr. disputata sunt , non est operæpretium in hac re constituenda elaborare. Sed ne quis sit admiratus , cur cum inter omnes fere Theologos constet , a meque ipso sæpe affirmatum sit , eiusmodi conclusiones , quæ ex fide per explicatam consecutionem derivantur , Theologiæ propriæ esse , non fidei , nunc ita confundam , quasi Theologia & fides eadem virtus sint. Si enim error conclusionis Theologicæ error fidei est , ut est re vera ,

8. Præceptio.

si

si eam negare sit hæresis : sequitur , fidem atque Theologiam ad eandem pertinere virtutem , quandoquidem errores utriusque facultati contrarii ad idem pertinent vitium. Sunt enim utriusque hæreses. Sed non erit difficile ei , qui superiora releget , hanc obterere contundereque calumniam. Diximus enim fidem , licet non immediate , sed versarii tamen circa eas conclusiones , quæ per evidentem & necessariam consequentiam ex articulis fidei colliguntur. Quare necesse est , ut infidelitas mediate quoque circa conclusiones Theologiæ contrarias versetur. Cum autem ex huiusmodi adversis erroribus non ægrotatio modo fidei , sed etiam corruptio sequatur , fit , ut eorum & fidei sit indirecta quidem & consequens , sed vera & naturalis repugnantia. Quamobrem ecclesia tametsi intelligit , eiusmodi conclusiones non e fide solum , sed e principis quoque naturæ pendere : quia tamen non putat , hominem rationalem ea , quæ rationi perspicua sunt & manifesta , negare , eum , qui illas inficiatus sit , hæreticum iudicat. Sumit enim , maximaque ex causa sumit , illum non in naturæ ratione , quæ erat evidens , sed in fide claudicare. At verò si quis vel consequentiam rerum alias perspicuam ignoraret , vel principium etiam naturale , quod cum articulo fidei ad colligendam Theologiæ conclusionem sumitur , certe non esset hæreticus. Vt si homo indoctus , verbi causa , existimaret hanc enunciationem esse falsam , *Omnis homo est risivus* , unde quamvis crederet Christum esse hominem , non ideo arbitraretur eum posse ridere : hic profecto non esset proprie infidelis , sed stultus , qui non per se supernaturali lumini , sed naturali repugnaret. Verum quoniam eiusmodi stultitia , quamvis per accidens & indirecte , fidei tamen ex consequenti corrumpit depravatque iudicium , iure apud ecclesiam non in stultitia habetur , sed in crimine. Atque hæ mihi videntur præceptiones summæ atque optimæ , in quibus tanquam insignitæ notæ & catholicarum veritatum , & hæresum contrarium appareant. Siquis vero certiores melioresque protulerit , ei ego magnam habebō gratiam. Quamquam erunt fortasse qui reprehendent communiter illi quidem omnia , quæ præter opinionem suam in his libris meis animadvertent : separata autem in singulis si perspiciant quædam , in quibus vel

vel a communi ego opinione, vel a clementiæ & lenitatis specie discedo. Nam & præceptionum tertiæ & postremæ acerbata cuiusdam forte severaque iudicia videbuntur. Sed his primum rationes illas expendat velim, quibus in 6. & 8. libr. usi sumus ad duas has præceptiones corroborandas: modestiam quoque ac temperamentum, quo huius nostri iudicii acerbiter indulgenter etiam, nisi nos sententia fallit, emolluimus. Deinde si tam indulgens in huius sæculi temerariam insolentiam esse vult, ut asperior ei disciplinæ correctio displiceat; obsecro videat, ne dum iudicium ecclesiasticorum animos a severitate, & vehementia ad remissionem indulgentiamque traducit, non modo forum ecclesiæ relaxet, sed usque ad atrium licentiæ impudentis atque adeo intolerantiæ explicet. Crudele est, fateor, illud, *Vexas censura columbas*, sed illud etiam dissolutum, *Dat veniam corvis*: utrum vero hoc tempore & ætate pernitiosius, non facile dixerim. Sed quoniam eorum errores, qui de ecclesiæ doctrina parum recte sentirent, non eodem gradu esse omnes multis in locis perquam breviter perstrinxi atque attingi: sed de his quoque errorum gradibus pauca dicantur. Accepimus enim e concilio præsertim Constantiens. alias propositiones hæreticas esse, alias erroneas, alias sapientes hæresim, alias temerarias, alias scandalosas, alias piarum aurium offensivas.

## CAPVT VIII.

*De variis errorum gradibus, primumque de hæresi, & hæretica propositione.*

**P**Rius vero, quam istiusmodi propositionum genera notasque definitio, illud explicandum est, an omnia illa ad hæresim requirantur, quæ sunt ad hæreticum constituendum necessaria. Sunt enim auctores nobiles, qui existimant omnem propositionem hæresim esse, quæ fidei veritati repugnet, quamvis ab ignorante sine ulla pertinacia defendatur. Hæreticus autem, nisi sit pertinax, nullo modo intelligitur. Huius autem

opinionis suæ multas causas reddere conantur. Primam, quod nisi ita esset, aliqua propositio ab uno affirmata esset hæresis, ab alio non esset: ut si homo doctus sciens contrarium in sacris libris contineri: assereret, Moysen non Iudæum fuisse, sed Ægyptium, tunc illam propositionem hæreticam esse, hæsitari non potest. At si eadem inscite ab aliquo homine rustico & idiota affirmaretur, hæretica non esset. Ita fieret, ut propositio ab asserente penderet, quod, ut inquit, quam sit erroneum, vel mediocriter docto est manifestum. Si enim propositio falsa est, a quocumque dicatur, semper erit falsa: ergo si est propositio hæretica, a quocumque illa asseratur, semper erit hæretica. Alteram causam reddunt, quod veritas catholica non pendet ab asserente, ut veritas catholica sit. Nam sive Iudæus, sive Paganus, sive Christianus Deum esse unum & trinum affirmet, illa certe assertio catholica est: ergo neque contraria falsitas ex eo, a quo asseritur, hæresis sibi aut nomen, aut rationem vendicat, sed absolute & per se est hæretica, quoniam absolute & per se cum catholica veritate pugnat. Cæteras causas, vel ego non intelligo, vel certe indignas iudico, ut a nobis referantur. Illa vehementior apparet, quæ ab illis omittitur, quod Theologi rogati, an propositio aliqua hæretica sit, an non, simpliciter respondent, aut esse, aut non esse, nulla eius, quod asseruit, habita ratione. Nova autem res esset & inaudita: si theologi propositiones eas, quarum notæ quærentur, designare nollent, nisi illis ante asserentium ingenium, conditio, doctrina, & culpa innotescerent. Hinc colligunt, omnem propositionem, quæ modo est hæretica, semper hæreticam fuisse, nec ecclesiam definitione sua ex non hæretica hæreticam facere, sed id quod re ipsa erat, ignoratum tamen & occultum, declarare. Hanc sententiam Ocham tenuit 1. part. dialogor. lib. 2. cap. 11. & Cardinalis Turrecremata lib. 4. part. 2. cap. 3. & Adrian. 4. Sentent. quæst. 1. de confess. & Alphonsus Castro Zamorensis lib. 1. de iusta hæret. punit. cap. 1. At auctores alii haud deteriores, mea quidem sententia (nam meliores multi credunt) ab his longe dissentiant, in quibus est Caietan. 2. 2. quæst. 1. art. 1. Divusque etiam Thomas prioris ad Corinth. cap. 11. lect. 4. Afferunt autem ad huius sententiæ confirmationem argumenta plu-



plurima. Primum est, quod concilium Constant. distinguit propositiones hæreticas, erroneas, sapientes hæc esim: quas res difficulter omnino secernemus, si omnis error in materia fidei est hæresis, prius etiam, quam diffiniatur ab ecclesia. Deinde, 24. quæst. 1. cap. *Quod autem*, & cap. *Achatius*, & 24. quæst. 3. cap. *Notandum*, dicuntur aliquæ hæreses esse novæ, aliquæ veteres (1): non ergo absolute sineque ullo respectu asserentis hæreticus dici potest. Præterea ad hæretici rationem, quia hæresis est pertinacia requiritur: ergo de ratione hæresis est pertinacia. Quemadmodum si cenatum non nisi vesperi intelligimus, ne cœna quidem nisi vespertina intelligitur. Ac certe sicut a candore candidum, ita ab hæresi nominatur hæreticus: quare qui hæresim asserit, hæreticus ille est, ut qui habet candorem est candidus. Quid enim absurdius dici potest, quam veram fornicationem esse in eo, qui non est fornicarius? Verum & proprium homicidium in eo, qui non est homicida? Absurdum igitur etiam est, in eo vere & proprie hæresim esse, qui non sit hæreticus. At hæc, Hæresis est vitium non solum intellectus, sed etiam voluntatis, nempe crimen est, quod nisi voluntate consentiente intelligi non potest: ubi ergo nullum est crimen, nullave cordis adversum fidem repugnantia, ibi ne ulla quidem hæresis est. Adde quod actus fidei catholicæ non est, nisi assentiamus propositioni catholicæ ab ecclesia definitæ: quamdiu enim res est ambigua, neque ecclesia alterutram controversiæ partem præfinivit, neutrius opinionis assensus fidei catholicæ iudicium est. Qua ex re intelligitur, non esse hæresim, nisi quis veritati catholicæ, quam ecclesia certo præscripsit, refragetur. Adde etiam, quod veritatem catholicam appellare, quam nec ecclesia credendam proposuit, nec fideles per fidem infusam credunt, sed unusquisque probabili opinione tenet, videtur a nomine quoque ipso veritatis catholicæ alienum. Atque opinionem, quæ inficias iret, divinas personas relationibus distingui, antequam esset ab ecclesia definitum, nemo

Aa 2

hæ-

(1) *Hieronymus eodem modo loquitur in 3. cap. epistol. ad Titum.*

hæresim vocare auderet, nec veritatem catholicam, quæ ad veram sententiam tueretur.

Mihi vero semper consilium fuit noninum controversias aut declinare omnino, aut paucis exponere. Itaque si de hæresi proprie loquimur, non dubito, quin receptor, crebriorque sententia eadem verior sit; nempe non aliud exigi ad constituendum hæreticum, quam id, quo hæresis constituitur; hæresis quippe flagitium in aliquo homine est, illamque denominat, in quo esse constiterit. Cuiusque igitur hæresis nota vere & iure iniuri potest, is vere iureque erit hæreticus, id quod ex argumentis nunc positus quædam manifeste probant. Sed quemadmodum urina improprie sana dicitur, quod signum est sanitatis, etiam si fallax aliquando sit; sic propositio in voce vel in scripto vocatur hæretica, quod signum hæresis esse soleat, quamvis interdum ad hæresi iis qui dixerit, excusetur, quia ignorans fuit. In quo sensu illorum opinio vera est, qui arbitrantur aliquam propositionem hæreticam esse, tum etiam cum is qui asserit, hæreticus non est. Vel loquuntur etiam de hæresi ex genere, & obiecto. Ut si quispiam concubitum illum primum Iacobicum Lia fornicarium appellaret, non quod re vera fornicatio fuerit, sed quod ex genere & natura talis sit, quamvis ignorantia interveniat. Verum scholæ Theologi, qui vocum significatus pressius tenent, nec concubitum Iacobi cum Lia fornicationem esse dicunt, nec accptionem rei alienæ, furtum, nec eadem hominis homicidium, nisi quum & res aliena male per iniuriam atrectatur, & homo inique contra ius occiditur. Maneat ergo, perpetuumque sit, si veram, & propriam nominis rationem sequimur, hæresim non esse, cui pertinacia non est adiuncta, & omnino cætera, sine quibus crimen hæreseos vere & proprie non constat. Nec si ad fidem illa ex se pertinent, quæ a Deo sunt ecclesiæ revelata, quamquam in eorum forte nos ignorantia versamur, contrarios statim ex ore hæreses iudicabimus. Non enim si quispiam color albo contrarius est, protinus est ater; nec si aliquid liberalitati adversatur, mox avaritiæ nomen habet. Sic igitur fieri potest, quod paulo post demonstraturi sumus, ut etiam in Christiano error aliquis sit fidei quodammodo ad-

versus, nec hæresis tamen sit, vitium inter ea, quæ fidei repugnant, vel maximum. Quemadmodum autem (nam hoc exemplum etiam atque etiam premendum est) colori albo gilvus, glaucus & pallidus contrarii sunt, imperfecte tamen: ita quidam etiam sunt Christianorum errores, qui, cum inchoati sint & informes, hæreseos speciem non attingunt, licet ad eam ipsam quam proxime accedant. Quia vero hæresis cum fide non solum pugnat, sed summe, maximeque etiam pugnat, sequitur errorem tunc proprie hæresim esse, quum non fidei materialiter, sed formaliter adversatur. Liber enim hoc loco scholæ verbis abuti. Sed experiar, & dicam, si potero, melius. Siquis fidelis in his quæ fidei sunt, vitiose per inscitiam erret, & flagitiose etiam catholicam unam quamvis veritatem ignoret, ad dialcticae legem quidem fidei contradicit, ad morumque etiam normam culpæ mortalis reus est: sed nisi vivus, ut dicitur, vidensque pateat, hoc est, nisi prudens volensque se a catholico dogmate separet, nec facit sciam, neque hæresim admittit. Nondum enim simpliciter & absolute cum fidei forma pugnat, si de pugna morali sermo sit. Nam de pugna dialctica nulla nobis quæstio nunc est. Sunt tamen eiusmodi errores informationes, & inchoationes quædam hereticæ pravitatis, ad cuius speciem indirecte, ut imperfecta ad perfecta, rediguntur: quemadmodum hæmorrhoidalis homo quidam informis, est & inchoatus, at non simpliciter homo, sed secundum quid. Non ergo si quispiam error fidei contrarius per ignorantiam, vel negligentiam vituperabilem fidei obrepit, illico hæresis nominabitur, quæ est summa quædam infidelitatis species, errorque fidei catholicæ adversus, non utcumque, sed perfecte, absolute, formaliter. Perfecta vero hæc absoluta & formalis repugnantia, quum sit etiam moralis, non modo dialectica, ex objecto & genere seorsum non accipitur, nisi subiecti quoque, & voluntatis humanæ ratio habeatur. Ecquis enim nesciat morales actus ex dispari hominum statu, conditione, affectu notitque varietate diversa varias item nominationes speciesque sortiri? Error igitur ille, *Christus non est verus Deus*, tametsi in quocumque cuiusque conditionis homine fidei repugnat, in Iudeo tamen infidelitas Iudaica est;

est ; in Pagano, paganica ; in Christiano, hæretica. Nisi adeo loquendi imperiti simus , ut eiusmodi erroris culpam in Pagano hæresim appellemus. Apud nos ergo, qui multas & discrepantes infidelitatis species ex vario hominum cultu ac professione distinguimus , nihil obstat, cur non illiusmodi & rerum, & vocum genera ab asserentibus pendeant. Quibus rebus expositis, facile, ut opinor , intelligitur, mala hæresim ratione finiri, quod sit error catholicæ veritati contrarius : quippe cum ista finitio una in omnes errores valeat, Iudæorum, Saracenorum, Paganorum, Hæreticorum. Sed hoc quidem sane luculenter, ut ab hominibus definiendi peritis a Theologis scholæ dictum est. Hæresim esse eius, qui fidem professus fuerit, pertinacem errorem, illi veritati manifeste contrarium, quæ catholica certo sit.

## CAPVT IX.

*Contra hæresis finitionem argumenta quedam.*

1. Arg. **A**T enim ut hæc definitio illustrior appareat, quibusdam argumentis exploranda est. Primum Christiana doctrina & institutum est hæresis, ut auctor est Philo in libello de vita theorica supplicum apud Eusebium, lib. hist. ecclesiast. 2. cap. 17. At non est error, sed ipsa potius catholica veritas, &c. Deinde, Apostata a fide & religione Christiana catholicæ veritati aperte repugnat, quam semel professus est, non tamen est hæreticus. Præterea, ex verbis inordinate prolatis, ut Hieronym. ait, incurritur hæresis : sine errore ergo & pertinacia hoc crimen invenitur. Præterea, dubius in fide, infidelis est, de hæret. cap. 1. si ergo antea erat Christianus, ex eiusmodi dubitatione efficietur hæreticus. Nihil enim est in genere, quin in aliqua eius generis specie constitutum sit. Quod si hæsitatio illa est hæresis, qui autem hæsitat suspensus & incertus animi pendet, nullique rei omnino assentitur, fit, ut hæresis sine errore aliquando sit. Nam error veritati repugnans assensionem habet. Adhæc Div. Thomas 1. part. quest. 3.2. art. 4. docet, quod opinari falsum circa ea, quæ sunt

sunt nobis principaliter ex fide tradita, hoc ipso inducit hæresim, maxime si pertinacia adiungatur. Sine pertinacia igitur hæresis esse potest. Id, quod ecclesiæ usus confirmat, quæ ex una actione adorandi idola, circumcidendive puerum, hominem quasi hæreticum iudicat, non iudicatura, si ad hæresim pertinacia, nimiaque illa in errore perduratio exigeretur. Adde, quod incredulitas & duritia cordis sine pertinacia esse non potest: discipuli ergo undecim, quorum incredulitatem & duritiam cordis Dominus increpavit, habuerunt in errore pertinaciam. At error circa resurrectionis articulum, quam Dominus ipse manifeste prædixerat, fidei catholicæ aperte erat contrarius: quare si finitio illa vera, & perfecta est, discipuli in hæresos crimen incurrere. Id si perabsurdum est, dicamus potius, in ea definitione & superesse quicquam, & etiam abesse.

f. Arg.

Hæc vero argumenta paucis quam fieri poterit, expedimus. Non enim hoc loco nos de hæresi institutionem suscipimus, quæ nisi longissima oratione nullo modo aboleretur: sed quasi prætereuntes breviter & circumscripse explicare volumus, quidnam proprie hæresis sit, unde quis sit hæreticus error eluceat, & quæ hæretica propositio: quam in voce, vel scripto erroris hæretici signum esse, nemo, qui vir doctus sit, ignorare potest.

Primum igitur, hæresis Græce, ab electione dicitur (1), ut auctor est Hieronymus in 5. cap. epist. ad Galat. & in cap. 3. epist. ad Titum. Isidorus lib. 8. etymolog. cap. 3. Divus Thom. 2. 2. quæst. 11. art. 1. & in 3. cap. epistol. ad Titum. Græcam vero hanc vocem Latinus novi Testamenti interpret interdum servat, quandoque in sectam vertit (2), ut ad Galatas 5. ubi editio nostra in carnis operibus sectas habet, Græca habet hæreses, & Actor. 28. Iudæi, cum Paulo inquirunt, Nam de secta hac notum est nobis, quod ubique ei contradicitur, hæresim Græce Lucas dixit. Secta igitur & hæresis eadem res sunt, sed ut secta a sectando, sic hæ-

(1) 24. quæst. 3. cap. hæresis.

(2) 1. Corinth. 11.

hæresis ab eligendo dicitur (3), ἀπὸ τοῦ ἀίρειναι, quod est, eligo. Deinde & illud animadvertendum, nomen hæreseos apud Græcos veteres & Latinos auctores generale esse, & unamquamlibet sectam designare, ut Platoniam, Stoicam, Peripateticam. At Christiani scriptores, contracto vocabulo, hæresim nuncupant sectam & divisionem, qua quis a communi se ecclesiæ fide seiungit, privatamque opinionem eligens a catholica institutione discedit. Præterea, & illud, licet sit in promptu & multorum sermone teratur, commemorandum est tamen, doctrinam evangelicam proprie neque hæresim, neque sectam appellandam. Tum quia eam non sequimur ex electione nostra, nec enim commentum, aut inventum nostrum est, sed habemus ex traditione divina, ut non nobis sic an aliter opinandi optio detur, sed Deum quacumque trahit, retrahitque sequamur. Tum etiam, quoniam evangelii doctrina semper catholica & universalis fuit, ad omnes æque pertinuit, omnesque eam omni tempore tenuerunt, qui de Deo & veritate recte sentirent. Cum ergo hæresis & secta privatam quandam disciplinam sonent, quam sibi unusquisque pro suo arbitrio & eligit & sequitur, nimirum catholica disciplina hominibus ad unum omnibus a Deo tradita, nec secta, nec hæresis vocanda est, quamlibet Philosophorum placita hæreses vocitentur. Auctores sunt Hieronymus in tertium caput epist. ad Tit. Isidorus 8. lib. etymolog. cap. 3. Theophylactus in 2. cap. epist. ad Coloss. Tertulianus in lib. de præscriptionibus hæreticorum. Quod igitur Philo nostram religionem hæresim dicit, neque in malam partem tamen, more illius ætatis facit. Sic enim fere ab hominibus appellabatur.

Resp. ad 2. At vero utrum apostasia hæresis sit, magna doctissimorum dissensione certatur. Sylvester in ver. hæresis 1. quæst. 2. affirmat, apostatam hæreticum proprie non esse. Sed in ver. apostata §. 1. & 2. secum ipse, ut videtur, pugnat. Caletan. 2. 2. quæst. 11. art. 1. docet, quod apostatæ vere hæ-

---

(3) Isidorus 8. etymol. Thomas. 2. 2. quæst. 11. artic. 1. ad tertium.

heretici sunt, quia licet non credant in Christum, ut ait, actu elicitio, profitentur tamen eum caractere Christiano. In hæresim itaque incidunt, cum descendant, a fide catholica, quam professione tenebant. At in summa in ver. apostata. videtur contra sentire, inquit, *Apostasia peior est hæresi, ut pote excedens ipsam, totaliter tollendo fidem.* Cardinalis Turrecremata in lib. 4. part. 2. cap. 13. aperte confirmat, apostatam hæreticum non esse. Quæ eadem sententia est D. Thom. 2. 2. quæst. 11. art. 1. & quæst. 12. artic. 1. ad 3. ubi expresse dicit, apostasiam non importare determinatam speciem infidelitatis, sed recipere speciem a termino, ad quem est motus recedentis a fide. Ac certe usu, & more loquendi sanctorum, hæreticus ille dumtaxat est, qui post professionem Christianæ fidei sub nomine Christiano doctrinæ Christi resistit, ut Augustinus inquit 18. de Civit. Dei, cap. 51. & 16. lib. cap. 2. tradit, quod Chan medius Noe filius, nec in primitiis Israelitarum, nec in plenitudine gentium tamquam se ab utroque discernens, & inter utrumque remanens typus hæreticorum fuit. Atque Origenes in tertium cap. epistol. ad Titum, *Hæreticus, inquit, est ille, qui Christo se credere profitetur, sed aliud de veritate Christiana fidei credit, quam habeat traditio definitionis ecclesiastica.* Et ne singulorum verba referendo prolixi & molesti simus, Ambrosius in 3. cap. epistol. ad Tit. Gregor. 5. moral. cap. 11. Beda in Luc. cap. 17. idem cum Divo Thoma & Augustino sentiunt, nec quisquam veterum in longissimis adversum Iulianum disputationibus, eum hæreticum, sed apostatam nominavit. Sed ne ratio quidem Divi Thomæ pessima est: is enim, qui totam Christi doctrinam reiicit, nihil videtur eligere, sed penitus a fide discedere. Item, *Apostasia motum quendam importat discedentis a fide: motus autem non habet speciem a termino a quo, sed a termino ad quem.* Cum ergo apostata ad Iudeorum superstitionem & errorem accedit Iudaicæ infidelitatis reus est: cum vero ad Paganismum, Paganicæ infidelitatis culpam contrahit. Quod fieret, ut Apostasia, si hæresis est, in duabus speciebus eiusdem proximi generis collocaretur. Rectus ergo Divus Thomas philosophatur, cum ait, apostasiam nullam determinatam speciem infidelitatis præ se ferre,

sed ad eam redigi & reduci, ad quam Apostata accessit. Nam ex eo quod recessit a Christiana fide, Apostasia speciem non habet, sed circumstantiam quandam aggravantem, iuxta illud (†), *Melius erat eis non cognoscere viam iustitia, quam post agnitionem retrorsum converti.* Quo magis eos miror, qui in contrariam sententiam verba D. Thomæ rationesque deflectunt. Sed eorum argumenta videamus.

Vnum est, quod hæreticus homo per multiplicationem hæresum, hæreticus esse desineret. Nam si in aliam & aliam hæresim quotidie laberetur, quousque totam prorsus desereret Catholicam fidem, iam ex hæretico per argumentum hæresum, priore nomine amisso, Apostata fieret. Alterum argumentum est, quod pœnæ in iure adversum hæreticos decretæ Apostatas etiam comprehendunt, id, quod non esset, si illi non essent hæretici, quum nulla lex canonica sit, quæ in huiusmodi Apostatas animadvertat, nisi in hæreticis contineantur. Postremum argumentum gravius est multo, quam cætera, quod Bonifacius octavus Apostatas hæreticos esse definierit in hæc verba (§), *Contra Christianos, qui ad ritum transierint Iudaorum, erit tanquam contra hereticos procedendum.*

Sed primum argumentum non est difficile eludere. Quamlibet enim hæreses cumulentur, si Christum homo ille generaliter profiteretur, & sub Christiano vocabulo eius fidem impugnat, hæreticus semper erit, Apostata non erit. At ubi primum, & Christi nomen & totam omnino religionem deserere instituerit, Apostata fit, & nomen hæreseos amittit, non per hæresim superioribus adiectam, sed per Apostasiam novam, quæ hæresis non est, sed maius aliquid hæresi. Quis autem dubitat, minora per maiora aboleri, & nominibus commutatis priora in posteriora transire? Dispositiones mutantur in habitus, & nomen dispositionis cessat. Scientia viatoris in scientiam comprehensoris vertitur, & scientia illa prior, fidesque & fidei nomen eluitur. Incontinens incontinentiis sæpius iteratis pravus efficitur, & nomen illud vetus evanescit, aut certe in gravius aliud permutatur.

Qua-

(†) 2. Petr. 1. (§) De heret. in 6.



Quapropter nihil est admirandum, si asserimus, hæreticum per Apostasiam, quæ novum crimen est ab hæresi separatum, multoque gravius crimen, quam hæresis, antiquum nomen amittere., & novum comparare: præsertim quum hæreticus apud veteres sanctos non ille appetus hostis sit, sed falsus propheta, qui venit in vestimentis ovium: leprosus item, qui dum rectis prava permiscet, colorem sanum maculis aspergit: Pharaonis magus, qui veritatis imaginem præ se ferens veritati resistit: fons denique & nubes sine aqua, arbor autumnalis, sydus errans, quæ omnia aquæ, fructus, lucis speciem obtendunt. Cum ergo hæretici nomen generalem quandam Christi professionem connotet, non est absurdum, si cum connotatio abest, absit quoque hæretici vocabulum. Quæmadmodum si quis cœnam ad sequentem diem variis poculis quam maxime possit, varioque item sermone produxerit, cœna iam illi mutato tempore in ientaculum, aut prandium etiam convertetur, nec proprie nomenclaturam priorem retinebit.

Secundum vero argumentum ita refellitur. Non est dubium, quin Apostatæ in pœnas hæreticorum incurrant. Id quod ab ineunte ecclesia perpetuo servatum est, quemadmodum ex Cypriani opusculis vel maxime liquet. Falluntur autem in ea re plurimi, quod omnes ecclesiæ leges a iuris voluminibus petendas esse existimant, in quæ vel Raymundus, vel Gratianus, vel quilibet alius decreta sane quamplura congressit. Hinc enim Caietanus noster præceptum ieiunii quadragesimalis, quoniam in decretis pontificiis, quæ passim circumferuntur, non apparet, vix potuit constituere, eodemque labore pene confusus est dum legem quæreret, qua clerici monasticam religionem professi ad divinas præscriptas preces exolvendum astringerentur. Multæ sunt, mihi crede, ecclesiæ leges, quas non scriptura, sed unus inseruit. Nec conciliorum atque pontificum scripta omnia iuris contritum volumen complectitur. Apostatarum ergo pœnas ante Bonifacium octavum mos ecclesiæ præscripserat. Sed quoniam quispiam dubitavit, illius dubitationem Pontifex in eo capite resolvit, definiens non aliter adversum Apostatas, quam contra hæreticos procedendum. Verum e pontificis verbis, &

diffinitione non habetur, Apostatas hæreticos esse. Nam illa particula *tanquam*, similitudinem rei aliquando, non semper veritatem affert. Cuius rei exempla non est opus in præsentia referre, quia in sacris & profanis literis obvia sunt plurima. At de hoc argumento, cum nominis etiam controversiam habeat, nimis multa dicta sunt.

Respon.  
ad 3.

Illud porro testimonium, quod Hieronymi nomine scholæ Theologi iurisque periti etiam terunt, Hieronymi non est, sed a magistro sentent. acceptum D. Thomas cæterique deinceps, ut solet, usurparunt. At, si illa Hieronymiana ad Damasum epistola de trium hypostaseon vocabulo accuratius relegatur, D. Hieronymus in ea potius sententia est, ut existimet, e sensu, non e verbis hæresin æstimandam. Ecquid enim aliud sibi vult, cum ita loquitur? *Ab Ariana-rym prasule & Campensibus trium hypostaseon novellum a me homine Romano nomen exigitur. Interrogamus, quid tres hypostases posse arbitrentur intelligi. Tres personas subsistentes aiunt. Respondemus, nos ita cedere. Non sufficit sensus, ipsum nomen cflagitant, quia nescio quid veneni in syllabis latet. Et quia vocabula non edicimus, hæretici indicantur.* Et multa alia posterius eiusmodi, e quibus intelligas, Hieronymum nihil sibi in recta & sana intelligentia a crimine hæresis timuisse, sed novam vocem, ubi venenum sub melle latere suspicabatur, reformidasse. Alioqui illud Hilarii Hieronymus legerat: De intelligentia hæresis, non de scriptura orta est; & sensus, non sermo fit crimen. Itaque ex verbis inordinate prolatis in hæresis suspicionem incurrere fortasse possumus: in hæresim, si error in fide absit, non possumus. Quam enim fides in intellectu sit, necesse est, intedditatem, cuius species est hæresis, in intellectu quoque esse. Item, veritati nihil contrarium est, nisi error: quum ergo hæresis fidei veritati adversetur, sine dubio est error. Sed quoniam interdum legislatores & iudices iuris fictione & præsumptione in foro exteriori crimina persequuntur, dicta factaque extenuant, quæ hæresim testari solent, & hæreses vocant, & pro hæresibus puniunt. Quemadmodum & in eos, qui foris deserunt fidem, opereve externo cultum idolo exhibent, quamvis ex metu id faciant, perinde animadvertunt, ac si interius a fide & religione descivissent. Sed *quod*  
ad

ad voces attinet, nihil moror. Nam sicut externa testatio & professio fidei interdum fides nuncupatur, ita etiam externa testatio hæresis eandem quoque nomenclaturam habet. Rerum quippe signa & imagines rerum sæpe nominibus appellantur. Quo modo proverbium illud vetus, atque laudatum, cui ego vix unquam sum assensus, verum est in sermone vulgari, *Ex verbis inordinate prolatis incurritur heresis*. At sermone proprio, ut diximus, hæresis apud Christianos error est eius, qui fidem Christi generaliter se habere profitetur, nec tamen veram habet. Sed enim de rebus ipsis eos, qui fidei & religionis iudicium exercent, admonendos putavi, ut non eodem modo dictorum ac factorum iudicia faciant. In factis sane, quæ ipsa per se tetra ac flagitiosa sunt, nihil est periculi, si ritu Iudaico circumcidentem, aut idolo dæmonive sacra facientem poenis hæreticorum multent. Tametsi non sum nescius, viris & Theologiæ & iuris peritissimis placuisse, id quod mihi ipsi non displicet, ut quoniam illiusmodi homines non sunt aut hæretici aut apostatae, nisi iuris fictione & præsumptione probabili, iudices fidei in ea ipsa quidem externa flagitia studiosè nimis ac diligenter inquirent, num re vera ex interiori infidelitate proficiscantur & prædeant. Quod si constiterit, non errore intellectus, sed cupiditate, metu, aut alia quavis animi perturbatione id genus scelera patrata perfectaque fuisse, tunc illa non tamquam hæreses, sed leviore animadversione punienda. Verum quum verba quantumcumque inordinate prolata sæpe a crimine hæreseos, nonnunquam etiam a crimine omnino vacent; in eorum sensu & mente investiganda adhibeat iudex licet diligentiam vel maximam: sed si in verbis perversis & iniquitatis recta sententia dicentis appareat, sanaque & munda fides, admonendus est homo, corripiendus; terrendus quoque, clementer tamen moderateque multandus. Interdum vero dissimulanter est vel tota poena mortalium inscitæ, & imbecillitati condonanda: cum liberior loquendi licentia hominum levissimorum, quamvis errorem non habeat, vehementer coercenda sit, ut quæ affrat' audientibus aliquando perniciem. At hæc, ut a presenti instituto aliena, quasi primoribus labris gustata dedimus. Quæ sequuntur, ea nostra sunt atque;

pus

pus & locum proprie pertinent. Quamobrem, ut breviter quidem illa, sed enodate explicentur, ingenii quantum potero, laboris plus pene, quam potero, adhibebo.

Respon.  
ad 4.

Controversantur ergo iurisperiti atque Theologi, an dubius in fide hæreticus sit: itemque similiter (eadem enim quæstio est) dubitare de unaqualibet catholica veritate an sit etiam hæresis. Nam esse, ratio illa posita primum videtur ostendere. Deinde & Augustini testimonium illud (6) *Errare est, verum putare quod falsum est, falsumque quod verum est, vel certum habere pro incerto, incertum vero pro certo, sive falsum sive verum sit.* At qui de una quavis fidei veritate dubitat, is habet certa pro incertis: errat ergo contra fidem: fides enim, ut Bernardus ait, ambiguum non habet: quod si habet, fides non est. Hæsitatio igitur illiusmodi error est cum fide pugnans. Quare si pertinaciam habeat adiunctam; proculdubio est hæresis. Præterea, concilium Viennense doctrinam omnem aut temere asserentem aut vertentem in dubium, quod substantia animæ rationalis non sit humani corporis forma, tamquam erroneam, ac veritati fidei catholicæ inimicam reprobat. Non igitur ille solum errat in fide, eique contrarius est, qui asserit propositionem hæreticam, sed etiam qui veritatem catholicam vertit in dubium. Quorsum insuper illud caput, *Dubius in fide infidelis est*, in titulo de hæreticis, cæteris omnino capitibus præponeretur, nisi ut intelligeremus, id genus homines & hæreticos hebendos esse, & tamquam hæreticos puniendos? Præterea, is qui dubitat, fidem amittit, alioquin non esset infidelis: at fides in baptismo suscepta nisi per hæresim non amittitur. Adde, quod de ratione fidei est constans & certa firmitudo, vacillatio autem & dubitatio pertinax fidei corrumpit firmitudinem: est ergo fidei saltem indirecte contraria, atque adeo est hæresis. Ea enim re error adversus Theologicæ conclusioni hæresis est, quia fidei est indirecte corruptor. His argumentis utuntur illi, qui dubiam in fide, si est in dubitando pertinax, hære-

(6) In Enchir. cap. 17. & 19.

ticum censeat (7). Nam si ex infirmitate, non ex pertinacia vacillat & claudicat, omnium una sententia est, hunc hæreticum non esse, *Modica*, inquit (8), *fidei, quare dubitasti?* Dubitatio igitur hominis infirmi non funditus tollit fidem, quam in imbecillo modicam ait Dominus esse, non nullam. Alii vero auctores etiam ipsi eruditissimi contra sentiunt, dubitationem in fide, fidei quidem opponi privative, non contrarie: hæresim autem fidei esse contrariam positive, sic enim scholastici loquuntur: itaque dubitationem non proprie esse hæresim; etiam si homo prudens vidensque dubitaverit. Quam opinionem multis & ipsi argumentis persuadere conantur. Primum est D. Thomæ testimonium prioris ad Corinth. 11. lect. 4. ubi docet, de ratione hæresis esse, ut quis private disciplinæ pertinaciter inhæreat. Nam electio, ut ait, firmam importat inhæSIONEM: unde colligit, hæreticum non esse, nisi qui spernit disciplinam fidei divinitus traditam & pertinaciter proprium errorem sectatur. Quæ eadem sententia Hieronymi est in cap. quintum epist. ad Galatas, & in cap. tertium epist. ad Titum, inquentis (9). *Hæresis ab electione dicitur, quod scilicet, eam hæreticus sibi eligat disciplinam, quam putat esse meliorem.* Atque Augustinus lib. de utilit. creden. ad Honorat. cap. 1. *Hæreticus*, inquit (10), *est, qui falsas opiniones vel gignit, vel sequitur.* At qui dubitat, hic neque habet firmam inhæSIONEM, nec alterutram quæstionis partem eligit, nec opinionem falsam aut gignit, aut sequitur: non est igitur hæreticus. Rursum, hæresis contrarie opponitur fidei, & non per negationem aut privationem: at dubitatio, cum non habeat, assensum nec dissensum, non adversatur fidei contrarie: nam fides assensum præ se fert. Dubitatio igitur non est hæresis. Præterea, hæresis error est

ca-

(7) *Adrian. quotlib. 2. Gab. 3. dist. 23. quæst. 2. Archiep. Florent. 3. part. tit. 23. cop. fin. Ioann. And. & Panor. super primum cap. de hæres. August. de Ambo. in lib. de potest. eccles. Vide Turrecrem. lib. 4. part. 2. cap. 12. (8) Matth. 14.*

(9) 24. quæst. 3. cap. hæresis (10) 24. quæst. 3. cap. *Hæreticus.*

catholicæ veritati contrarius : error autem assensus est ; vel dissensus falsus : cum ergo hesitatio , nec assensus , nec dissensus sit , ne hæresis quidem est. Ad hæc , dubitatio medium quoddam est inter duas extremas controversantium partes , fides vero & hæresis duo sunt extrema summe maximeque pugnancia : dubitatio igitur , quæ inter dogma hæreticum & veritatem catholicam intermedia est , non est hæresis , sed illius particeps atque vicina. En causæ , quibus auctores sane nobiles moveri solent , ut isto modo opinentur.

Nec argumenta eos adversariorum urgent , quominus in sua sententia persistent. Etenim cum primum illis obicitur , dubium in fide infidelem esse , hoc ita repellunt. Infidelitas , inquit , tripliciter accipit potest : uno modo secundum puram & simplicem negationem , ut dicatur quis infidelis ex hoc solo , quod non habet fidem : & hoc modo , ut dicit sanctus Thomas 2. 2. quæst. 10. art. 1. in his , qui nihil audiverunt de fide , non habet rationem culpæ , sed magis pœnæ. Secundo capitur infidelitas secundum contrarietatem ad fidem , qua scilicet aliquis repugnat auditæ fidei , vel etiam contemnit ipsam , & in hoc proprie , ut eodem loco Divus Thomas affirmat , ratio infidelitatis perficitur. Tertius modus infidelitatis est medius inter duos modos prædictos , & est fluctuatio quædam inter duas partes , nec uni nec alteri adhaerendo , quomodo Stephanus Papa loquitur in illo capite primo de hæreticis. Tres vero infidelitatis species eius esse intelliguntur , quæ proprie fidei contraria est , hoc est , non primo aut tertio modo , sed secundo.

Errare autem eos , qui certa pro incertis habent , ita demum esse interpretantur , si aut affirmant , incerta esse illa , quæ certa sunt , aut negent etiam esse certa. Error enim est propositio falsa , verbo sive affirmato sive negato. Qui vero nihil vel affirmat , vel negat , hunc proprie non errare : nisi forte is etiam errare dicitur , qui scopum non attingit , quum sagittam quidem non iecerit , collineaturus tamen si iecisset. In quem sensum peccatores in universum errant , non vi modo , qui operantur malum , verum etiam illi , qui non faciunt bonum. Sed hoc improprium est. Alioqui , ut ad propositum revertamur , si propterea quod fidem certam esse

opor-

oportet, quisquis incertus est, errorem habet: qui opinatur Christum esse Deum, hic quoque proprie & errabit & erit hæreticus, nempe cum non habeat firmitudinem eam, quam veritas fidei requirit. Sicut enim dubitatio fidem pellit, ita etiam opinatio. Formido namque opinioni coniuncta, perinde certo fidei assensui repugnat, ut illa dubitantis ambiguitas. At, estne quisquam tanto ductus errore, ut veram opinionem esse errorem existimet, quia cum certo assensu, quem fides exigit, simul esse non potest? Qui igitur habebit certa pro incertis, nihil aut asserendo aut inficiando, sed quia pendens animi nec veritatem catholicam, nec dogma contrarium eligit, is fictione iuris hæreticus forte erit, vocis certe proprietate non erit; cum non sit contrarie & positive infidelis; quamquam est infidelis negative, aut etiam privative, eo quod fides sine ullo errore, & abiecta omni formidine & cunctatione vera esse intelligitur: si autem formidinem, aut cunctationem habet, fides non est.

Quod vero ex concilio Viennensi testimonium excitatur, non modo non est contra hos, sed maxime horum causam opinionemque confirmat. Cum enim doctrinam omnem sive asserentem sive vertentem in dubium, quod substantia animæ rationalis humani corporis non sit forma, tamquam erroneam, ac fidei catholice inimicam synodus reprobasset, ne quisquam putaret, dubium, atque assertionem eodem gradu & loco habendum esse, subiungit. *Definientes, quod quisquis deinceps asserere, defendere, seu tenere pertinaciter presumpserit, quod anima rationalis non sit forma corporis humani, tamquam hæreticus sit condemnatus.* In quibus verbis perspicuum est, eos, qui eam rem in dubium verterent, non esse a concilio tamquam hæreticos condemnatos, sed eos tantummodo, qui eius rei contrarium pertinaciter assererent. Nec enim sine causa existimandum concilium est eos, qui in dubium verterent, prætermisisse. Doctrina igitur ea, quæ in dubium vocat catholicas veritates, inimica est fidei christianæ, non consummate & absolute, sed imperfecte & inchoate: nam & suo quodam modo colores medii albo iniuncti & contrarii sunt, & non solum color ater extremus. Qua ex re satis intelligitur, hæsitacionem meram sine assensu, atque dissensu, neque errorem pro-

prie esse, neque fidei omni ex parte inimicam.

Iam, quod caput illud, *Dubius in fide infidelis est*, ante cætera ponitur in eo titulo, qui de hæreticis inscriptus est, non probat, dubium in fide hæreticum vere esse, sed iuris fictione esse. Id quod secundum eius tituli caput ostendit, *Qui alios*, inquit Leo, *eum potest, ab errore non revocat: scipsum errare demonstrat*. Atqui hæreticis favent, & in eorum errore connivent affectu illicito, non errante intellectu, hi iuris quidem suspitione hæretici sunt, vere autem & proprie non sunt, *Error Innocentius aie* (11), *cui non resistitur, approbatur, & veritas quum minime defensatur, opprimitur*. Quid ita? nec enim careret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori desinit obviare. Et Gregorius, *Consentire*, inquit (12), *videtur erranti, qui ad resecanda, que corrigi debent, non occurrit*. Nec Stephanus Papa, cuius decretum illud esse dicitur, aliter se ipse interpretatur. Nempe, docere volebat, quibusnam testibus fides habenda sit, & inter cæteros eos a testimoniorum fide rejicit, qui aut fidem veritatis ignorant, aut dubii nimirum in fide sunt. Hos enim Pontifex iure & infideles esse sumit, & in testimoniis ferendis mendaces. Quocirca primum illud caput non eo forsitan spectat, ut ex illius sententia homines hæretici indicentur, sed eo potius, ut fide iudices intelligant, quosnam sint in causa fides testes legitimos habituri. Absurdum enim esset, ut infideles de fide adversum Christianos testificentur, sive infideles veritatis ignoracione, aut dubitatione sint, seu multoque etiam magis errore contrario.

At eum, qui non infirmitate, sed pertinacia dubitat, fidei habitum amittere, mihi vehementer probabile est. Nam actum fidei omnis vel pertinax, vel imbecilla dubitatio tollit, qui quidem ambiguum non habet, & si habet, actus fidei non est. Fidem vero in baptismo susceptam non nisi per hæresim perdi, huius opinionis auctores facile negant. Colorem namque album non modo ater expellit, sed vilvus etiam & glaucus, ac cæteri omnino intermedii. Fides item non solum infidelitate excluditur, sed clara etiam visione. Quum enim

(11) 83. dist. cap. error. (12) Eadem dist. cap. consentire.



enim venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est. Nihil igitur obstat, quin & per hæresim perfecte contrariam, & per dubitationem & opinionem, quæ ex parte fidei adversæ sunt, fides ipsa tollatur.

Enimvero, quod postremo loco argumentum additur, facillimum est. Error quippe Theologiæ contrarius cum & assensum falsum habeat, & in falsitate contumaciam, indirecte licet, undique tamen fidei adversus est, tum ex intellectu, tum ex voluntate. Dubitatio autem pertinax ex voluntate quidem fidei perfecte adversatur, ex intellectu non item, ut qui, quandiu dubitat, errorem assensionemque non habeat. Quæ ex parte rationem contrarii claudicare, qui aut admiratur, aut ambigit, is se, qui sit vir doctus nescire fateatur. Cum ergo hæresis non ex parte, sed undique fidei contraria sit, efficitur, dubitationem hæresim proprie non esse, quantumvis dubitatio sit pertinax.

Quid ergo? sat in hoc est, ut de fidei veritate pertinaciter dubitantes non esse hæretici videantur? mihi quidem non videtur: quamquam alteram earum opinionum metaphysicus probo, alteram philosophus moralis non reprobo. Ad normam siquidem metaphysicæ, legesque contrariorum a dialecticis physicisque præscriptas dubitatio neque speciem habet, neque formam. Nihil enim affert, nihil ponit, quod aut res sit, aut formæ rationem habeat. Constat autem, quæ proprie contraria sunt, ea duas formas esse maxime repugnantes. Quo modo satis evincitur, dubitationem nec esse hæresim, nec fidei esse contrariam. At si philosophiæ moralis sequimur leges, quæ in id spectat, quod frequentissimum est, tum vero hominem pertinaciter de veritate catholica dubitantem, eundem nullum omnino errorem habere fidei vere contrarium, prorsus incredibile est. Quod enim quispiam vel de conclusione aliqui, vel de uno etiam quolibet Theologiæ principio ambigat, nihil est admirandum. Quod autem non conclusiones modo in ecclesia certas, verumetiam omnia catholicæ doctrinæ prima principia in dubium vertat, nulli assentiantur, nulli repugnet, nequaquam verisimile sit: nisi velimus hominem quempiam fingere hærentem ad omnia, & nutantem, cui universarum rerum infinita quæstio sit,

& nullo loco constans, & fixa veritas. Verum pone hominem eiusmodi reperiri, qui ancipiti semper gradu pendeat; num, si Christum generaliter profiteatur, Christi etiam doctrinam in generali probat? fac ergo eum scripturas sacras admittere, aut certe ecclesie auctoritatem. Cum ergo is dubitaverit de uno quolibet dogmate, quod in scripturis invenitur, vel ab ecclesia definitum est, si illi ostendas aut ecclesie definitionem, aut scripturae apertum dogma, necesse est illum aut dubium abiicere, aut credere ecclesie scripturaeque testimonia incerta esse. Nam si certa illi sunt, omnem hasitationem pellent: Merito igitur ecclesiastici iudices & theologorum & iuris peritorum auctoritate confirmati, eos omnes haereseos nomine condemnant, qui de dogmate catholico pertinaciter dubitarint. Sed nunc quid pertinacia sit, ea quae vel maxime haereticum perficit, quam brevissime explicandum est.

Ad 5. argum. & huius confirmationes in quibus id vel maxime quaerebatur, quidnam pertinacia sit, & an sine illa haeresis esse possit.

Quod autem haeresis esse sine pertinacia nequeat (nam id primum quaeritur) non est difficile ostendere, tum communi omnium & theologorum & iuris peritorum consensione, tum gravissimis veterum testimoniis, in quibus illa praecleara sunt, quae ex Augustino referuntur (13), 24. quaest. 3. cap. Dixit Apostolus, & cap. Qui in ecclesia. Idem colligitur ex cap. Damianus, de summa Trinitate: non enim tamquam haereticus condemnatur, nisi qui doctrinam fidei contrariam defendere praesumpserit: praesumptio autem (sic enim vulgus arrogantiam appellat) radix est pertinaciae. Et cap. unit. de summa Trinit. in 6. Illi censentur haeretici, qui praesumpserint aut temerario ausu asseruerint, &c. Et in Clement. de summa Trinitate apertius. Quisquis asserere pertinaciter praesumpserit, &c. De quoque Thom. tantum abest, ut ab haesententia alienus sit, ut non modo arbitretur, haesim sine pertinacia reperiri non posse, sed etiam contendat, eam in haereseos ratione includi (14). Quam rem suadet in primis ex nominis origine: nam ut explicatum est, haereseos Graece ab

(13) In epistol. ad Glor. & Eleusin. & de Civit. Dei lib. 18. cap. 51. & contra Man. (14) 2. 2. quaest. 2. 6. 2. & quasi. II. 2. 3. & I. Corinth. II. lect. 4.

ab electione dicitur. Non est ergo hæreticus, nisi qui videns & prudens doctrinam eligit fidei contrariam: id quod sine pertinacia non fit. Vtitur deinde illo apostoli testimonio (15). *Si quis aliter docet, & non acquiescit sanis sermonibus Domini nostri Iesu Christi, & ei, quæ secundum pietatem est, doctrina.* Qui ergo ecclesie doctrinæ resistit, atque ideo est pertinax, is dumtaxat hæreticus habendus est. Præterea, hæresis, ut supra quoque diximus, fidei catholicæ maxime ac summe repugnat: non est autem perfecta fides, nisi intellectus assensio vera voluntatis recta consensione firmetur. Igitur nec hæresis absoluta & consummata est, nisi falsum intellectus erorem prava voluntatis electio confirmet, ut quemadmodum in fide constantia veritatis exigitur, ita in hæresi contraria insit pertinacia falsitatis. Sed bene habet, quod in hac re asserenda nullum adversarium habemus. Quæ propter etiam si rationes nec probabiles essent, nec satis idoneæ ad faciendam fidem: communi tamen omnium sensu ea finitionis particula comprobaretur. Non enim arbitratur hominem quempiam hæreticum esse, quin idem in errore sit pertinax.

At quid pertinacia sit, a multis quidem ad dubitatum est, a paucis vero expeditum. Sive autem dicatur pertinax, quasi nimium tenax, seu plus etiam, quam decet animo pertendens, (hæc enim minutula nimisque depicta libentius omitto) perspicuum est tamen, eum nunc vocari pertinacem; qui valde nimisque etiam in errore permanet, falsamque sententiam mordicus tenet, arcteque defendit. Ita a quibusdam definitur hoc modo, *Pertinax est, qui id tenere pertendit, quod debet dimittere.* Cui finitioni illa vel finitima vel certe eadem, *Pertinax est, qui in errore persistit, quem deserere tenetur.* Facillime dicuntur hæc, quis dubitat? Sed si ea pertinacia explicata est, quæ errori adiuncta facit hæreticum, plures sane in hæreticis habebuntur, qui hæretici non sunt. Primum enim, si error eorum tra fidem sit, illum fugere, ac declinare debeo, sive fidei contrarium esse videam, sive etiam ignorem. Errant quippe  
illi

illi vehementer, qui ignorationem existimant obligant li-  
 vim a præceptis auferre. Non id, mihi crede, ignoratio ef-  
 ficat, ut obligatione solvamur, sed ne res alias vetita nobis  
 impingatur ad culpam. Omnis igitur homo, etiam si in ig-  
 noratione versetur, errores fidei contrarios simpliciter &  
 absolute evitare debet, si eos nondum habet, & si habet,  
 destituere. Itaque si in eis perstat vel ignorans, id nimirum  
 tenet, quod dimittere tenebatur. Verum isthæc missa fa-  
 ciamus, quæ tenuius disseruntur, quam ut quivis ea possit ag-  
 noscere, & ea persequamur, quæ facile vel imperiti com-  
 prehendent. Enimvero, cum homo imperitus vel ab epis-  
 copo suo est admonitus, vel a fidei iudicibus, vel a Theo-  
 logis insignis cuiuspiam academix, vel ab amicis etiam eru-  
 ditis & piis; si adhuc errorem non deserit, in eo nimirum  
 perstat, quod debet dimittere. Est ergo vere pertinax, si in  
 verbi eius definitione neque abest quicquam, nec redundat.  
 Nihil igitur deerit, quod ad hæresim constituendam est  
 necessarium. Habet enim homo ille errorem fidei contra-  
 rium, in quo etiam est pertinax. At minime ambigitur, eius-  
 modi hominem, tametsi omnino peccat, hæreticum tamen  
 non esse, si non existimat, sententiam suam ecclesix esse  
 contrariam, sed aut episcopum, aut inquisitores (sic vulgo  
 appellantur) aut Theologos academix falli. Quocirca nondum  
 videtur ex iis, quæ dicta sunt, pertinacia illa innotescere,  
 qua hæresis constituitur. Sed ne hanc rem quidem ea perti-  
 nacix insignia patefaciunt, quæ ut ederent, plurimi sine  
 causa sudarunt. Nam rei huius quosdam notas septem, alios  
 duodecim, alios etiam viginti edidisse pervulgatum est  
 (16). Et cum signa, ex illis quedam dubia sint, potest ac-  
 cidere, ut aliquod signum dubie datum pro certo a fidei  
 iudicibus sit acceptum: ita fiet, ut pertinax is & hæreticus  
 iudicetur, qui hæreticus vere non est. Sed quoniam aliter  
 iurisperiti, aliter Theologi hæc & similia tractant: iuris-  
 periti quatenus tenere manu res possunt, Theologi quate-  
 nus ratione & intelligentia: exponamus primum ad Theolo-  
 go-

---

(16) *Gloss. in extravag. Cum inter nonnullos. Io. ann. Gerson*  
 1. part. alphab. tom. 14. Turrecrem. lib. 4. part. 2. cap. 16.

gorum leges, quænam ea pertinacia sit, quæ hæresim perficit: deinde, si fieri potest, iuris quoque prudentibus pertinaciæ huius signa notasque tradamus, non illas tam multas, tam varias, tam ambiguas, sed perpaucas, fixas, atque constantes.

Ratio igitur hoc Theologiæ postulat, ut pertinacia, quæ hæresim facit, non sit temporis diuturnitate æstimanda: ut scilicet ille sit pertinax, qui diu in errore persistit. Certe si constaret, quod una solum hora quispiam, Deum non esse trinum, ex animo defendisset, is hæreticus ab ecclesia iudicaretur; quæ ex uno actu quantumvis brevi vel adorandi idola, vel puerum circumcidendi, solet homines, tamquam si essent heretici, iudicare: nequaquam iudicatura, si crimen hæreseos diuturnum longumque illud tempus exigeret. Rursum, si quis sciens prudensque totam fidem abnegarit, quamvis brevissimam moram interposuerit, apostata vere & iure ab ecclesia censebitur: ergo & ille hæreticus iudicabitur, qui manifesto fidei articulo repugnauerit, etiamsi repugnantia illa diutina & longinqua non fuerit. Præterea ut fidei actus omnibus suis numeri expletus sit, temporis longinquitas nulla est necessaria: ergo nec hærescos aduersa actio diuturnitatem sibi erroris vendicat & requirit.

Illud rursus ratio Theologiæ docet, hæreticum eum esse, qui volens unicuique dogmati assentitur, tum etiam cum intelligit ecclesiæ fidei esse contrarium. Vt si quis postea quam illi constat rem, quam credit, vel sacris literis vel ecclesiæ apertæ definitioni refragari, sui adhuc iuris sententiæque sit: hæc scilicet, vera hæresis est; atque in sua specie perfecta. Id quod egregio argumento Caietanus demonstravit (17). Fides enim assensu intellectus perficitur; ex consensione voluntatis in eo, qui rem, quam credit, cognoscit esse catholicam veritatem: ergo & infidelitas dissensu intellectus perficitur ex consensione voluntatis; in eo, qui rem, cui assentit, cognoscit esse contra ecclesiæ communem fidem. Contrariorum enim contrarias oportet esse notiones. Confirmat autem hoc vel maxime præclarum illud

Prima. 5.  
arg. confirm.  
refertur.

Qualis ne sit ea pertinacia, quam hæresis exigit.

lud Augustini testimonium iniquientis (18). *Constituamus aliquem id sentire de Christo, quod Phorinus opinatus est, existimantem ipsam esse catholicam fidem. Istum nondum hæreticum dico, nisi manifesta sibi doctrina catholica fidei resistere maluerit, & illud, quod tenebat elegerit.* Præterea, qui sic tenet errorem fidei contrarium, ut non sit paratus ab ecclesia corrigi, sine dubio est hæreticus, ut Augustinus idem in epistola ad Glorium & Eleusium affirmat (19). Sed qui videt suam opinionem adversam esse catholicæ fidei, & adhuc in ea permanet, hic non est paratus ab ecclesia corrigi, cuius videlicet auctoritatem reiicit & contemnit: verum igitur criminem hæreseos admittit. Quæ ex re intelligitur, pertinaciam eam, quæ hæreticum facit, semper solumque in eo inveniri, qui dogma aliquod tenere pergit, cui cognoscit catholicam sententiam adversari. Id vero nominis ipsa quoque notio declarat. Pertinax quippe is dicitur, qui plus nimio in propria sententia hæret. At qui opinionem suam intelligit communi ecclesiæ sensui & fidei repugnare, atque in ea perstat nimis, profecto ille in privata sententia perseverat: vere igitur est pertinax: imo hæc sola consummata pertinacia est, quæ adulate cum fidei constantia pugnat, atque inde sola ea simpliciter hæresim conficit. Nam quemadmodum, ut paulo ante dictum est, fides ea electione perficitur, ubi is, qui vult veritati assentiri, intelligit illam esse catholicam veritatem: sic & hæresis contraria omnino electione consummabitur eius, qui adversante catholica fide, propriam sententiam videns, volensque complectitur. Ecquis enim eo pertinacior esse potest, quam de suscepta causa propositaque sententia nulla ecclesiæ vis, nulla catholicorum depellit auctoritas? Præclare itaque Hieronymum interpretatur, hæreticum idcirco subversum esse, & proprio iudicio condemnatum, quia suo arbitrio ab ecclesiæ institutione descessit, quæ discessio propriæ conscientie videtur esse damnatio.

Quibus rebus positis, illa consecraria sunt. Primum, si dog-

(18) Lib. 4. *cont. Donatist.* cap. 6. (19) 24. *quest.* 3. cap. dixit apostolus.

dogma aliquod nondum est certum & expeditum ad catholicam fidem attingere, quamvis plerique viri docti existiment, a Deo esse revelatum, peccat ille quidem graviter, qui cum eo dogmate pugnat, estque item pertinax, qui plurimorum & doctissimorum auctoritatem contemnit, eamque obstinatione quadam sententiæ repudiat: sed non est hæreticus, quoniam pertinacia illa tametsi impudens & vitiosa est, non tamen in ecclesiam tendit, sed in viros illos eruditos ac pios, quos ille arroganter despicit, ac pro nihilo putat.

Illud deinde cōsecrarium est. Si certum exploratumque sit, dogma unum quodlibet fidei veritatem esse, qui ignoraverit eiusmodi dogma ad fidem spectare catholicam, & quamvis admonitus ab episcopo, ab hisque rursum, quibus fidei cognitio concessa est, a viris demum doctis & piis placitum suum præfracte nimis obstinateque defenderit: hic temerarius, contumax, præceps, insolens, sapiens hæresim, & quibusque huius generis nominibus notari poterit: nec tamen etiamnum notam hæreseos habebit, quia (dicendum est enim sæpius) pertinacia eius nondum cum fidei veritate & ecclesiæ auctoritate pugnat, sed cum eorum sententia, qui & fallere & falli possunt. Recte igitur D. Thomas asseruit (20), eum qui paratus est corrigi secundum ecclesiæ determinationem, hæreticum non esse, quia non ex malitia errat, sed ex ignorantia. Quod de crassa etiam ignorantia dictum accipio: nam quæ affectata est, hæc non tollit, quin peccatum sit eiusmodi, cuiusmodi esset, si a sciente & vidente committeretur. Neimpe affectatus error ex electione est, nec paratus est ille corrigi, qui de industria commonitionem ecclesiæ doctrinamque declinat. At, qui ex ignorantia non affectata errat, hic quodammodo invitus est & repugnans, non libens & voluntarius. Quocirca nec errorem eligit, nec gravate feret, quam ab ecclesia corrigetur, errorem suum ipse corrigere.

Verum nostris hisce documentis illud in primis obiicitur, quod error iste ignorantie vitiosæ mortale peccatum est, præsertim post admonitionem episcopi docti, prudentum iudicum,

*Tom. II.*

*Dd*

*Theo-*

## 2 IO DE LOCOR. VSV IN SCHOL. DISP.

Theologorum sapientium. Peccatum autem mortale hoc non nisi sub infidelitatis genere continetur. Tres vero solum esse infidelitatis species, Divus Thomas definiuit. Cum ergo crimen eiusmodi nec paganismus, nec iudaismus sit, erit profecto hæresis. Adde, quod si quis ex ignorantia vitiosa, & supina hominem occideret, vere & proprie homicida esset, in easque pœnas incurreret, quæ fuerint homicidis a iure præscriptæ. Eadem vero causa subest in eis, qui manus violentè clericis attulerint, atque in cæteris omnino sacrilegis. Qui igitur ex ignorantia crassa post susceptum Christi baptismum errorem habuerit fidei contrarium, is vere erit hæreticus. Actus enim, qui ex huiusmodi ignorantia proficiscitur, simpliciter & absolute & volentis est & consentientis: poterit ergo excusari quidem ne tam gravis culpa sit, non autem ut hærescos culpa non sit, & eius omnino generis, cuius esset, si a non ignaro proficisceretur. Adde etiam Divi Thomæ testimonium (21) in hæc verba, *Ab errore circa articulos fidei non possunt aliqui propter simplicitatem excusari, quin sint hæretici, præsertim quantum ad ea, quæ ecclesia solemnizat, & quæ communiter versantur in ore fidelium. Sed circa alia, quæ indirectè pertinent ad fidei disciplinam, ut quod Isaac fuit filius Abrahe, non indicatur aliquis hæreticus, nisi ab errore non recedat, etiam viso quid ex eo sequatur.* Hactenus ille. Quæ verba adeo aperte cum hac nostra doctrina pugnare videntur, ut non sit necesse argumentari. Sed & Chrysostomus (22) videtur quoque nobis adversari, qui illum Pauli locum (23), *Cum modestia corripientem eos, qui resistunt veritati*, &c. de eis accipit, qui non adversandi affectu, sed studio discendæ veritatis veritati resistunt. At Paulus de hæreticis loquebatur, quos alio loco (24) semel atque iterum commonefaciendos esse corripiendosque præcepit, sed post unam & alteram correptionem devitandos.

Respon.  
objectis  
argum.

Quibus argumentis breviter ita respondeo. Diximus supra dupliciter aliquod peccatum in genere & specie collocari: uno modo formaliter & directè; altero modo materialiter & reductivè. Dent mihi Latini veniam precor, si verba minus Latina

(21) 1. Corinth. II. lect. 4. (22) Hom. 6. in epist. ad Titum. (23) 2. Tim. 2. (24) Tit. 3.



tina usurparim. Sic a dialecticis accepimus, materiam in prædicamento substantiæ poni, punctum in genere quantitatis, embrionem in eius specie animantis, cuius gratia a natura paratur; poni, inquam, non per se proprie quidem, sed per accidens & quasi improprie. In moribus itidem quedam peccata sunt in sua specie perfecta, quæ videntes & scientes de industria committunt, & ea proprie, per se & formaliter in sua quoque specie reponuntur. Alia vero imperfecta sunt, quæ præter intentionem ignorantes admittunt, & eiusmodi ad speciem & genus per accidens reducuntur. Error igitur ille catholicæ veritati contrarius, quando in vitio ignorantia est, ad speciem hæresis referetur, nec tamen hæresis perfecta erit, nec perfecta infidelitas, quæ ut ante dictum est, in tres species a Divo Thoma distinguitur. Prima itaque obiectio minimo negotio pellitur. Illa altera difficilior est, ubi quaeritur, cur qui hominem ignorans perimit, vere homicida est, atque adeo pœnas homicidii contrahit, si eius ignorantia est in vitio; is autem, qui contra fidem errat post fidem in baptismo susceptam, nec crimen hæreseos vere patrat, nec in pœnas hæreticorum incidit. Quæ sane quaestio ita solvitur. Non est hæreticus nec Theologorum nec iurisperitorum usu, qui in hæresim illam imperfectam incurrit, nec hæresis illa imperfecta in frequenti vulgatoque sermone simpliciter & absolute hæresis est; sed ille tantummodo hæreticus dicitur, qui formaliter & ex electione, quasi dedita opera, cum communi fide pugnat. Quare nisi a perfecta & consummata hæresi nullum hæreticum nominavimus, si frequentem eundemque proprium huius ~~usum~~ vocabuli volumus conservare. Eam rem quoniam tum ex nominis origine & notione, tum ex veterum testimoniis, tum ex communi omnium sensu paulo ante ostendebamus, nihil est necesse acta agere. Hinc illud est (25), *Excommunicamus omnem hæresim extollentem se adversus catholicam fidem*. Non errorem, ait, extollentem se adversus episcopum, non adversum inquisitores, non adversum Theologos aut Parisienses, aut Salmanticenses, aut Complutenses, aut Bononiense, sed adversus ca-

Ad 2. arg

Dd 2

tho-

(25) De hæret. cap. Excommunicamus.

tholicam fidem. Hinc etiam illud (26). *Non acquiescit sanis sermonibus Domini nostri Iesu Christi, & ei, quæ secundum pietatem est, doctrina.* Non dixit sanis sermonibus episcopi sui, non eorum, qui de fide inquirunt, non Theologorum etiam multorum, sed *Domini nostri*, &c. Quod si vel in divinis libris, vel in ecclesiæ doctrina non acquiescit, hæreticus est: quamvis non sit nec ab amicis, nec a Theologis, nec a fidei iudicibus admonitus. Contra vero, si horum omnium repudiatis & monitis & præceptis, sermones tamen Dei & ecclesiæ non industria repudiat, sed ignorantia, hæreticus non est. Nec vero eadem causæ subsunt, ut cætera vitia, cum ex ignorantia crassa, supinaque prodierint, & nomen & speciem amittant. Non enim homicida is solum dicitur, qui hominera data opera occidit, sed qui iniuste occidit, quamvis animi perturbatione aut, etiam imprudens id fecerit. Atque item similiter in reliquis.

Iam Divus Thomas vel prudenter fidei iudices admonet, idque illis præcipit, quod non suspicari modo, sed sumere etiam atque existimare debent, vel non putat ea, quæ in omnium catholicorum ore versantur, ab ullo omnino fidei ignorari posse, nisi qui errorem affectaverit: vel de hæresi imperfecta intelligit, quæ nec pertinaciam requirit, nec absolute & simpliciter hæreticum facit, sed quodam modo. Atque hoc responsum idem illa etiam verba recipiunt, quæ ex 1. part. supra scripsimus.

At Chrysostomus a nobis stat, non contra nos. Qui enim non studio certandi, sed discendæ veritatis doctrinæ resistit, cum doceri paratus sit, eum nec Chrysost. nec alius quisquam hæreticum proprie vocaverit. Et illos tamen, de quibus Paulus Timotheo sermonem faciebat, grave peccatum peccavisse, verti in questionem non potest. Invenitur ergo, Chrysostomo auctore, error fidei contrarius, qui tametsi in vitio est, non tamen est hæresis: quia non est malitiosus error, sed ignorantis. Quod si Chrysostomi interpretationem sequimur, non erat Paulo de hæreticis sermo, qui, quoniam obstinate

pug-

pugnaces sunt, non sunt admonendi, sed vitandi. Quem sensum iudices fidei videntur sequi, cum in universum iubent, hæreticos vel omnia fraterna correctione denunciari. Quod utique præceptum vulgo datum prudentia plenissimum est, quanquam non omnium hæreticorum aures, ut quidam falso putant, ita clausæ sunt veritati, ut ab amico præsertim docto & sapienti verum audire non queant. Hanc spem, fateor, de amicis hæreticis non sunt passim indocti habituri, paucorum erit ista fiducia, eaque prudentissimorum, sapientissimorum, coniunctissimorum, qui & prudenter intelligant, quorum non sit desperanda salus, & sapienter amiceque possint suos ad fidem ecclesiæ revocare. De quibus non valde obfirmatis, Paulum quoque ad Timoth. loqui haud absurde intelligimus (27). Nolo autem, ut quisquam quamvis doctus & amicus hac periculosissima ætate, ubi hæretici obfirmatissimi sunt vel plerique, vel omnes, fraterna correptione abutatur, nisi firmiter & certo existimaverit, hæreticum esse ex animo convertendum. Non enim propter coniecturas, aut verosimiles, aut etiam probabiles rem tanti momenti debet periculo exponere; præsertim cum experimento exploratum fuerit, quantum nostratibus incommodi attulerit in crimine hæresis intentata correctio. Meminisse debet, vir doctus & prudens, Paulum mulieri consuleri, ut maneat cum viro infideli: quod videlicet inter gentes, quibus tunc scribebat, spes erat, ut uxor virum suum ad fidem alliceret. At ubi ecclesia comperit, inter Iudæos præsertim uxores potius corrumpi a viris, prudentissime sanxit, ne uxor ad fidem conversa, cum viro infideli maneret. Qua lege non Pauli consilium evertit, sed firmavit. Sic fidei iudices, quando multis magnisque experimentis acceptis legem tulerint de denunciando hæretico, quamvis occulto, fraternæ correptionis legem a Christo præscriptam non violant, sed stabiliant. Nisi naturæ iuribus legislator repugnavit, cum sapientissime edixit, *Si tibi voluerit persuadere frater tuus, aut filius tuus; vel filia, sive uxor, quæ est in sinu tuo, aut amicus, quem diligis: ne animam tuam clam dicens: Eamus & serviamus diis alienis,*

## 214 DE LOCOR. VSV IN SCHOLAST. DISP.

*nis, quos ignoras-tu & patres tui, non parcat ei oculus tuus ut miseraris & occultes eum: sed statim interficies, &c. Deut. 13.* Hæc igitur lex in crimine hæresis populo servanda est diligenter, ne, dum per falsam misericordiam homini indulget, in rem Christi publicam credulis sit.

Ad confirmati-  
onem 2.  
quinti ar-  
gumenti.

Nec operæpretium erit hoc loco disputare, an apostoli hæretici fuerint: quod qui fatetur, qua hunc obiurgatione, aut quo potius convitio a tanto errore coner avertere? Potest enim, Deus immortalis, absurdius dici quicquam, quam ministros primos evangelii ad unum, omnes non a fide modo alienos, verumetiam hæreticos fuisse? Quanto e verius & modestius illi sentiunt, qui arbitrantur apostolos Christi, non ex malitia, nec de industria, sed animi perturbatione & ignorantia peccasse. Aperte illis Dominus mortem & resurrectionem suam prædicebat, & tamen ipsi, ut Lucas ait (28), non intelligebant quæ dicebantur; & credemus nos, post tot, adeoque magnas turbas excitatas, discipulos non perturbatione animi, sed malitia dubitasse? Nam incredulitas & duritia cordis cuiusmodi illa fuerit, evangelista nobis exposcit iniquis, *Quia his, qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt.* Illi porro, qui viderant, digni omnino erant, quibus fides haberetur: sed falli poterant tamen. His ergo non credentes apostoli quidam & multis & incorruptis testibus, duri erant, incredulique etiam erant: at non Deo, sed hominibus. Pertinaces itaque erant adversus homines, non adversus Deum & Christum eius. Quocirca Christi discipulos hærescos insimulare, stultitiæ est manifestæ, si ea, quæ diximus in hæresis finitione constituenda, recte & dicta & confirmata sunt. Confirmatum est autem multa esse, quæ concurrant, ut quispiam hæreticus constituatur. Primum errorem habeat oportet. Deinde, ut is error catholicæ veritati contrarius sit. Tertio loco certum esse necesse est, atque expeditum, errorem illum veritati catholicæ repugnare. Quarto, errori pertinaciam adiungi, non quamvis, sed quæ cum certâ ecclesiæ regula pugnet. Quinto, ut is error sit post susceptam fidei professionem in illo, qui Christo

se

secredere profitetur. Hactenus Theologis nostris attenuate pressequē finivimus, quidnam hæresis sit, unde illis statim perspicuum fiat, quanam sit hæretica propositio. Nam in mente eadem prorsus res sunt, in voce autem vel scripto hæretica propositio dicitur, quæ hæresim interiorem enunciat, illiusque est omnino signum. Quia vero solus Deus novit & corda, & cogitata filiorum hominum, nemo mortalium profecto potest alterius habere clare cognitam hæresim, & satis firme conceptam animo atque comprehensam. Quamobrem, cum vox scriptumque ipsum, ac cætera demum omnia externa signa fallacia aliquando sint, non est facile certas & constantes formulas fidei iudicibus exprimere, ut recte atque ex ordine valeant de hæresibus iudicare. Nam Theologi, quum compertum habuerint, propositionem aliquam fidei catholicæ esse manifeste contrariam, subscribent forte illico, hæreticam illam esse: quoniam interdum de rebus ipsis nude positis ex genere naturaque loquuntur, & eas, quas circumstantias appellant, quandoque aut negligunt, aut certe in iudicium fide ac diligentia deponunt. Itaque suo se munere probe functos arbitrantur, si unum illud exploraverint, an error, cuius ab eis nota quaeritur, fidei aperte adversetur. Cum autem ad hæresim perficiendam eam, quæ legibus proscripta & damnata est, quaedam alia sint, ut diximus, necessaria: non videtur esse bene consultum multorum infirmitati & innocentia, nisi fidei censores iterum atque iterum admoneantur, ut diligentissime errantium iudicium, ingenium & animum studeant indagare, illudque potissimum, an eam pertinaciam habeant, quæ supra studiose nobis & sedulo diffinita est: quod in hac re vel maxime ecclesiastici iudicii cardo versatur. Nec satis est ad sententiam de hæresi rite iusteque ferendam, hæresim ipsam suspicionē attigisse, sed comprehensione quadam opus est, ut sine errore de erroribus iudicetur. Nisi enim illos index quasi manu teneat, præceps fere erit, temerariumque iudicium. Quod si in causa sanguinis id civiles leges præscripsere, ut probationes essent luce meridiana clariores; ecquid fieri oportet ab ecclesiis iudicibus in eis causis decernendis, in quibus non solum res, honor, fama, vita hominis unius periclitatur, sed totius etiam generis ac familiae præclara & sempiterna

na existimatio? Age ergo normas præstituamus, quibus ecclesie iudices tuto in hæresi diiudicanda uti possint.

## CAPVT IX.

*Regula tres, ad quas fidei externa iudicia dirigenda sunt.*

**P**rima formula in promptu est, ipsius contra se errantis testimonium, quod in omni foro exploratum est admissi criminis argumentum, præsertim si crimen suum reus sua sponte & voluntate testificetur. Tametsi ea etiam confessio, quam a reo iudex quæstione ac tormentis exprimit, secundum leges tum civiles tum canonicas idonea est ad faciendam in externo iudicio fidem. Sed de toto hoc & confessionis & quæstionis genere commodius non a iurisperitis solum, verum a quibusdam etiam optimis, viris familiariter colloquentibus, quam ab ullis Theologis ulla in schola disputatur. Nec vero quempiam velim in eum sensum formulæ huius verba interpretari, ut reus, qui hæresis fortasse vim, & naturam nescit, hæresim ipse sit suo iudicio æstimaturus, illumque secuturi in sententia iudices. Sed ita accipi oportet, ut reus cum factorum, atque dictorum suorum, tum propriæ conscientiæ atque animi testis contra se sit, iudices ex factis, dictis, mente, ingenioque illius hæresim deprehendant, cuius notionem ante oculos positam habere in omni fidei, religionisque iudicio debent. In hominem præceptor olim meus incidit, qui vehementer se ipse affirmaret hæreticum esse. Quid ita? rogat. Cur te hæreticum esse arbitraris? Respondit se tenere contra catholicam fidem. Hic ille urget. An tu credis catholicam fidem falsam esse? Minime genium, inquit iste: ideo enim me hæreticum existimo, hoc est, errantem & a veritate alienum, quia contra fidem catholicam sentio. Iam præceptor risum continere non valens, abi stulte, ait, eo enim minus hæreticus es, quo magis te hæreticum opinaris. Salva quippe res est, si tunc errare te

sentis, quum fidei catholice repugnans. Sic hominis stultitia est non tam Theologiæ rationibus, quam prudentiæ manibus comprehensa. Mihi etiam ipsi aliquando contigit, ut iudicibus fidei errores nescio quos denotandos acciperem: certe hominis eius errores, ut postea comperi, qui iudicium nec iussu, nec accersitu ad tribunal venerat, sed sacerdotis cuiusdam suasu & consilio, quem pœnitentiæ administrum habebat. Sponte igitur suoque iudicio hæreses adversum se plurimas (sic censebat) excipiente notario prodidit. Ad me ergo itum est, ut errorum notas ederem. Quos ut multos, variasque consexi, coepi mecum ipse attentius cogitare, quisnam eorum auctor haberi posset. Quicumque porro is esset, partim ex Arii, partim ex Macedonii, partim ex Witcleffi, partim ex Lutheri fontibus quasi quosdam deduxisse rivulos videbatur. Crederes eum assidue in omnium hæreticorum lectione versatum. Quod si ulla esset rerum consequentia, & connexio, errorumve compositio & coagmentatio aliqua, mihi quoque iniecta esset ista suspicio. Sed cum cernerem, in tanta errorum copia non complexionem esse, non vinculum, insanie hominis potius, quam hæreseos venit in mentem. Nolui itaque de erroribus iudicare, nisi prius auctoris ingenium & iudicium explorassem. Ego iudices rogo, num copia sit videndi hominis. Aiunt esse: Nam datus erat in custodiam, & coniectus in carcerem. Solvitur vinculis, coram producitur, intueor oculis, animo cerno, video illum parum sana mente esse. Periculum ex rebus præsentibus feci, quas longum esset commemorare, probavi ita se habere rem, ut ante ego cogitarem. Vix tamen a iudicium animis opinionem infixam potui divellere. Sed vici tandem, & persuasi, acpe ut erant viri boni, dederunt manus, amantemque sponte confessum, suoque iudicio convictum in parentum domum cerebro vacuum quidem, sed omni etiam potius vacuum dimiserunt. Ac de his nihil est necesse, ut Theologi præcipiantur sunt tamen ea cognoscenda; pertinent enim ad eum usum, quem inris prudentes sunt e locis Theologicis habituri, de qua re hoc libro disserimus. Reliqua deinceps persequamur, nam formula hæc tantum attingenda fuit.

Alteram Divus Thomas protulit (1) in prima parte, & in priorem ad Corinthios epistolam. Ea est huiusmodi. Si error fidei contrarius circa ea sit, quæ nullo modo est probabile ab errantibus ignorari, quin ad fidem catholicam certo pertineant, tum iudices tuto de hæresi pronuntiabunt. Ut si, exempli causa, homo quivis etiam de media plebe, aut neget Christum cruci suffixum, vere mortuum, vere a mortuis excitatum; aut aiat; superfluunt esse & vanum orare pro mortuis, nullo premio iustos a Deo affici, nullo supplicio improbos & cætera similia. Item, si vir in scholæ Theologia diu multumque versatus contendat, Spiritum Sanctum a Filio non procedere, aut Patrem & Filium Spiritus eiusdem duo esse principia, aut non esse tres pœnitentiæ partes, aut Christianis nullo modo esse licitum cum hostibus belligerare, aut episcopum non esse superiorem simplici sacerdote, aut quicquam eiusmodi, quod incredibile est nescire Theologos ad ecclesiæ communem fidem attinere, præsertim si in schola, ut dixi, perdiu sese, ac valde exercuerunt. Qua in re non dubito, quandoque a iudicibus per remissionem nimiam aut magnam certe ignorationem erratum. Nolo enim suspicari, fidei leges per gratiam esse aut populi furori, aut potentium voluntati concessas. Fuerunt ante hos paucos dies Theologi quidam habiti doctissimi in his erroribus deprehensi, quos & Lutheranorum esse proprios, & ecclesiæ communi fidei adversos, nemo addubitare poterat; qui vel mediocriter rebus Theologicis esset instructus. Coacti sunt hæreses aditrate, quasi suspecti de hæresibus, non convicti. Cum tamen, si hæc non dico ad rythmicorum aut musicorum acerrimam normam, sed ad perpendicularum communis iuris, & vulgarem rationis formulam dirigerentur; nullum facilius erat procliviusque iudicium. Turpe fuit autem ea dubitare peritos, quæ ne rustici quidem dubitant, nempe nullo pacto verisimile fieri, ut homines in earum rerum: quas diu multumque tractarunt, ignoratione versentur. Ecquis autem credat, viros Theologicissimos (sic censebat vulgus) earum rerum inscios & rudés, quæ

(1) *Quest. 32. Art. 4. cap. 11. l. 4.*



quæ Theologis universis notæ, & pervulgate sunt? Erat in animo, quæ horum Theologorum fuerint errata, subscribere: ut in hac quasi imagine & huius præscriptionis regula illustrior appareret, & admonerentur quoque futuri iudices, ut alieno periculo saperent, neque animi relaxationem & molliem, clementiam & misericordiam esse arbitrarentur. In illis nimirum & reis & iudicibus, ne quod perniciosum exemplum esset proditum, pertimescebam. Quod enim exemplo fit, iure fieri putant. Sed quoniam iam rei ipsi decesserunt, omnique odio carent & invidia, non putavi eiusmodi errores traducendos: quos si contestatos & consignatos ederem ad sempiternam memoriam turpitudinis, non solum in mortuos reos, sed in vivos etiam iudices viderer maledicta conferre. Quanquam forte ibi timeo, ubi non erat timor. Sed utcumque res habeant, iurisperitos admonui, ne in animum inducant credere, nullos esse pertinaces, nisi qui iudicium rationes præceptaque despexerint. Ante hominum hortatus istos, crede mihi, vera hæreticorum pertinaciæ reperitur, eorum scilicet, qui minime ignorant, opinionem suam contra fidem ecclesiæ venire. Ipsa vero omnium fidelium vox, idemque communis sensus, non pro una monitione dico, sed pro mille sufficit. Quapropter ecclesiæ unam vocem qui spernit, hic multo pertinacior est, quam si sexcentas, aut Theologorum, aut iudicium contempsisset. Ac de secunda quidem regula hæcenus. Tertiam hanc habebimus.

Si de cuiuspiam errantis pertinacia dubitant iudices, duæ res illis sunt accuratius transigendæ, quarum una Theologorum propria est, altera cum Theologis iurisperitorum etiam communis. Priorem ergo a Theologo iurisperitus mutuabitur: posteriorem autem suo sibi iure vendicabit. Primum igitur a sapientissimis Theologis illud explicatum diffinitumque habeant iudices, an error, qui in iudicium venit, cum fide catholica aperte pugnet. Nam una ex parte dupliciter hæreseos iudicium excludetur, vel quia incertum est dogma illi errori contrarium catholicæ fidei veritatem esse, vel quia repugnantia erroris eiusmodi & catholicæ veritatis obscura est & in opinione posita. Vt, si verbi gratia, olim negaret quis, epistolam ad Hebræos esse Pauli, habeat autem pro certo

illam esse canonicam, & de auctore epistolæ quæstionem moveat, non de auctoritate: sunt Theologi, qui sentiant hæresim illam esse. Ego vero, nisi ecclesiæ definitio obstaret, non puto, qui existimem Christi fidem in nullo extremo versari discrimine, si libri canonici auctorem nesciamus, modo sciamus librum esse canonicum. Quocirca sive Paulum, sive Lucam, seu Barnabam illius epistolæ auctorem quispiam dixerit, si solida ei est, fixaque & constans epistolæ auctoritas, non continuo Christi fidem evertet. Cum igitur tempore D. Hieronymi nondum fuerit explorata cognitum an fidei certa veritas sit, Paulum illam ad Hebræos epistolam scripsisse, si error adversus ad tribunal fidei tunc referretur: criminis fortasse quidem iudicium fuisset, sed hæreseos iudicium non fuisset. Item, Dei auxilio peculiari nos cogere, ut sicut oportet, credere, sperare, diligereque possimus, fidei dogma est longe certissimum. Qui inficiabuntur, nullos esse habitus spei & charitatis infusos, illi dogmati huic, ut quidam sentiunt, repugnabunt: sed quia ea pugna, tametsi valde probabiliter apparet, non tamen est manifesta ratione comprehensa, eorum hominum error notandus est, temeritas & impudentia notanda: hæresis ne suspicanda quidem ante sacri concilii Tridentini decreta. Qui locus, nullo etiam commemorante, fidei censoris admoæet, ut id mutui, quod a Theologis sunt necessario accepturi, non a quibusvis accipiant, sed ab eruditis, expertis, exercitiis. Qui scilicet cum exploratum habeant, quinam ex Theologiæ locis certi ac firmi sint, qui contra probabiles & non necessarii: tum argumentorum Theologicorum frequenti atque expedito usu facile quoscunque errores deprehendant, qui fidei catholicæ dilucide refragentur. Altera orat res, ut iudices diligenter navent operam, quo illis errantis pertinacia pateat. Quæ si in dubium fortasse veritur, & neque ex ante, aut dictis aut factis, neque ex errantium statu, conditione & ingenio colligitur, non alia eam ratione melius deprehendent, quam si erranti certum signum catholicæ eius veritatis ostendant, cui error istius contradicit. Ut si proferatur apertus aliquis scripturæ locus, aut definitio legitimi concilii generalis, aut decretum constans Apostolicæ sedis, aut unaquælibet alia certa

ta nota earum, quibus & catholicae veritates, & contrariae emino haereses diiudicantur. Quod si hisce signis, notisque prolatis ille cessarit, argumentum erit ignorantiae probabilissimum (2): sin repugnauerit, argumentum erit pertinaciae certissimum, praesertim si nec ingenii, nec doctrinae expertus sit. Nam si ad rudis & imperitus est, ut harum rerum intelligentiam nullo modo habere possit, equidem nullam certam regulam praescriptionem, que constantem exprimerem, ut hominis eiusdemmodi pertinacia innotesceret. Certe si qua est crassa pinguique Minerva describenda formula, ea erit sententia ecclesiae communis, fideliumque consensus & conspiratio eadem: quibus si iste aduersetur, tum etiam quum videt contra se venire omnes, pertinax, atque adeo haereticus existimabitur. Nec necesse erit tamen orbem omnium peragrarere terrarum, & singulorum fidelium rogare sententiam. Nam quae sit fidelium singulorum, neque arte aliqua, nec diligentia, & inquisitione perpenditur, sed quodam quasi prudentiae sensu iudicatur. Quomodo enim si quispiam neget cunctam ignem calefacere, non est opus, ut contumax in naturam habeatur, propositionem illam generalem inductione & demonstratione singulorum ignium, sed significatiue potius & ratione declarare, cum quibusdam demonstratis, eadem sit de caeteris ratio. Sic in fide ecclesiae ille erit pertinax, qui suae provinciae aut civitatis fidelibus universis in fidei sententia repugnarit. Sed haec relinquamus, idque largiamur inertiae nostrae: inepti enim sumus ut hebetes ac rudes ad regulam & lineam exigamus. Haec vero omnia, quae in hac postrema constitucnda regula diximus, si ad vulgari prudentiae rationem dirigas, recta fortasse erunt, sin perpendere ad exactioris disciplinae praecipua velis, reperientur quaedam fortasse non recta. Quid enim in tam inaequabili & rerum &

in-

---

(2). Sic forte interpretanda est sententia Bar. l. Furor. ff. de Suspect. tut. & Felini in rubrica. de haeretic. & Card. in Clement. 1. de summ. Trinit. Qui sentiunt episcopi & inquisitorum admonitionem esse legitimam, ut qui eam contemnunt, hic pertinax censentur.

## 222 DE LOCOR. VSV IN SCHOL. DISP.

ingeniorum varietate præscribere nos possumus, quod æquabile inter omnes & unum omnibus esse queat? præsertim cum id genus causæ propemodum coniecturales sint, in quibus iudices iudicii quibusdam, atque vestigiis in ipsa penetraret hominum corda pertentant: quæ si cognoscerent, non egerent perpendiculis, non normis, non regulis. Quid igitur hæresis sit, quæ hæretica propositio, qua demum via ac ratione utriusque & Theologo & iurisperito internoscenda, mihi iam satis superque dixisse videor.

## CAPVT X.

*De propositione erronea, sapiente hæresim, piarum aurium offensiva, temeraria, scandalosa.*

**D**Einceps ut erat propositum, de propositione erronea videamus. Cuius notio ac definitio non eadem omnibus, sed sua cuique est, ut hic etiam verum id esse comprobet, *Quot homines, eos sententia.* Illud autem in primis definitum & constitutum sit, propositionem erroneam ab hæretica, non cogitatione modo, sed re etiam separari. Non enim, ut quidam existimant, concilium Constantiense, unde varia ista errorum genera accepimus, propositionem erroneam usurpat in significatione generali, ut erroris hæretici & cæterorum gentis commune sit, quæ videtur esse eius nominis propria significatio. Ecquis enim credat quicquam aliud esse propositionem erroneam, quam errorem? Sed concilium, ut dixi, ab hac usurpatione longe abest, id quod statim planum faciam, si verba patrum adscribam, *Comperitur est, inquit, ex præfatis articulis plures esse notorie hæreticos, alios non catholicos, sed erroneos, alios scandalosos, quosdam piarum aurium offensivos, nonnullos temerarios.* Quæ forma sermonis esset & falsa & absurda, si propositio erronea pro quocunque errore communiter sumeretur. Iam enim recte quoque dici posse, post multas argumentationes enumeratas,

in his quasdam esse syllogismos, quasdam inductiones, quasdam argumentationes: quod quam sit ineptum, nemo est qui non intelligat. Sine dubio igitur erronea propositio ab hæretica secernitur, non tanquam genus ab specie, quod esset discrimen rationis, sed tanquam una erroris species ab altera, quæ vera rerum, non modo vocabulorum, distinctio est.

Illud deinde constituere debemus, quod prius forsân dictum oportuit, sed doctrina sera non est reprehendenda, præsertim si in oportuno tempore reservata sit. Constituendum ergo, catholicas veritates non singulari modo, sed bipartito reperiri. Quædam enim sunt catholicæ veritates, quæ ita ad fidem pertinent, ut his sublatis, fides quoque ipsa tollatur. Quas nos usu frequenti non solum catholicas, sed fidei veritates appellavimus. Aliæ veritates sunt etiam ipsæ catholicæ & universales, nempe quas universa ecclesia tenet, quibus licet eversis fides quatitur, sed nan evertitur tamen. Atque in huiusmodi veritatum contrariis erroribus supra dixi (1) fidem obscurari, non extinguï; infirmari, non perire. Has ego nunquam fidei veritates censui vocandas, quamvis doctrinæ christianæ veritates sint: Speciales orationes applicatas uni personæ per prælatos vel religiosos plus prodesse eidem, quam generales; fratres non teneri labore manuum victum quærere, sed licere eis esse mendicos; & complures alias similes propositiones, quas omnes catholici veras esse sine dubio existimant, ideoque veritates catholicæ vocari possunt, atque etiam debent. Quæ igitur propositiones huius posterioris generis veritatibus contradicent, eas equidem erroneas appello; quæ quoniam doctrinæ catholicæ adversantur, errores sunt hæresi proximi, hæreses non sunt. Nec nostro more nos ita loquimur, sed est etiam hoc in more positum sermoque maiorum, ut nomen generis speciei illi absolute tribuant, quæ est in eo genere imperfectissima. Sic Aristoteles in prædicamentis dispositionem seiunxit ab habitu, cum tamen dispositio alias habitus ipsius genus sit. Vir-

tus

(1) Cap. 6.

tus quippe, quam habitum esse nemo est qui nesciat, dispositio est perfecti ad optimum. Ac ne plura exempla, quæ sunt prope innumera, referamus, illud est passim vulgi etiam ore contritum, quo animalis vocem, cum omnium animantium communis sit, interdum pro his solum accipiunt, in quibus nihil aliud, quam vis animantis apparet. A qua consuetudine ne Paulus quidem abhorruit, quum animalem hominem dixit, quasi brutum expertemque rationis. Patres item concilii Constantiensis hoc sensu videntur esse locuti, si accurate eorum voces expendamus. Ex quibus facile intelligimus, erroneas propositiones contra catholicas fuisse divisas, & inferiore quodam gradu, quam hæreticas, fuisse locatas. Error itaque, qui & minus quidam quam aperta hæresis, & catholicæ doctrinæ tamen contrarius est, propositio erronea vocatur. Theologi denique modestiores, quum in disputationibus suis quicquam sanæ doctrinæ adversum hæreticam appellare non audent, temperato vocabulo erroneum esse confirmant. Quum vero in hunc sensum & vulgari consuetudine alliciar, & compellar maiore Philosophiæ ratione, facile me patior in eum adduci, libenterque in eo cupio retineri. Est & propositionis erroneæ alius item gradus. Quum enim veritas aliqua, sapientum quidem opinione vehementi, fidei veritas est, sed non est plane ab ecclesia definita, nec certo argumento demonstrata, tunc veritati illi adversari non est hæreticum, sed erroneum. Videlicet hæresis, quemadmodum supra diximus, a voluntate quoque errantium pendet, nedum ab intellectu. Error autem, sicut & falsitas, e rebus ipsis significatis perpenditur, nulla asserentis habita ratione. Ita licet veritas illa ad fidem suapte natura pertineat, quia tamen nec hoc certum nec expeditum est, hæretica pertinacia abest, error gravis & periculosus non abest. Similiter & propositio erronea tertio quodam gradu vocari potest, quæ certe veritati catholicæ fidei adversatur, non manifeste quidem, sed sapientum omnium longe probabili & ferme necessario sententia. Eius quippe error gravis est, qui hoc defendit contumaciter, quod viri omnes docti sentiunt periculum grande catholicæ fidei conflare. Quicunque ergo vel doctrinam fidei appendicem liquido

cver-

evertit, vel fidem ipsam in discrimen adducit, vehementer ille sane in christiana disciplina errat, atque adeo eius dicta iure appellantur erronea. Verum de erronea propositione plus quam satis dictum est.

Propositio vero sapiens hæresim a quibusdam definitur ea, quæ in significatione, quam verba prima facie ostendunt, sensum habet hæreticum, quamvis pie intellecta sensum aliquem habeat verum: ut sunt, inquam, istæ propositiones, *Pater est maior filio*; *Christus est creatura*; *tres sunt Dii*. Quæ definitio nec vocabuli potestatem exprimit, nec rei diffinitæ vim, naturamque declarat, nec metuo nexu cum illa est copulata. Quis enim dubitet, illam propositionem. *Ridiculum est eucharistia sacramentum solemnè ritu per vias publicas circumferre*, Lutheranorum hæresim sapere, qua negant in eucharistia corpus Christi verum contineri? & tamen in nullo pio sensu vera est. Huiusmodi propositiones multas in Erasmo, Ioanne Carione, aliisque quibusdam huius sæculi scriptoribus passim leges, quæ nec apertas hæreses præ se ferant, nec sanum aliquem habeant sensum; sed quia hæreseos saporem quandam & odorem referunt, merito eas quidem dicimus hæresim sapere; qui vero illas proferunt, hos hæreticorum & saporem habere, & proferre odorem. Nec exempla illa placent, quibus hi suam definitionem illustrent. Veriora equidem exempla desidero, & magis ad rem, de qua igitur, accomodata; quamvis in hoc genere nihil ab iis requirendum est, qui omnes istos propositionum gradus permixtos esse ac confusos opinantur. Sed primum exemplum e Ioannis evangelio, Christique doctrina sumptum est. Quod vero Christi doctrina & evangelium hæresim sapiat, scribere ego non auderem. Illud secundum exemplum congruens atque aptum est, si eis assentimur, qui existimant, *illam sententiam; Christus est creatura*, simpliciter veram esse, sed eam Theologos refutasse, quod foetorem quandam ab Ario contraxerit. In quam sententiam Divus Thomas multa dixit (2). Ac Sophronius (3) in sexta synodo plane fatetur, Christum creatum

Tom. II.

Ff

&amp;

(2) 3. part. quest. 16. (3) Art. 8. añ. 11.

& increatum, idemque in tertio libro Ioannes Damascenus. Sed & Hieronymus creaturæ nomen in Christo non horret (4). Ego vero semper habui persuasum, enunciationem illam & simpliciter falsam esse, & catholicæ fidei absolutæ contrariam. Et enim in creaturæ voce negatio intus inclusa, quæ Christi supposito absolutæ divinitatem tollit. Nam qui dicit rem aliquam factam ex nihilo, is negat eam de substantia generantis extitisse: hoc enim discrimine id, quod vere & proprie factum est, ab eo quod vere & proprie est genitum, separatur. Quemadmodum igitur illud, *Christus cepit esse*, fidei adverum est, quoniam inde perspicua argumentatione sequitur, filium Dei esse cœpisse, atque adeo aliquando non fuisse: sic & illud, *Christus factus est ex nihilo*, fidei quoque adversatur, quod implicite filius Dei de natura eius, a quo extitit, esse negatur. Sive igitur incipere, sive factum esse, seu esse creaturam, de filio Dei vere enunciari non possunt, quoniam inficiationem abditam & latentem continent, quæ a filio Dei, pro quo nomen Christi accipitur, vel perpetuum esse, vel esse a patre depellat. Itaque, ut mea fert opinio, propositiones illæ ac cæteræ eiusmodi non tanquam sapientes hæresim, sed tanquam hæreticæ a Nicænis patribus sunt damnatæ. At propositionem hæreticam & sapientem hæresim eandem esse, mihi quidem non fit verosimile. Stultus nempe haberetur is, qui quam rem vinum esse constaret, hanc vinum sapere, nisi per iocum & ridiculum, diceret. Iam Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum tres Deos esse cum fide aperte pugnat. Nam sensus ille, qui pius dicitur, impius est. Pari certe ratione illa propositio, *Deitas est crucifixa*, hæresim sapere diceretur: quam tamen, ut hæreticam manifeste quinta synodus condemnavit. Illa item, *Essentia generat essentiam*, in gradu sapientium hæresim locaretur, quam in hæreticarum numero poni oportere, concilium Lateranense definit. Quid illæ? *Essentia divina non est persona patris; In tribus personis tres sunt Deitates*, alięque plures huiusmodi, quas in sensu novitio, & nuper a se excogitato, quidam veras esse di-

---

(4) In Isaia 45. cap.



dixerunt. Sane nihil tam absurdum dici aut excogitari poterit, quod in sensum aliquem fictum si detorqueas, verum non sit, ac rationi tum humanæ, tum divinæ consentaneum. Sed consentaneum non est, sensa eiusmodi commentitia, ab usuque sanctorum & ecclesiæ aliena, pia nuncupare: & homines futiles talium sensorum excoginatione defendere. Ego certe, ut quod sentio loquar, harum propositionum auctores nihil minus, quam hæreticorum saporem habuisse arbitror. Sed si in eis aliquem meo gustu percipio, inscitæ sapor ille est, non hæreseos. Quum vero loquendi vim & consuetudinem verborum teneo, propositiones ipsas, de quibus loquimur, non sapientes hæresim dico, sed fidei manifestæ contrarias. Sermones porro istos per metaphoram figuratos considerata intelligentia magis percipere possumus, quam circumscripta definitione explicare. Quamobrem quid hæresim sapiat, quid non sapiat, non tam finitione & argumentatione speculatricis disciplinæ, quam sensu quodam gustuque prudentiæ iudicatur. Videas hominem in Lutherianorum dogmatis expugnandis & internoscesda mente exercitatum, qui, ut, canes venatici, in libro, quem legendum suscipit, hæreses odore quodam suspicionis quam sagacissime perverstiget eiusque libri auctorem corruptum esse accuratissime sentiat. Leget eum librum fortasse alius stipes sine sensu, qui nihil omnino indagare, nihil olfacere, nihil se suspicionem quidem possit attingere. Quales sunt hodie non pauci, qui Baptistam Cremensem, Henricum Herpp. Ioannem Taulerum, aliosque huius farinae auctores quotidie habentes in manibus, quotidie in ore, eorum errata tamen, mentem, animum, non odore ullo, non vestigiis, non sapore capiunt. Videlicet, abstulit Dominus a Iuda, & Hierusalem iudicem, & prophetam, & ariolum, & senem, & sapientem de architectis, & prudentem, non solum eloqui mystici, sed hæresis occultæ diad. candæ. Quidni muti sint canes, & latrare non valent, quibus ad investigandum nulla iam est sagacitas narium? Et cum tot signis lupi declarent, qui sint ac velint, quid querant ac desiderent, canes tamen fere stupor oppressit, pastores vero cæcutiunt & obsurdescunt nescio quo modo, ut nec ea, quæ a viris sagacibus monentur, audiant, neque ea, quæ

a lupis geruntur, videant: nisi forte omnes & pastores & canes stupidi timore obmutuerunt. Atqui undelibet stupiditas accidat, ad ecclesiæ perniciem idem est. Securi enim iam poterunt viri improbi non modo ad aurem admovere sermonem, qui ut cancer serpat, sed patentius venenum spargere, atque evomere virus pestilentissimum erroris sui. Quod si mens non læva fuisset, etiam occultum, atque in venis inclusum a sano humore secerni & internosci tam poterat, adhibita diligentia & cura, gravique & acri iudicio, quam potest color albus a nigro, aut dulcis sapor ab amaro distingui. Sed non est huius loci ecclesiæ calamitatem deplorare. Nunc enim id solum agitur, propositionum sapores magis sentiendi & gustandi viribus discernendos, quam speculandi. Causa quippe hos, non natura distinguit. Itaque non præceptis & regulis, sed prudentia & sagacitate diiudicantur. Expediam brevi rem hanc, & planam exemplo faciam. Leges illam propositionem, *Pater maior me est*, in evangelio. Habes illius doctrinæ auctorem cognitum & perspectum, antecedentia & consequentia in evangelio verba diligenter attendis, eius doctrinæ principia reliqua memoria tenes. Iam experiere, nisi habes humore aliquo malo affectum gustum; propositionem illam, *Pater maior me est*, non hæresim tibi sapere, sed modestiam. Legebat eandem in Arianorum libris Athanasius, auctores intus & in cetera noverat, Arianæ disciplinæ causas & effecta, principia & connexa perspexerat: & quæ in evangelio Christi dulcis erat super mel & favum, eadem propositio in Arii libros transfusa sapiebat hæresim, eratque eius gustui vel amarissima. Atque ut idem vinum ex vase uno sapit picem, ex altero non sapit, & res eadem illud olet, unde sit, e cæno male, ex arcula muliebri bene: sic una & eadem oratio ex uno corde & ore odorem spirat iucundissimum, ex altero terribilissimum, ex uno saporem suavem servat, ex altero insuavem. Quemadmodum etiam videmus, aquam e radicibus & canalibus, per quas transit, aliud atque aliud & olere & sapere. Non itaque e rerum ipsarum orationumque natura sapor, odorve, omnis existimandus est: sed tum res, tum orationes ipsæ a venis aliquando & viis, per quas permicant, saporem & odorem accipiunt. Sapo-

rem igitur propositionum , ut dixi , non tan scientia , quam prudentia diiudicat. Quocirca quæ propositio hæresim sapiat , quæ contra non sapiat , non Theologi quivis , sed prudentes solum , atque experientes poterunt iudicare.

Idem vero de propositione male sonante , seu piarum aurium offensiva dixerim. Est enim , ut linguæ nariumque , ita & aurium iudicium suum absurdos & abhorrentes sonos respuentium. Quemadmodum autem non solum res falsæ atque perabsurdæ , sed graves quoque ac veræ sententiæ inconditis verbis elatè offendunt aures , acres præsertim & acutas : sic Theologorum aures teretes , & religiosè non a sententiis modo falsis & hæreticis , sed ab eis etiam abhorrent , quas intelligenti iudicio percipiunt male atque absurde sonare , quamvis nullam in eis falsitatem hæreseos deprehendant. Dupliciter ergo de propositione male sonante loqui possumus : uno modo generaliter , quo omnis propositio fidei contraria fidelium aures offendit , eoque magis , quo apertius illam vident fidei catholicæ esse contrariam. Alio modo specialiter , quo gradum quendam propositionum constituimus ab illo hæreticarum suppremo distantem. Quia ratione eas proprie male sonantes propositiones , & piarum aurium offensivas dicimus : in quibus nullus error fidei adversus manifeste notari potest , sed absonum nescio quid , atque absurdum , quod indignum esse piis & religiosis auribus videatur. Enimvero in hisce absonis , & absurdis propositionibus discernendis , nollem equidem imperitè atque imprudenti vulgo aures dedere , quarum est iudicium pinguissimam. Sane quanquam nonnullis in rebus , quæ fidelium omnium scilicet communes sunt , iudicium rectum adeo doctis , atque indoctis est & promiscue , & communiter a fide datum , ut quæ propositiones vulgi opinione male sonantes habentur , intelligentium quoque iudicio male sonantes fere sint : at promiscuum vulgus auditum plerumque hebetiorem habet , interdum etiam teneriorem , quam opus est ; & multa sæpe tum auribus accipit , tum animo fert , quæ tritè atque intelligentes aures aspernantur : quedam contra refutat quasi absona , quæ Theologos peritos & sapientes non modo non laessunt , sed ne movent quidem. Theologos , inquam , peritos & sapientes. Nam in quibusdam aurium sensus fastidiosissi-

sissimus est, in quibusdam etiam superbissimus. Quia igitur vel Theologi quidam nonnulla respuunt, quæ aures clementes & modestas minime offendunt, necessarium est, si res has recte & sapienter diiudicare volumus, aurium habere sensum politicum, tersum, subtilem, prudentem. Quod si propositionum absonarum consonarumque iudicium ecclesia in vulgi auribus collocasset, illam certe propositionem, *Beata virgo peccatum originis a primo parente contraxit*, male sonare, & pias aures offendere iudicaremus. Illa enim audita vulgus sine dubio perstringitur, percutitur, torquetur. At piarum aurium offensio crimen est. Id autem in crimine ponere, quod ecclesia ab omni alienum crimine censuit, temerariæ insolentiæ est. Evangelii item verba quædam, si turba nobis lex est, male sonantia fuissent, & piarum etiam aurium offensiva. Turbas quippe aliquando Dominus vocibus ambiguis obscurisque turbavit. Quin insigniter atque aspere discipulorum quandoque teneras aurículas perculit: nam Phariseorum aures mordaci solebit radere verba. Pharisei, audito Christi verbo, scandalizabantur: plerisque discipulis durus erat illius sermo: turbis habere dæmonium videbatur. Nec est ambiguum hoc tempore esse Phariseos quosdam, esse stolidam turbam, & multitudinem falsis opinionibus obtusam, certos demum esse discipulos, quibus est sermo veritatis durissimus. Hi, si abusus reprehendas, qui in imaginibus & colendis, & ornandis in sacellis, templis, monasteriis, sepulcrorum monumentis, sempiternisque memoriis condendis sunt pluri: si affirmes, in huiusmodi interdum, vel potius nimium sæpe plus vanitatem valere, quam religionem, diabolum quam Christum: hi inquam, fortasse dicent, te Lutheranis opinionibus occupatum, intolerabiles sonos fundere. Non est igitur habenda ratio vulgi promiscui, imbencilli, perturbati, imprudentis, sed prudentis, sinceri, pii, incorrupti. Nec Theologia modo requirenda est, sed pietas & prudentia, sine qua nullæ aures possunt consentaneos sonos abhorrentesque discernere. Itaque, ut semel finiamus, cum non sit cuiusvis male sonantem propositionem a bene sonante distinguere, prudentissimi Theologi, quod iam iterum ac sæpe dixi, consulendi a iudicibus ecclesiæ sunt: nisi volunt in harum rerum iudiciis vehementer errare. Et quamvis nullam

nos quidem comprehensionem habeamus, definitionem nullam, qua iudices valeant singulas in specie male sonantes propositiones iudicare: illud tamen speciatim admonere possumus, huiusmodi propositionum duos esse gradus. Vnum earum, quas ante diximus hæresim sapere. Videlicet, quæ fidelium gustatui male sapiunt, eadem male sonant auditui. Verum quia gustatus sensus pinguior & crassior est, auditus subtilior & acutior; alter gradus male sonantium propositionum est, quæ licet hæresim non sapiant, sonum tamen quendam absurdum & peregrinum referunt, qui a doctrina sana, sinceroque & solido ecclesiæ sermone discrepare videatur. Qua ratione piæ illæ aures feriunt & aspere & graviter, tamen si cur ita feriant, causa sæpe occultissima est. Huius generis illa exempla videntur appositissima, quæ concilium Constantiens. notavit, *Graduationes & magisteria universitatum esse vana gentilitate introducta, & tantum prodesse ecclesiæ, quantum diabolus; Sylvestrum & Constantinum errasse ecclesiam dorando; ecclesiam Romanam esse synagogam Sathana; electionem Papæ a Cardinalibus per diabolum fuisse introductam. Item, Papam non debere dici sanctissimum propter officium. Alioqui diabolus diceretur sanctus, quia est officialis Dei. Item, Plures Romæ nunc salvari ex coniugatis, quam ex clericis. Item, Monachatum non esse pietatem. Item, Romani episcopi monarchiam post Divi Hieronymi tempus exortam esse. Item, Phocam instituisse Romanam ecclesiam omnium esse ecclesiarum caput: & alia innumera, quæ, ne longum faciam, prætermitto. Quod si quis adeo tenui palato est, ut has etiam propositiones hærescos saporis referre iudicet, cum eo equidem non magnopere contenderim, præsertim si de harum una & item altera sermo sit. Quanquam mihi, fateor, palatum torpet quandoque ac iacet, auris subtilior & erectior est. Ita mihi videor facilius posse propositiones auditu, quam gustatu percipere. Sed, ut dixi, neuter sensus regulis instituitur, si defuerit prudentia & spiritus quidam diiudicandi: si vero hæc affuerint, sine præceptis nostris Theologi iudicium poterit esse vel rectissimum. Ac de propositione male sonante hætenus.*

Propositio vero temeraria duobus itidem modis usurpari solet, & communiter & proprie. Communiter, ut omnis propositio a fide aversa, temeraria quoque appelletur, etiam si hæ-

hæresis manifesta sit. Ecquid enim incosideratissima, ac dementissima temeritate plenius, quam Christi ecclesiam contradicere? Proprie autem ea vox usurpatur, quum assertio ut temeraria notari potest; ut hæretica, vel erronea, vel sapiens hæresim non potest. In quem sensum post istos propositionum gradus postremum locum propositio temeraria tenet. Temeritas porro non uno, & simplici modo intelligitur. Temere enim ea quandoque fieri dicimus, quæ non consilio, sed fortuito geruntur. Quo modo ea temeria sunt, quæ turbulente & inconsulte effutita sunt. In hoc vero significato temeritas, quæ nullo delectu aut discrimine ducitur ad iudicandum, sapientiæ contraria est, in qua non casus & fortuna, sed ratio & consilium valet. Qui ergo nulla aut ratione, aut auctoritate impulsus res ipsas affirmat, sed temere scribit & dicitur vel quod in buccam venit, iure is tanquam stultus & temerarius reprehenditur. Nam quamvis vera aliquando dicat, sed ut vera dicat tamen, non id consilium & ratio, sed sors & casus efficit. Qualia sunt nonnulla, quæ viri quidam pii in vita, rebusque gestis Christi Domini magis comminiscuntur, quam contemplatur, quæ etiam scribunt non tam vere & prudenter, quam devote & ferventer. Quorum est interdum cæca ac temeraria quidem & in assentiendo credulitas, & in asserendo facilitas: sed temeritas hæc tamen non est heiusmodi, ut a fidei iudicibus coerceri debeat, qui graviorum errorum censuram assumere suo iure possunt, levioris huius vel imprudentiæ, vel stultitiæ non possunt. Fidei quippe cognitio illis mandata est, non prudentiæ, eius præsertim, quæ viros pios sæpe destituit. Videmus autem illiusmodi seu meditationes, seu contemplationes, licet inconsiderate atque imprudenter, sine ratione & graviter testimonio editas, cum pietate fere, atque adeo cum sanctitate esse coniunctas. Non decet igitur, ut simplicitas columbina severissimi tribunalis iudicio vexetur, quantumvis illa sit inconsulta & imprudens. Dicitur rursum & id temere asseri, quod insolenter nimiumque audacter asseritur. Quo modo omnibus in rebus asserendi temeritas, pronuntiandi-que audacia turpis est quidem, sed in his, quæ ad ecclesiæ doctrinam attinent, est periculosa vel maxime. Habet enim contempionem superbam ecclesiasticæ regulæ: quam con-

contemptionem nisi fidei iudices coerceant & comprimant; dici non potest quantum discriminis omnis ecclesiæ doctrina sit habitura. Quæ igitur non inconsulta oratione modo, sed, ut verbis utar *gravioribus*, confidenti audacia, insolentia proterva, exultatione impudenti, iactatione superba, non contra fidem dico, sed contra ecclesiasticæ modestiæ regulam asserruntur: ea Theologi in præsentī temeraria censent, atque inter errorum gradus constituunt & locant, qui quoniam hæresum appendices sunt, a fidei indicibus sunt animadvertendi. Vt, *Beatam Virginem non esse in celos cum corpore assumptam*: quod licet fidei minime adversum sit, sed quia communi ecclesiæ consensio repugnat, petulanti temeritate diceretur. Item, *In baptismo non infundis parvulis informantem gratiam & virtutes*: cum concilium Viennense contrariam opinionem duxerit eligendam. Item, *Angelum non esse simul cum mundo corporeo creatum, aut ipsum etiam non esse incorporeum*: cuius utriusque rei contrariorum concilia Lateranense sub Innocentio tertio nos docuit. Item, *diem iudicii ad certum quendam diem, mensem, annumve futurum*. Verbi causa, *ab hinc quinto vel sexto*: quod a concilio Lateranense sub Leone decimo diligenter præcautum atque provisum est. Nec enim est parva temeritas eius rei præsigitionem usurpare, quam inclusam divinitus pater in sua posuit potestate, & neque apostolis, neque angelis revelavit. Item, *Ioannes evangelista fuit in utero sanctificatus*; atque in summa omnes illæ propositiones, in quibus a fidei & scripturarum lege universali quispiam sine idoneo testimonio, aut probabili ratione eximitur. Nam huius generis exceptiones temerariæ fidei leges tametsi non tollant, præcidunt tamen. Est deraum & ea temeraria propositio, quæ in doctrina fidei cum celebris universitatis communi decreto ac definitione pugnat. Quamquam enim circumferuntur articuli Parisienses, qui non sunt articuli fidei omnes, quoniam ne hanc quidem vel longissime tangunt: sed eius academiæ tamen de fide, & religione fixa, constantiaque decreta semper Christi ecclesia suspexit. Qui vero contemserunt, inaniaque, & levia, ac pronihilo existimarunt, omnes ad unum periclitati sunt, & ii, qui manifeste ab ecclesia discessere, & ii, qui ecclesiæ fuere suspecti:

postremo ii, qui in occulto adhuc latent, sed suo se tempore, ut cæteri, prodent.

Propositionem autem scandalosam quidam cum piarum aurium offensiva confundunt, ut verbis distinguantur, re eadem prorsus sint. Atque huius generis exempla illa ponunt: *Tyrannum potest quilibet, illius subditus occidere; leiunare impertinens est Christiana perfectioni: Nullum est præceptum de baptismo suscipiendo.* At iis ita perturbati sunt, & confusi errorum gradus, nullus ut sit primus, nullus ut secundus, nullus ut tertius, aut quartus. Propositio igitur scandalosa duobus similiter modis appellari solet. Prius usurpatione communi, qua omnis oratio, quæ occasionem ruinæ præstet, quamvis hæretica aperte sit, scandalosa dicitur. Quo sensu concilium Constantiense decimam quintam illam propositionem, *Quilibet tyrannus potest licite a quocumque subdito occidi, &c.* tamquam hæreticam & scandalosam condemnavit. Quales sunt item reliquæ duæ, quæ ab his in exemplum positæ. At vero posterius scandalosa illa proprie oratio vocatur, in qua scandalum notari potest, hæresis non potest. Qualis illa fuit enumeratio incommodorum auricularis confessionis, in qua incommodorum enumeratione tanto cum Germaniæ scandalo Erasmus versatus est. Talles illæ sunt sive commentitiæ fabulæ, seu narrationes etiam veræ, quibus monachorum occulta vitia vel finguntur, vel deteguntur. Id quod sine dubio sine imbecillium offendiculo fieri non potest. Non enim hic scandalum more vulgi usurpamus, pro eo, quod aures offendit, quodve fidelis populus horret: sed pro eo, quod infirmis causam ruinæ præstat, & quod ante fidelium pedes positum eos facit in illud incurrere, irruere, offendere. Sic ecclesiæ Romanæ abusus plebi rudi obiicere, atque in vulgus edere, scandalum est. Sic propositiones illæ scandalosæ sunt: *Prelatus malus est vere fur & latro: Per censuras ecclesiasticas clerus populorum suppeditat & avaritiam multiplicat: Sacerdotes criminosi viventes sacerdotii polluant potestatem: Clerici epistolis decretalibus studentes stulti sunt: Danes elemosinam fratribus mendicantibus sunt excommunicati: Confirmatio iuvenum, clericorum ordinatio, locorum consecratio, reservantur episcopis propter cupiditatem lucri temporalis & honoris: Vni-*



*versitates & collegia vanitate hominum sunt inducta: Leguminibus & piscibus venter inlatur, & turget, atque adeo ad concubitum, ac venereas voluptates aptissimus redditur. Quarum nonnullæ hæresint sapiunt, non inficior: sed quamvis in verum sensum deflectantur, non solum error, sed ipsa etiam isthæc veritas, qualiscunque illa sit, quæ forte in his dictis inveniri potest, scandalum affert idiotis & infirmis. Non enim solum falsa scandalum faciunt, sed aliquando etiam vera. Ac de propositione scandalosa satis fere diximus. Propositionem autem schismaticam, seditiosam, maledicam, & contumeliosam quorsum atinet definire? Quis est enim, cui non perspicua sint illa, quæ pluribus verbis a quibusdam explicantur? Res itaque faciles & cuique per se satis expositas consulto prætereo. Quoniam liber hic noster non pollicetur, quæ passim vulgata & contrita sunt, sed ea conatur exponere, quæ & sunt obscura, nec statim omnibus occurrentia & obvia. Sed ne Amalthæam quidem edimus, & bibliothecam rebus universis instructam. Brevitati quippe studemus, atque utinam non hoc decipiat nos brevitatis studium. Decepit enim multos: quosdam, qui cum se breves esse putarent, fuere longissimi: alios, qui cum se breves esse laborarent, fuere obscurissimi. Sed hæc hæctenus, iam pergamus ad reliqua.*

## CAPVT XI.

*Quemadmodum argumenta Theologiæ inveniendæ,  
atque e locis ducendæ sint.*

**D**E notis & catholicæ veritatis, & erroris contrarii diximus, erroresque ipsos, quam brevissime fieri potuit, internovimus. Sequitur, ut utriusque generis nota queratur & formula, viam, rationemque docere. Quæ eadem erit ars argumenti inveniendi, ex locisque Theologiæ ducendi. Quamquam Theologici argumenti investigandi quidem atque eruendi communiora præcepta sunt. Illud enim perspicuum est, omnium rerum in contrarias partes facultatem ex eisdem suppetitari locis. Quocirca nihil minus hæreticus e locis Theologiæ argumenta ducet, quam Theologus. Sed illius incerta, infir-

ma, & specie veri fallacia erunt: huius, ut qui non umbram, sed veritatem ipsam assecutus est, erunt certa, firma & constantia. Nec argumentationes tamen omnes Theologus e locis certas exprimit, sed interdum, imo sæpe etiam, probabiles. Nec id solum quia loci quidam incerta fere argumenta præbent, sed quia locus firmus argumentum quandoque præbet non firmum. Nolim enim quispiam hoc ducatur errore, ut si locus firmus est, omnia argumenta inde ducta esse firma arbitretur: aut si e contrario infirmus est locus, omnia ex eo accepta infirma esse. E sacris quippe literis interdum argumenta probabilia ducuntur. Vt si e sensu mystico petita sint, aut sensus etiam literalis non sit explorate difinitus. Atque e diverso historiae humanæ auctoritas, inbecilla ipsa cum sit, certa aliquando argumenta suppeditat. Quapropter ubi artem & præcepta adhibuerimus, quibus argumenta e locis Theologicis eruantur, adhuc iudicium deest, ut explorentur. Quod si nulla iudicii ratio, nullum discrimen accesserit, copia quidem argumentandi facilis & prompta erit, sed nullo in pretio tamen, nisi apud eos, qui res numero æstimare solent, non pondere. Perfectus autem absolutusque Theologus non modo varia e locis argumenta congeret, sed dissentientia & consentientia, certa que & incerta secernet. Quemadmodum enim dialectici consummati facultas duabus rebus expletur, inventionem, ac iudicio: sic Theologum instructum esse oportet cum ad inveniendum, tum adiudicandum, si ars illi in Theologia disserendi expleta futura est, per quam, dico, & sua dogmata firmare possit, & errores contrarios refellere. Theologi porro iudicium tunc mihi videor instruxisse, cum locorum Theologicorum viam & naturam expressi. Nempe e decem partibus, in quas loci Theologici amplitudinem potestatemque divisi, quænam earum partium firma argumenta continerent, quæ vero infirma patefeci. Cumque etiam veritatum catholicarum notæ eadem sint, & certissima signa, ut quæstiones fidei discernantur, & argumenta quoque certissima, ut conclusiones Theologiæ probentur: non aliud mihi negotii dandum credidi in diiudicandis argumentis, quæ dogmata nostra probarent, quam datum paulo ante fuit in iis notis edendis, quæ nostras veritates insignirent. Pars ergo illa iudicandi nec post  
ea,

ea, quæ diximus, admonitione, ac præceptis indiget, nec proprie ac locorum tractatum attinet, quem liber hic noster sua inscriptione pollicetur. Quod cum perspicuum sit, sequitur ut disseramus (id quod præsentis est negotii) quibus rebus possimus eum, quem e locis Theologiæ volumus, adipisci usum argumentandi. Vbi illud primum occurrit, quod disciplinarum ordo, rerumque contextus ipse ac connexio monet, ut quisquis e Theologiæ locis invenire cupiet, is communes præceptiones teneat, quas de inveniendis argumentis dialectici tradiderunt. Hæc etenim, si est simpliciter breviterque dicendum, quibus præceptis eruuntur a locis dialecticis eisdem ferme a Theologicis: tametsi est alius quoque quidam aditus ad Theologicos, ut ex iis peculiari via & ratione argumenta deriventur, firma præsertim, quæ usui Theologi sunt necessaria vel maxime.

Omnium autem eiusmodi præceptorum illud est caput, ut Theologus habeat omnes Theologiæ notos & tractatos locos, *Notos*, inquam, & *tractatos locos*. Nec enim memoria tenuisse sat est, sed paratos & expeditos habere oportet. Primum ergo discatur numerus naturaque locorum, qui sint, quot sint, quæ vis cuiusque ac proprietas. Quæ res sive a nobis accipiuntur, seu ab alio, qui ad hæc scribenda paratior post me atque instructior venerit, non multum refert. Certe quæ hisce rebus perdiscendis necessaria sunt, ea mediocriter, ut mihi videtur quidem, libris superioribus edocui. Locorum itaque numerum, vires & proprietates, sive hinc, sive aliunde ad manum habere, id est in eorum cognitione primum.

Proximum est locos ipsos lustrasse ac comprehendisse universos. Nam qui sacras literas aut non legerit, aut etiam lætas minime intellexerit, is quo pacto et primo loco argumentabitur? Qui traditiones Christi & apostolorum nusquam omnino observavit, quo hic modo et secundo loco argumenta ducet? Qui nec in ecclesiæ, nec in conciliorum, nec in pontificum doctrina fuerit assiduus, quem huic argumentandi usum loci eiusmodi suppeditabunt? Quas vero argumentationes et sanctis auctoribus ille colliget, qui sanctorum libros ne attigerit quidem? Quam autem disserendi facultatem e scholæ Theologis habere poterit, qui nullo se tempore in scholæ conflict-

Primum  
præcept.  
argumen-  
ti inve-  
niendi.

fictationibus exercuerit? An e Physica, Metaphysica, Astro-  
 nomia, Geometria is homo ratiocinabitur, qui humanam  
 rationem his nunquam disciplinis excoluerit? Philosophi de-  
 mum & historici ecqui ei emolumentum afferent, qui non fue-  
 rit in Illorum lectione versatus? Hæc igitur omnia, cum ar-  
 gumentum quærimus, complecti animo, cogitatione, intelli-  
 gentiaque debemus: nec locos modo habere cognitos, sed  
 ipsos etiam diligentissime coluisse. Sed ais. Est ne quisquam  
 tanto inflatus errore, ut sibi se illa scire omnia persuase-  
 rit? Ego, si Theologus isthæc non fuerit consecutus, nihil  
 sane vitupero: id reprehendo, si non secutus, nomen sibi  
 Theologi usurpaverit. Illud autem argumentandi genus, quod  
 ex omnibus locis apte ducitur, perfectum & absolutum est,  
 atque omnes numeros habet, nec præter consummatum  
 Theologum cadere in quenquam potest. Cum vero aliquid  
 persuasum est, in quo vel mediocria argumenta compareant,  
 id cumulate videtur esse perfectum, propterea quod vul-  
 gus Theologorum quid absit a perfecto non fere intelligit:  
 quatenus autem intelligit, nihil putat prætermissum. Quod  
 etiam, ut Cicero ait, in poematibus & picturis usu venit,  
 in aliisque compluribus, ut delectentur imperiti, laudent-  
 que ea, quæ laudanda non sint, ob eam, ut credit, cau-  
 sam, quod insit in his aliquid probi, quod capiat ignaros.  
 Sic nonnullos invenias, quos quoniam iidem, quid in una-  
 quaque re vitii sit, nequeunt iudicare, mirifice delectent  
 iuniorum opuscula quædam, in quibus nihil reconditum &  
 exactum est, nulla est propriis argumenta ducta: communia,  
 omnia, vulgaria, imperfecta, ac fere ex genere probabilium. Ita  
 ieiuna & arida illorum tota est disputatio, quæ vix unius fon-  
 tis, eiusque vulgaris ac triti, aqua communi & perexigua  
 rigatur. Quanto D. Thomas copiosior & nervosior est, qui  
 non solum aut rationi, aut auctoritati confidit, sed omni  
 modo argumentatur, & accurate ex omni loco disserit, testi-  
 moniisque simul ac rationibus conquisitis disputat. At obscu-  
 ra quædam in Thomæ lucubrationibus sunt, istorum vero  
 lucubrationes sunt lucidæ. Sane quidem. Non tamen ab illo  
 ita dicuntur de industria: nec in ingenio inest, sed in rebus  
 ipsis obscuritas. Et propria, quam communia, obscuriora sunt.  
 Vinum quoque aqua mixtum clarius est quidem, sed dilutius  
 est

est tamen. Merum ad bibendum difficillius, plus omnino habet viri. Ac de primo inventionis præcepto hæctenus. Reliqua persequamur.

Argumentationes porro Theologorum suis locis reddere, adeo videtur esse facile, ut non sit fortasse præcipiendum. Nemo enim tam rudis est, quin sciat eo statim unumquodque argumentum Theologiæ referre, unde petitum est, aut ad sacras literas, aut ad concilia, &c. Quamquam non est inutile argumenta, quæ in doctoribus probatis inveneris, ad locum suum quodque redigere. Hinc enim & thesaurum tibi comparabis ex aliorum inventis, & cum intellexeris cuius loci usus illis defuerit, ipse per te ea, quæ omissa sunt, diligenter inquires: ut in controversia catholicorum cum Pelagianis post sacrarum literarum, conciliorum, sedis Apostolicæ, sanctorumque testimonia, quibus Augustinus satis abunde causam obtinuit, rationes Theologiæ Thomas addidit, quæ & testimoniis pondus & causæ lucem adhiberent. Agnoscere igitur apud veteres Theologos argumentationum locos plurimum prodest, tum in intelligendis eorum virtutibus, tum in discernenda varia eorum argumentandi ratione, tum quod copia quædam paratur hac diligentia & usu, ut non solum quæ illi invenerint, ea habeamus in promptu, sed ut quoties e locis Theologiæ quæremus, similibus in rebus similes nobis argumentationes occurrant. Atque in omni arte utrumque scire operæpretium est, & quid, & quo pacto sit faciendum. Ambas vero has res imitatione peritorum sic assequimur, ut difficile sit iudicare, plus ne præceptis assequamur, an exemplis. Theologos sane, quod ad inventionem attinet, magis veterum exempla iuvabunt, quam præcepta, non dico nostra, sed ne cuiuscumque quidem alterius artificis. Prudentia nempe argumentandi, necdum scientia Theologi veteres polluerunt, qui nec indoctiores, quam recentes isti, & certe prudentiores, melioresque fuerunt viri. Nam de scripturæ sacræ peritia, in qua argumenti Theologici thesaurus præcipue inclusus est, certare cum veteribus nulli possunt. Verum non in scripturæ solum intelligentia quærenda, sed cum multis aliis in rebus negligentes iuniores sunt, tum maxime in argumentis Theologiæ propriis eruendis. Nec recentiores ego Theo-

lo-

2. Præ-  
ceptio.

logos contemno, quorum satis arguta multa, sed ut modò primumque nascentia, depicta nimis atque minuta, si ad vetera conferantur. Quæ plus nescio quo pacto videntur habere auctoritatis, plus nervorum, plus virium, non solum ad affectus promovendos, sed ad fidei quoque evincendos adversarios. In hac igitur præceptione, quamvis facili, elaborandum est, si non copiam modo, sed gradus etiam argumentorum exquirimus.

3. Præ-  
ceptio

Multo vero magis Theologo elaborandum, ut cognitis ac tractatis locis, quæstionem quam versare cupit, in locos Theologiæ coniiciat. Cum autem illam per omnes deduxerit, considerare accuratius debet, quid e singulis in utramque partem dici argumentando possit. Tum ei colligenda sunt omnia, & quæ consentire causæ propositæ, & quæ dissentire videantur, & iudicio adhibito pervidendum, utramne quæstionis partem ducta argumenta probent. Vix enim, quemadmodum supra dixi, Theologus potest ab inventione iudicium separare, si veritatem quærere & amplecti est illi institutum. Nec in omni loco tamen, aut pro, aut contra rem, argumenta semper idonea reperiemus. Non enim si aut venator aut piscator loca apta venationi ac piscationi cognoverint, quamvis diligentiam adhibeant vel maximam, protinus aut piscabitur hic, aut ille venabitur. Nulla quippe ars adeo esse certa potest, quæ non interdum operis sui fructu careat. Vt igitur in disputatione nostra loci concurrant omnes, optabile est: si minus, plures maioresque ponderis plus habebunt. Si vero nulli, non est minuenda artis opinio, nec de gradu deiiciendus animus, sed etiam atque etiam argumenta quærenda. Quamvis enim demersa sint, emergent tamen hæc aliquando: si pelagus vel immensum & nostra diligentia excitetur, & divina gratia, quæ pulsantibus aperit, & quærentibus nunquam deest. Illud autem de probabilium quæstionum genere dictum accipi velim. Nam fidei dogmata ab his locis, qui auctoritate consistunt, manant omnia. Quare nullam apud nos certum decretum est, quod non idem e locis oriatur. Non itaque verendum, ne in fidei quæstione locorum nos argumenta destituant. Sed utcumque aderunt res (nec enim omnes eodem ingenio & solertia, nec

similiter inquirimus) argumenta rerum huiusmodi semper quidem in locis inclusa erunt: eo autem eruentur vel pauciora, vel plura, quo inquirentis erit eruditio, ingenium, ac diligentia maior. Atque hæc quidem hæctenus. Patefacta enim res ipsa est, ut non sit difficile, in exquirendo argumento quid cuique faciendum, sit videre. Et multa etiam sine inquisitione seipsa offerunt, præsertim hominibus eruditis atque in harum rerum usu diu multumque versatis. Quamquam quæ cogitato meditata & præparata in disputationem inferuntur, ea iure illis anteponimus, quæ repentina animi cogitatione prodeunt. Quæ quoniam celerrima est, atque ad brevissimum tempus, offerre argumenta, potest, ponderare non potest. Itaque ut sine ullo errore, & investigare argumenta, & invenire possimus, formula quædam constituenda est, quam si sequemur in disputatione Theologica, nunquam a recto tramite recedemus. Erit autem hæc formula Theologorum rationi disciplinæque maxime consentanea. Vbi Theologo disserendi materia fuerit oblata, quæstionem accurate habet expendere, statuereque in primis cuius generis illa sit ex omni illa, quam supra explicuimus, quæstionum varietate. Nisi enim Theologus naturam quæstionis comprehenderit, nec facile intelliget qualia sint ei investiganda argumenta, nec ex quibus etiam petenda locis. Quamquam enim omnes inter se colligati atque implicati sunt, tamen ex singulis certa argumentorum genera nascuntur: nec universi, ut a principio statim huius operis dixi, æque omni quæstioni accomodantur. Cum vero genus quæstionis constituerit illud vel maxime, quod est omnium *difficilimum*, an fidei sit, an non sit: *per omnes locos* ducat eam, illos præsertim, qui erunt quæstioni magis apti & congruentes. Nam si quæstio est supernaturalis, in eos locos est conicienda potissime, qui Dei auctoritate nituntur. Sin autem est naturalis, per eos præcipue locos deducetur, qui naturæ ratione constant. Quod si mixta quæstio est, & partim a natura, partim a revelatione pendet, per omnes ducatur oportet: cuncti enim iuxta possunt argumenta præbere. Tametsi nullius omnino generis quæstio est, quæ non per omnes locos utiliter deducatur. Naturæ quippe res sæpe scriptura tra-

dit: & res quoque supernaturales vel suadet, ratio vel exponit. Ac divina auctoritas humanam fulcit, contraque humana divinæ servit. Nec vero veritas, quæ simplex esse debet, ex dissimilibus rebus misceri & temperari potest. Sed divina & humana ratio (quod sæpissime dixi) dissimiles non sunt: nec alio hæc, alio ducit illa; quin eodem spectant ambæ, & in eundem finem referuntur. Itaque accipimus, maiores nostros solitos execrari eos, qui primum hæc natura cohærentia opinione distraxissent. Quibus quidem ita sunt scholæ Theologi assensi, ut nisi has duas res in disputatione sua coniunxissent, non se putarent Theologos vere esse. Coniecta itaque per omnes locos quæstione, & collectis hinc inde argumentis, sive quæ discrepare, seu quæ congruere videantur, in utramque partem disputet: sed tamen ad extremum finiat, quid verum sit, quid contra falsum. Doceat vero primum, quid fides Christi de ea quæstione teneat, quibusque idoneis ac certis testimoniis id, quod tenet, evincat: deinde, quid aut præscribat, aut certe suadeat ratio. Nam si quæstio naturalis est, ratio præscribit; sin est supra naturam, ratio suadet. Qua in re, ut modestissime dicam, scholam apud nostros mediocriter ego iuvi. Quæ ante nos non erat adeo fidei argumentis instructa: a ratione ductis res Theologica prope modum agebatur. Ordinem ego D. Th. immutavi. Etenim in summa adversum Gentes ille quidem primo rationes, mox testimonia ponit. Ego vero in lectionibus meis semper a principio docui, quid præfinit de unaqualibet quæstione fides, tum quid ostenderet ratio. Sed immutationis huius prompta est atque expedita causa. Div. porro Thomas adversum Gentes Theologiæ negotium conficere ratione debuit, quia scripturæ testimonia apud eas vel secundo vel nullo etiam loco sunt. At apud nos, qui Christianos discipulos instituimus, primas partes auctoritas habet, secundas ratio. Quin & hunc disserendi ordinem, tamquam naturæ nostræ consentaneum, magis Augustinus probat (1): quamvis Manichæis sese atemperans, id agat interdum, quod in

(1) *De morib. eccles. cathol. cap. 2.*



in disputando fatetur esse vitiosum. *Natura*, inquit, *ordo ita se habet*, ut, cum aliquid discimus, *rationem precedat auctoritas*. Sed quoniam cum iis nobis res est, qui omnia contra ordinem & sentiunt & loquuntur, nihilque aliud maxime dicant, nisi rationem prius esse reddam, morem illis geram, & quod faseor in disputando vitiosum esse, suscipiant. Quo exemplo Thomas ad eundem modum se Gentibus accomodavit: nam in summa Theologiæ auctoritas fere rationi præparat hominem (2), ratio deinceps ad intellectum cognitionemque perducit. In ipsa vero & auctoritate & ratione sunt gradus argumentorum, & quod cuique præstet, intelligi facile potest: ut prima sint quæ e scriptura ducuntur, secunda, quæ e traditionibus Christi & apostolorum, tertia, quæ ex ecclesiæ decretis, deinceps gradatim reliqua consequantur. Est autem inter Theologos controversum, utra sit prior, scripturæ auctoritas, an ecclesiæ. Verum hæc, sicut & cætera, quæ non ad inventionem, sed ad dispositionem attinent, non putavi esse persequenda. Atque hæc res, si quando incontentionem venerit, quemadmodum diiudicanda sit, satis est, nisi male memini, supra disputatum. Illud prespicuum est, eandem omnino esse spiritus sancti in scriptura, & ecclesia auctoritatem, si res ipsas inspicias. Quare in se quidem neutra aut prior aut maior, neutra aut posterior aut minor est. Quid est ergo quod in hoc loco nonnunquam dubitationem afferre soleat, considerandumque videatur? Credo, si quando dubitatio accidit, quale sit hominis eius ingenium, eruditio, institutum, qui cum disputationem institueris, spectare decet. Ut enim sunt, qui scripturas ecclesiæ usui anteponunt, sic reperias multos, quibus ecclesiæ mos et sensus maiores esse videantur. Quia vero ecclesia prior & antiquior est, dubitare non potest, ipsius auctoritatem quodammodo esse maiorem: nam quod sit & notior, & crebrior exploratum est. At in omnibus, ut dixi, eius, cum quo disseris, habenda est ratio. Sic enim Petrus Iudæis ait (3), *Habemus firmiorem propheti-*

Hh 2

cum

(2) *Augustin. de ver. religion. cap. 24.*(3) *2. Petr. I.*

## 244 DE LOCOR. VSV IN SCHOLAST. DISP.

*cum sermonem*: cum Petri tamen sermo nullo nobis gradu inferior sit. Sed de hoc (magna enim res est) alio loco (4) pluribus. Nunc ad propositum. Illa igitur & talia circumspicienda sunt in omni quæstione, & consuetudo exercitatioque capienda, ut boni ratiotinatores argumentorum esse possimus, & addendo deducendoque videre, quæ omnium summa fiat, ex quo, quantum cuique quæstioni debeat, intelligas. Sed ut nec medici, nec imperatores, nec oratores, quamvis artis præcepta perceperint, quicquam magna laude dignum sine usu & exercitatione consequi possunt; sic argumenti Theologici inveniendi præcepta traduntur, illa quidem ut servemus ipsi, sed rei magnitudo usum exercitationemque desiderat. Quia igitur parum verba prodesse nostra poterunt, nisi ad rem conferantur, usque præcepta confirmet: necesse fuerit theses exercitationis gratia dicere, id quod fere est a peripateticis institutum. Archelaum primum scribit Diogenes in utraque partem disputasse: fides sit penes illum. Cicero enim huiusmodi exercitationem tradit ab Aristotele inventam. Cuius consuetudo de omnibus in contrarias partes disserendi, iure ab scholæ Theologis probata est: eo quod quid in unaquaque re verum sit, quid contra falsum, aliter nequeat inveniri. Quamquam enim cognitio veritatis, ut Augustinus ad Dioscorum ait (5), omnia falsa, si modo proferantur, etiam quæ prius inaudita erant, & diiudicare & subvertere idonea est: quia tamen hæc ipsa veritas elucere in disputatione nequi nisi ex utraque parte causarum sit facta contentio, nec potest fides ulla de re fieri, nisi prius adversariorum persuasiones evellantur: maxime naturale est, ut antequam probemus nostra, emoliamur adversa, & opiniones contrarias refutemus. Vix autem reperietur aliquid tam omnibus ingeniis consentaneum & quadrans, ut neminem habeat repugnantem. Omnis namque, ut Hilarii verbis utar, humani eloqui sermo contradictioni obnoxius fuit semper, non solum quia in alio capite & mente alia propemodum

sen-

---

(4) In 14. lib. (5) Epist. 56.

sententia est, sed quia dissentientibus voluntatum motibus, dissentiens quoque fit sensus animorum. Vnde existimat, Philosophorum placita dici, quod unusquisque illud ferme amplectitur, non quod ratio præscribit, sed quod placet animo: non quod dicta illa, sed quod dicat affectus. Necesse est ergo Theologis varie in contrarias partes disserendo, quasi in simulachro pugne exercere se ipsos: id quod Divus Thomas in quæstionibus disputatis diligentissime fecit. Cum vero in omnium artium usu optimorum imitatio artificium valeat plurimum, exempla in Theologia disserendi ab his peti æquum est, qui in hac arte excelluerunt: quorum Augustinus & Thomas sunt facile principes; Augustinus citra aleam; Thomas iudicio peritorum. Neque enim in ancipiti solum disputatione, in qua de universo genere utrinque disseri copiose licet, sed in omni omnino quæstione adeo hinc inde uber ac dives est, ut mirandum sit, in rebus tam multis & variis, iisque sæpe neque pervulgatis, neque tritis, egregia in utramque partem argumenta prompta illi parataque fuisse. In multis articulos, fateor, concidit, omnia, & articulo fere cuique præscripsit, velut lege quadam, argumentationum numerum. Aridum quoque illi fuit disputandi genus, & quæstionum tractatus una perpetuo specie compositus. In ea denique fuit auctorum sæcta, quæ adeo nullum florem orationis sequitur, ut apparentibus sine carne nervis, deforme videatur disputationis corpus, certe ab omni eloquentiæ ornatu alienum. Ita a doctissimo & gravissimo viro curiosi quidem homines & delicatuli longioris operis societate, fastidio similitudinis, inculturæque dictionis horrore abalienantur. Dixit in concilio Tridentino *vir eloquens* sane ac facundus, sed parum Theologus tamen, qui id suadere vellet audientibus, adversum hæreticos, præsertim Lutheranos, non esse magnum usum scholasticæ *concentrationis*, orationis potius more cum illis disserendum: nostrum enim spinosum esse ac permolestum. Quæ si vera essent, exempla in Theologia disputandi non ab his, quos ante dixi; meliora paterentur. Equidem etsi non sum nescius, quam sit, non scholæ dico in disputando mos, sed tota omnino scholæ Theologia hæreticis *invisa*, sed eo magis existimo scholasticam disserendi formam

mam ad hæreses refellendas efficaciorē, quo magis hæreticis invisa est. Quod si Lutherani academiæ subtilitate minime capiuntur, ne oratione quidem ad rhetorum leges artificiose composita capi poterunt, quoniam grandiores sunt, & callidiores effecti, quam ut orationis artificio apprehendantur. Cum autem nec argutum Theologum pertimescant, nec rhetorem quamvis eloquentem: non sunt, mihi crede, aut Theologi acumine, aut rhetoris flumine, hoc est, non verbis sunt & disputatione, sed viribus & flagellis ferendi. Verum si eo loco res sit, ut adversum Lutherana dogmata certare cogar, eligant alii (nihil enim impedio) suave orationis genus, quo mollius & familiarius homines istiusmodi ad ecclesiæ benevolentiam alluciant: dummodo mihi relinquunt scholæ ossa nervosque, ac pressam disserendi soliditatem. Quæ Augustinus porro contra adversarios ecclesiæ disseruit, tametsi & inventa sunt acutius, & dicta subtilius, quam ut quivis ea possit agnoscere; ad refellendos tamen hæreticos tanto maiorem habent efficacitatem, quanto tenuius ad vivum resecata sunt. Atque etiam quum oratorum more quasi torrens fertur oratio, quamvis multa cuiusque modi rapiat, nihil tamen fere teneas, nihil apprehendas. Cum autem ad scholæ normam certa via & ratione premitur, contineri, amplectique facilius potest. Itaque præclarum a Divo Thoma accepimus morem disputandi, si eum teneremus. Nemo viro à viro gravissimo orationis delicias querat, pigmenta muliebria, fucum puerilem, sed veras gravesque sententias, argumenta solida & propria, sermonem rei, de qua disseritur, accomodatum. Quæ omnia Divus Thomas adeo egregie præstitit, ut si vitia in eo pauca sint, quæ ab istis invidiose commemorantur, plurimis tamen, maximisque virtutibus illa compenset. Quamquam ut erat & modestus & prudens, minutissimorum articulorum numerum, legemque disputationis æquabilem tum rudioribus, tum magis suo illi sæculo dedit. Equidem non Divum Thomam modo, sed scholæ auctores quosdam alios existimo, si humaniores literas coluissent, & quæ in schola didicerant, eloqui voluissent, ornatissime splendidissimeque

potuisse facere : & viros eloquentiæ studiosos , si ab scholæ instituto non abhorruissent , sed Theologiam hanc didicissent , & tractare voluissent , gravissime & copiosissime dicere potuisse. Sed aut utrique suo studio delectati alteros contempserunt , aut nihil omni ex parte beatum , ut semper aliquid desideremus. Verum si alterum sit optandum , malim quidem indisertam scientiam , quam inscientiam loquacem. Nam exempla illa disputationis Theologicæ suis omnibus numeris absoluta is solum suppeditare potest , qui eloquentiam sapientiæ comunxerit. Age tamen , qualiacumque nostra sint , & ea ipsi afferamus , quæ etsi non meliora erunt , quam vetera , erunt tempori fortassis aptiora.

## CAPVT XII.

*Exemplum primum , ubi principium Theologiae in questionem vertitur.*

**D**E eucharistiæ sacrificio prima mihi cum Witleffistis & Lutheranis controversia est. Facioque contra institutum meum , cum de re apertissima disputationem instituo. Nam si quid adeo certum & exploratum est , ut de eo inter viros doctos constanter , perpetuoque conuenit , argumentari non soleo , ne rem minime dubiam argumentando dubiam faciam. Nec vero in hoc dabo operam , ut rem plane in ecclesia definitam meis ego argumentis probem : sed in id potius incumbam , ut unum e Theologiæ principis non tam ratiocinatione , quam expositione confirmem. Ita fiet , ut veritate illustrata , omnium tenebras depellam errorum.

Quamquam argumenta pro ecclesiæ sacrificio certissima sunt. Quibus autem Lutherani contra pugnant , ut ipsis quidem viderur , sunt maxima : ut ego vero sentio , frivola , & commentitia sunt omnia , vix digna lucubratione , & ingenio anicularum : talia certe , propter quæ non modo a communi fidelium sensu cuique esset , sed nec ab amici unius pri-

vata opinione discedendum (1). 'At discipuli cæci magistrifurentis rapiuntur errore, sibi que eucharistiam non esse sacrificium argumentando persuadent.

I. Arg.

Calvinus porro illo apostoli testimonio in primis nititur (2), *Et alii quidem plures facti sunt sacerdotes, idcirco quod morte prohiberentur permovere. Hic autem eo quod maneat in aeternum, sempiternum habet sacerdotium. Unde & salvare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum semper vivens ad interpellandum pro nobis. Talis enim decebat ut nobis esset pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, & excelsior cælis factus, qui non habet necessitatem quotidie, quemadmodum sacerdotes, prius pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi: hoc enim fecit semel se ipsum offerendo. Lex enim homines constituit sacerdotes infirmitatem habentes: sermo autem iurisiurandi, qui post legem est, filium in aeternum perfectum.* Quo loco Paulus sacerdotium veteris testamti a novi sacerdotio distinguit, quod in illo plures erant sacerdotes, in hoc unicus est sacerdos Huius vero rei causam explicat, quod illi mortales erant, quare indigebant successoribus, qui in demortuorum locum subrogarentur. At Christo, qui immortalis est, nullos oportet succedentes vicarios substituere: quales ii sunt, qui nunc quotidie sacrificant, & plures ipsi, atque mortales, ad umbras legis defleunt, in qua plures iidemque mortales facti sunt sacerdotes. Nostri quoque sacerdotes infirmi & ipsi sunt, habentque necessitatem quotidie, quemadmodum veteres, prius pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi. Novi ergo isti, cum sint veteribus simillimi, legales sacerdotes sunt, non evangelici. Confirmat autem, ut ait, hoc illud vel maxime, quod sacerdos a Deo vocatus esse debet, quemadmodum Aaron, ut apostolus idem af-

---

(1) *Lucifer. cum saepe alias tum in lib. de abrog. mis. pri. & de cap. Babyl. Oecolampad. in libello, qui a quibusdam inscribitur, de cæna Domini, cap. 9. Bucerus lib. 2. de ver. & fals. cæna Domini adm. Calvinus insit. cap. 18. Protestantes in apolog. Augusta. (2) Hebr. 7.*

affirmat (3): at nullam vocationem proferte nos possumus, quæ nostro sacerdotio patrocinetur. Evanescit igitur sacrificium, quod sine sacerdote esse non potest.

Existimat rursus Calvinus idem, Paulum cum ecclesie fide pugnare, cum in eadem epistola inquit (4), *Nec ut saepe offeras semetipsum, quemadmodum pontifex intrat in sancta per singulos annos in sanguine alieno. Alioquin oportebat frequenter eum pati ab origine mundi. Nunc autem semel in consumptione saeculorum ad destitutionem peccati per hostiam suam apparuit. Quo ex loco iterum colligit, nostros sacerdotes esse legales, quin non modo per singulos annos, verum etiam per singulos dies intrant in sancta, offerentes alienum sanguinem, qui semel iuxta apostolum oblati sunt. Cum vero diserte Paulus asserat hostiam, quæ oblatione sacrificatur, immolari & occidi necesse esse, profecto si singulis missis Christus in sacrificium offertur, singulis quoque missis interficitur. Aut ergo Pauli argumentum vanum est, cum ait, Alioquin oportebat eum frequenter pati ab origine mundi, aut si Christus in sacrificium exhibetur, vere patitur. At corpus vivum & impassibile in altari nos offerimus: oblatio igitur forsitan esse poterit, sacrificium nullo modo. Hoc vero illud argumentum est, quod Calvinus, atque Oecolampadius mire iactant: & nondum collata manu, tanquam feroces victores insultant.*

Illum præterea locum Latherani pressius urgent: *Vmbra enim habens lex futurorum bonorum (5) non ipsam imaginem rerum, per singulos annos, eisdem ipsis hostiis, quas offerunt indiescens, nunquam potest accedentes perfectos facere, alioquin cessassent offerri, ideo quod nullam haberent ultra conscientiam peccati culcores simul mundati. Et post multa alia, quæ referre longum est, ita legimus, Omnis quidem sacerdos præsto est quotidie ministrans, & easdem saepe offerens hostias: hic autem unus pro peccatis offerens hostiam: una oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos. Oblationes igitur veteris testamenti imbecillas ac debiles ostendit Paulus, quod sæpius iterabantur.*

Qui ergo in nova lege eadem sacrificia iterant, ii sua repe-

Tom. II.

li

ti

(3) Hebr. 5. (4) Hebr. 9. (5) Hebr. 10.

titione testes sunt, oblationes suas priores infirmas, exiguasque fuisse, atque adeo Christi oblationem fuisse imperfectam, qui quotidie multas adiiciunt. Medicamenti enim illa virtus est, quod Chrisostomus ait (6), ut semel imponatur, & non frequenter. Et Theophylactus, *Pharmac.*, inquit (7), *fortiora semel etiam imposita curant, quae autem saepius iterantur & imponuntur, hoc ipso ostenduntur minus fortia.* Sed & pharmacum, quod saepe admoveatur idem, significat eandem ægritudinem inturbare laborantem. Quocirca si eadem etiam hostia novis sacerdotum oblationibus, quasi idem medicamentum saepius apponitur, prima Christi oblatio nec perfecte curavit ægros, nec consummavit in æternum sanctificatos: ut pote cum homines novis quotidie ac repetitis sacrificiis curentur, sanctificentur, consummentur. Adde quod paulo post apostolus asserit, Vbi peccatorum remissio est, iam non esse oblationem pro peccato. Post Christi igitur hostiam unicam, qua omnia sunt in cruce expiata delicta, post remissas etiam per Christi sacramenta iniquitates, nulla reliqua est oblatio pro peccato. Non est itaque in ecclesiae huiusmodi sacrificium. Id quod apostolus e vestigio testatur inquiring, *Voluntarie peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, iam nulla relinquitur pro peccatis hostia.* Qui autem nullam dicit, is non baptisma solum, sed nullam dicit hostiam superesse. Nos autem dicimus; quod aliqua superest: contra apostolum ergo dicimus. Neque his occurrit potest, inquirunt, prætexendo in nova lege non varia esse aut multa sacrificia, ut olim in lege, sed unum idem saepe repeti: quomodo Chrysostomus & Theophylactus occurrunt. Quoniam apostolus a novo testamento non solum multarum diversarumque rerum sacrificia reicit, sed eiusdem etiam hostiae repetitam oblationem damnat in hæc verba (8), *Neque ut saepe offerat semetipsum,* &c. At Christus in altari se ipsum nunc etiam offert, ut posterius ex catholicorum sententia ostendetur. Iteratam quoque oblationem in veteri testamento ideo factam esse dicit,

---

(6) Homil. 17. in epist. ad Hebr. (7) In 10. cap. epist. ad Hebr. (8) Hebr. 9.



cit (9), quia prior erat imperfecta. Sive autem plures res, sive eadem sæpius offeratur, Pauli argumentum manet invictum, si prima oblatio perfecta esset, nulla posteriore indigere: ita posteriores sacerdotes ab offerendo cessaturos. Quo fieri argumentantur, ut illud alterum catholicorum effugium vanum etiam sit: Nempe apostolum loqui de oblatione cruenta, qua Christus semel in cruce defunctus est: nostras autem esse incruentas. Sive enim cruentum, seu incruentum sacrificium sit, si sæpius resumitur, prior oblatio non perfecte sanctificavit, nec exhaustis delicta præterita, pro quibus alia hostia profertur. Nulla itaque, ut putant, rima effugere possumus, sed fateamur necesse est, totam ad Hebræos epistolam novorum sacrificia sacerdotum explodere, præsertim cap. 10. ubi si Paulus de cruenta solum hostia sermonem faceret, facile eluderetur, vel quum ait, *Vbi autem horum remissio, iam non est oblatio pro peccato*: vel etiam magis quum dicit, *Voluntarie peccantibus nobis nulla relinquitur pro peccatis hostia*. Nihil enim interest, cruenta sit, an incruenta, si oblatio est & hostia pro peccato.

Ad hæc, Matthæus, Lucas & Paulus aperte narrant (10), 4 Arg. Dominum in ultima cœna non obtulisse quidem corpus & sanguinem Deo, sed eucharistiam discipulis accipiendam distribuisse. Optima igitur missa illa erit, quæ erit primæ quam simillima: prima autem cœna fuit, non sacrificium. Etenim si sanguinem pro peccatis tunc Christus obtulisset iam ante crucem essent remissa peccata, nisi frustra Christi sanguis in Cœna oblatum est, qui peccatorum remissionem non obtinuit, quam vel nunc obtinet patri a sacerdotibus exhibitus.

Ea insuper loca nobis Lutherus obiicit, quibus locis ca- 5 Arg. lix sanguinis Christi testamentum dicitur (11). Testamentum vero non est opus hæredis, sed testatoris. At sacrificium opus nostrum. Sacramentum igitur sanguinis non est sacrificium. Hanc vero ratiocinationem, bone Deus, quanto ver-

(9) Hebr. 10. (10) Matth. 26. Luc. 22. 1. Cor. 11.

(11) Luc. 22. 1. Cor. 11.

borum ornatu, quasi simiam purpura, vestit. Quæ est, inquit tanta temeritas, ut testamentum, hoc est, promissionem hæreditatis, nos opus esse nostrum dicamus, quod testatori in satisfactionem exhibemus? Et ubi de acceptis gratos nos esse oportet, ibi accedamus superbi daturi accipientia: ut testator iam non suorum largito bonorum, sed nostrorum sit acceptor. Neque enim fieri potest, ait, ut idem ab eodem simul & recipiatur, & detur, & offeratur, & acceptetur. Quam vero insanus erit pauper & indigens, si bonum opus dicat se conferre diviti, de cuius manu accipit beneficium.

6. Arg. Afferunt etiam in hanc rem sanctorum veterum testimonia. Primum illud Chrysostomi (12). *Hoc nostrum sacrificium exemplar est illius, quod Christus in cruce fecit. Non autem aliud sacrificium, sed id ipsum semper facimus: magis autem recordationem ipsius operamur.* Et Theophilaetus, Imo potius, ait (13), *memoriam illius oblationis facimus, qua se Christus obtulit.* Ex qua correctione Oecolampadius colligit, Chrysostomo & Theophilaeto missam nostram non esse proprie sacrificium corporis & sanguinis Christi, sed exemplar. Alioqui non correxissent, quod verè ac proprie dictum est. Addunt illud Augustini (14), *Holocaustis suis imaginem in ecclesia celebrandam dedit.* Et alio rursus loco (15), *Christianos, inquit, per acti sacrificii memoriam celebrare.* Et in epistola quadam ad Bonifacium docet (16), in eucharistiæ immolatione nomen rerum ipsi figuræ exemplarique tribui solere. Basilium demum apud Euthimum (17) hæc nostra exemplaria dixit esset veri sacrificii. Non ergo sunt verum sacrificium, sed sacrificii figura.

7. Arg. Nec testimoniis solum premere nos, sed etiam ratione volunt. Nam si sacrificio peccata redimerentur, quod catholici astruimus, redemptio nostra a nobis quoque ipsi per nostras oblationes existeret. Ita non solum Christus redemptor esset, sed homines etiam sui essent redemptores. Id quod stultitiæ est, manifestæ.

Ad-

---

(12) *Homil. 17. in epist. ad Hebr.* (13) *In 10. cap. epist. ad Hebr.* (14) *Lib. 83. quæstionem.* (15) *Lib. contra Faustum cap. 18.* (16) *Epist. 23.* (17) *In Marth. cap. 64.*

Addunt, fieri non posse, ut operatio nostra alteri peccati remissionem conferat ex vi ipsius operis, quod nostri quidam dicunt ex opere operato. Solius enim Christi opera, & actiones ex se peccata remittunt. At sacrificium, & missa operatio nostra est: nefarium est igitur affirmare, quod ratione sui, & Deum propitium reddat, & deleat quoque peccata. Atque in hoc uno Lutherani huius controversiæ statum constituendum censent. Asserunt enim se habere hanc rationem. adeo firmam, certam, expeditam, ut adversus omnes portas inferi consistere queat. Hanc autem rationem videtur confirmare Irenæus (18) in hæc verba, *Non sacrificia sanctificant hominem, sed conscientia eius qui offert, sanctificat sacrificium pura existens, & prestat acceptare Deum quasi ab amico. Peccator, inquit, qui occidit mihi vitulum, quasi qui occidat canem. Quoniam igitur cum simplicitate ecclesia offert, iuste munus eius purum sacrificium apud Deum deputatum est: Quemadmodum & Paulus Philipensibus ait: Repletus sum acceptis ab Epaphrodito, qua misisti in odorem suavitatis, hostiam acceptam, placentem Deo. Dixerat autem sacrificium hoc illud esse, quod ex Malachiæ primo cap. Theologi conamur inferre. Nulla igitur apud nos hostia manet, quæ ex se aliorum peccata deleat, sed si quid habet, id habet ex offerente. Quo argumento nos Bucerus impugnat.*

Præterea, remissio peccatorum, hominis sanctificatio & iustificatio est: hæc autem per fidem cuique propriam obvenit, ut ad Romanos scribit apostolus: nulla ergo sacerdotis oblatio ex opere operato aliorum peccata remittit. Nam ne Christi operationes quidem, nisi per propriam fidem applicantur hominibus, iuxta illud, *Quem proposuit Deus propitiatorem per fidem. Item, si vi sua oblatio sacerdotis aliorum diluit culpas, gratiam ergo hoc sacrificium confert. Ablutio enim culparum sine gratia aquæ salientis in vitam æternam esse non potest. Neque elabi possumus dicentes remitti per sacrificium peccata venialia, non etiam mortalia. Quoniam si sanguis Christi in sacrificium offertur, omnia pro-*

(18). *Lib. 4. cap. 34.*

perfecto remittit, qui in omnium remissionem effusus est. Nisi frustra ac sine causa catholici petimus, ut hoc sacrificium omnia crimina nostra detergat: & rursum, ut sit ablutio scelerum, & omnium remissio peccatorum.

10. Arg.

Præterea, cum catholici fateamur, in hoc sacrificio sanguinem Christi contineri, fieret, ut unico sacrificio omnes peccatorum poenę boilerentur. Res quippe oblata infiniti valoris est. Vanum itaque esset pro eisdem plures missas celebrare. Qui vero dicunt infinitæ hostiæ fructum a sacerdote offerente limitari, hi refelluntur a Lutheranis multiplici, variaque ratione. Primum, quod sacramentorum fructus non definitur a ministris: ergo ne sacrificii quidem. Deinde, quia quamvis sacerdos offerens in peccato mortali sit, sacrificium tamen illi prodest, pro quo offertur. Non ergo huius sacrificii virtus a sacerdote offerente terminum ullum accipit. Item, quia infinitæ rei pretium non minuitur, sive a paupere detur, sive a divite. Centum scilicet aurei centum valent, a quocunque tandem offerantur. Imo quo res oblata maior est, & hic, qui offert, est pauperior, eo oblatio maiori habetur in pretio. Ad hæc, si semel offero sanguinem meum Deo, sanguis meus fusus est idoneus ad omnia peccata delenda, nec pretium inamminuitur ab offerente. Martyres namque universi, inæquabilis licet meriti, æque tamen consequabantur omnium veniam peccatorum. Si igitur vere offert sacerdos sanguinem Christi, nullis eum finibus circumscribet, quin satis sit etiam semel oblatus ad omnia redimenda peccata. Sacrificium denique altaris a Christo summo sacerdote nunc etiam patri pro nobis offertur ab illo igitur infinitum valorem habet, quem videlicet eadem ex causa infinitum habuit in cruce. Neque enim illud negare possumus, cum Christus sempiternum habeat sacerdotium, unde & salvare in perpetuum potest accedentes per ipsum ad Deum, semper vivens ad interpellandum pro nobis. Atque Lateranense concilium sub Innocentio tertio, *Vn.*, inquit (19), *est fidalium universalis ecclesia, in qua idem ipse est, & sacerdos, & sacrificium.* Loquitur

tur autem sine dubio de eo, quod offerimus in altari. In concilio rursus Tridentino definitum est, nostras omnes satisfactiones Christum offerre patri: multo ergo magis illam victimam offeret, quam, ut Deum placemus, nos in altari probemus ad sacrificium. Quam rem non Ambrosius (20) modo insigniter præter latinos cæteros, sed Græci in canone suo manifeste testantur. Sane quemadmodum sacerdos non nomine suo consecrat, & conficit eucharistiæ sacramentum, ita non in nomine suo, sed Christi offert eucharistiæ sacrificium. Quod si Christi sanguis hostia nunc est ad culparum redemptionem, huius vero sanguinis pretium nullo fine concluditur, præsertim si a Christo ipso offeratur: manet omnino, unica oblatione omnes culparum pœnas solvi.

Contendit postremo Calvinus, eucharistiæ sacramentum cum sacrificii voce pugnare. Eucharistia, inquit, donum est cum gratiarum actione percipiendum: sacrificium vero est pretium, quod Deus in satisfactionem accipit. Quantum ergo interest inter dare & accipere, tantum a sacramento sacrificium distat. Hac enim argumentatione fit, ut reliqua sacramenta sacrificia esse non queant. Eucharistia quoque post peccata gratis remissa, post reconciliationem adeptam, vitæ nobis promittit, & gratiarum argumentum. At sacrificium cantilenam aliam canit, nempe, Deum quasi adhuc iratum tanquam pretio quodam exhibitio placari, nec esse expiata scelera, quæ sacrificium expiare dicitur. Præterea alia argumenta ridicula: indigna enim sunt, quibus nos serio respondeamus. Sed & illa superiora, ut ante iam dixi, tametsi in faciem apparent probabilia, diligenter tamen inspecta vana esse deprehenduntur. Id tantisper dum explico, & fidem meam de ecclesiæ sacrificio breviter expono, quæso lector attende.

Siqua disputatio est, ubi id, de quo disputetur, necesse sit definire, hanc ego vel maxime esse crediderim, quæ nobis hodie instituitur (21). Cum non modo Wicleffistas & Lutheranos, sed quosdam etiam catholicos videamus, sacrificii vi

&

---

(20) 1. lib. off. cap. 48. (21) Vide Thom. Wal. lib. de sacramental. cap. 31. & 32.

& natura ignorata, in summo errore & maximarum rerum ignoratione versari. Explicaturus igitur, quinam sacrificium sit, quidque sua definitione contineat, illud in primis accipio, sacrificium proprium esse religionis opus, id est, eius virtutis, quæ cultum Deo & cæremoniam affert. Est enim sacrificium quasi sacrum factum, ut Gregorius ait (22). Sacra vero Deo facere, haud dubie ad Dei cultum & reverentiam pertinet. Sacrificare igitur propria est religionis actio, quæ videlicet solius Dei honori dedicata est, quemadmodum Augustinus con. advers. leg. & proph. libro primo, capit. decimo octavo. Et de Civitate Dei, libro decimo, capite quarto, Actor. quoque decimo quarto cap. Lucas scribit.

Illud deinde sumo, sacrificium speciem esse operis sacri & religiosi; atque adeo opus sacrum quasi genus esse sacrificii. Etenim qui vocem hanc ad sacras omnes cæremonias & religionis actus extendunt, qua ratione id faciant, ipsi vident: certe cum perpetuo & ecclesie & scripturæ usu pugnant. Septem enim sacramenta agnoscit ecclesia, septem sacrificia non agnoscit. Non itaque quodcunque opus sacrum, quicunque religionis ritus est sacrificium. Vnde & concilium Florentinum non obscure a sacris cæteris sacrificiis distinguit. Atque in lege veteri alias fuisse leges de sacrificiis constat, alias de reliquis sacris ritibus. Quæ causa necessaria est, ne nos sacrificia cum sacris aliis confundamus. Adde, quod in sacrificio hostiam esse oportet, quæ Deo immoletur: hostiam vero in omni religiosa cæremonia velle fingere, ridiculum est. Adde etiam, quod sacrificium latinus interpret. semper appellat, quam Græci θυσιαν. Græcis autem θυσιαι non est quodlibet unum sacrum opus, sed specialis religionis cæremonia, in qua res Deo sacra vel per sanguinem, vel per ignem, vel alio quovis modo conficitur. Quanquam Theophilactus auctor est θυσιαι proprie magis esse, quæ per ignem sacrificantur, quam ea, quæ per sanguinem. Sed & Porphyrius, ab exhalatione, inquit (23), ignis quam Græci θυσιαι dicunt, Thyssia quoque, quam

ca-

(22) 1. quest. 1. cap. multi. (23) In lib. de abstinent. ab usu carn. Euseb. de præp. evang. lib. 2. cap. 6.

*sacrificium latine appellamus, apud Græcos antiquitus dicta est. Num vero non recte capimus rhytiam illum cultum appellantes, qui sanguine celebratur. Hactenus Porphyrius. Sed, ut prima vocis origo illa sit, non negant auctores hi, vulgarem eius vocis usurpationem universa ea continere, quæ vel per ignem, vel per sanguinem immolantur. Atque hæc latini interpretes sacrificia vocari perhibent. Sit itaque exploratum, sacrificium speciem quandam esse cultus sacri.*

Quod si ex usu recte loquentium, divinæque scripturæ consuetudine propria huius nominis significatio accipienda sit, inueniemus sane, sacrificium tunc solum esse, quum res aliqua sacra offertur Deo. Vbi namque oblatio non est, ibi ne sacrificium quidem esse potest. Qui enim aut baptismi, aut confirmationis, aut ordinis, aut matrimonii, aut unctionis extremæ sacramentum conficit, is quamvis sine dubio rem sacram & divinam faciat, sacrificium tamen facere non nisi absurdissime diceretur. Quoniam ne ipsa quidem eucharistia, quamdiu servatur in pixide, sacrificii nomen habet. Tunc vero primum hostia nuncupatur, quum offertur. Oblatio igitur est de ratione sacrificii. Id quod Paulus sæpe docet, ut ad Hebræos quinto, *Omnis, ait, pontifex constituitur, ut offerat sacrificia pro peccatis.* Et cap. septimo, *Pro suis delictis hostias offerre,* Et cap. nono, *Munera & hostia offeruntur, &c.* Et cap. decimo. *Eisdem ipsis, hostiis, quas offerunt indesinenter, &c.* Nec hic laborare opus est, ubi nihil est ambigui. Illud ad id, quod difficulter admittunt quidam, si vis & natura huius vocabuli perpendatur, non omnem oblationem sacram sacrificium esse, sed quiddam aliud præter oblationem sacrificii vocem vindicare: quemadmodum Divus Thomas argutissime, ut omnia, dixit (24), & Theophilactus, *Doni, inquit (25), & vitime exacta ratione quidem est discrimen. Non enim, hoc est, sacrificia sunt per sanguinem & carnem oblationes vel certe omnia, qua per ignem sacrificantur. Dona autem sunt, ut fructus & quæcunque alia exanguia & igni carentia.* Quod utique discrimen

Kk

Pau-

---

(24) 2. 2. quest. 85. art. 3. ad 3. (25) In cap. 8. epist. ad Hebr.

Paulus in epistola ad Hebræos (26) diligenter observat, *Omnis*, ait, *pontifex constituitur, ut offerat dona & sacrificia*. Et iterum (27), *Omnis pontifex ad offerendum munera & hostias constituitur*. Atque Chrysostomus (28) explicans illud, *Sacrificium & oblationem noluisti*, oblationis & sacrificii hanc differentiam esse accurate notavit. Non itaque omnis oblatio sacrificium est. Quam omnino rem illud, vel maxime argumentum probat, quod cum animalis vivi iuxta legis præscriptum fiebat oblatio, nusquam hæc aut hostia, aut sacrificium vocabatur. Nisi velis, tum a Judæis filios immolari in sacrificium, cum post purificationis cæremonias Domino sistebantur. Quod quoniam absurdum est, consentiamus, non omnes res Deo oblatas hostias esse aut sacrificia. Porro autem si circa rem, quæ offerebatur, quippiam sacri sacerdos faciebat, ut si animalis fundebat sanguinem, si thus ardere faciebat, si conterebat frumentum, si oleo similam conspersam frigeat in sartagine, tum demum vere sacrificium faciebat. Earum quippe rerum omnium sacrificia esse, Levitici secundo & sexto, Numeri quinto, & secundo Paralip. 28. cap. legimus. Scite ergo præclare D. Thomas admonuit, in eo sitam esse rationem sacrificii, si circa rem Deo oblatam quicquam fieret, quo res ipsa sacra quodammodo conficeretur. Nam si integram & illæsam sacerdos offerret, donum dicitur, & munus, non item sacrificium. Id quod in Græca voce *θύσις* explicatius animadvertitur, ut paulo ante dicebamus.

Quibus rebus expositis facile intelligitur, Lutheranos in apologia Augustana perperam sacrificium definiisse, quod sit cæremonia vel opus a nobis Deo redditum, ut cum honore afficiamus. Veluti munera, primitiæ, decimæ. Hanc vero finitionem cum exemplis suis, ut alia argumenta prætereamus, satis refellit apostolus, tum dona a sacrificiis distinguens, tum magis argumentans, quod si Christus sæpe se in sacrificium offerret, sæpe etiam pateretur.

Sed ut occultæ, atque involutæ rei notitia aperiatur, his, quæ dicta sunt, illud primum obicitur, quod Propheta (29)

(26) *Hebr. 5.* (27) *Hebr. 8.* (28) *Hom. 18. in epist. ad Hebr.* (29) *Psal. 49. 106. 115.*



sacrificium laudis sæpe commemorat, quod Paulus interpretatur (30) fructum laborum confitentium nomini Dei. Sacrificii igitur definitio non est tam anguste conclusa.

Illud deinde videtur esse contrarium, quod apostolus ad Roman. scribit (31): *Obsecro vos, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem*. Non ergo in sacrificio hostiam esse oportet, quæ mactetur, sed satis est, si corpus nostrum vivum ad sacrificium præbeamus. Tertio loco id opponitur, quod in omnium ore est, *Sacrificium Deo spiritus contribulatus* (32). Illa demum (33), *Repletus sum his, quæ misistis in odorem suavitatis, hostiam acceptam*. Et rursus (34), *Beneficentia & communionis nolite oblivisci, calibus enim hostiis promeretur Deus*. Quibus videlicet argumentis moti quidam putaverunt, sacrificii nomen terminis esse latioribus circumscribendum, & nobis enim strictissime coarctatum. Ego vero tantum ab ista sententia, ut non modo non arbitrer, veram sacrificii finitionem, quæ est a nobis anteposita, his argumentis obscurari, sed fieri etiam illustriorem existimem. Duobus quippe modis verba in sacris literis usurpantur, uno per proprietatem, altero per figuram. Atque id quidem, licet facillimum, est tamen animadversione dignissimum. Multos enim, & ex alienis, & ex nostris huius rei ignorantio fefellit. Dico igitur, nomen sacrificii dupliciter in scriptura sacra accipi, & proprie, & translate. Nos porro, quæ res definimus, necessaria Philosophiæ ducti ratione, non quid vox per metaphoram, aut alium tropum translata significet, sed qui propriæ contineat, exponimus. Sacrificii itaque natura propria plane nobis definita est, at in omnibus testimoniis, quæ contra posuimus, nominis translatio quædam & abusus est. Id quod in singulis facile intelligimus, si ea ad veram & propriam sacrificii naturam referamus.

In primo siquidem testimonio fructus laborum laudantium Deum hostia dicitur; cum lingua labiaque mortificata Dei laudibus consecrantur. *Quemadmodum enim vitulus ma-*

Kk 2

Ca-

(30) *Hebr. 13. (31) Rom. 12. (32) Psalm. 50.*(33) *Philip. 4. (34) Hebr. 13.*

status in hostiam, nullas alias edebat voces, quam in Dei laudem & gloriam; sic lingua conviciis, detractio, ac turpiloquio mortua, & soli Deo laudando sacra, quasi sacrificium quoddam offertur, iuxta illud, quod scriptum est (35): *Reddimus vitulos labiorum nostrorum*. Quanquam in psalmis dici potest, sacrificii hostiæque voces sine tropo usurpatas. Erat enim in lege præscriptum inter cætera gratiarum actionis sacrificium, in quo veræ hostiæ mactabantur. Sed Paulus (36), ut solet, per allegoriam hostias illas carnales ad labiorum laudantium Deum spirituale sacrificium traduxit.

In secundo vero testimonio expeditior & planior est metaphoræ ratio. Tunc enim offerimus corpus nostrum hostiam Deo, quum mortificamus membra nostra, quæ sunt super terram, carnemque nostram peccato quidem mortuam, viventem autem iustitiæ Domino offerimus. Quemadmodum Hieronymus, *illa*, inquit (37), *virginitas hostia Christi, est, cuius nec mentem cogitatio neque carnem libido maculavit*. Atque fortassis quum apostolus vivam hostiam dixit, quasi pugnantibus inter se vocibus de morte lusit. Similia sunt illa, quæ in deliciis est vidua, vivens mortua est, mare dulce, terra cælestis, spiritualis caro, spiritus carneus. Non itaque ex eo, quod apostolus vivam hostiam dixit, statim colligere oportet, animal non esse mactandum, quum in hostiam præbetur. Quin potius, si Pauli in genium tenemus, contrario modo argumentabimur.

Iam in tertio quoque testimonio aperta translatio est. Cor namque instar frumenti contritum, & divini amoris igne quasi succensum, similitudine quadam sacrificium vocatur. Adde, quod familiare auctoribus sacris est, imaginum vocabula rebus per imagines significatis attribuire: ut nomen Davidis Christo: Ezechielis 34. Nomen etiam Petræ eidem, I. ad Corinth. 10. Tale illud est: *Ego sum vitis vera*. Quia igitur per sacrificia illa legis, externa res quædam spirituales potiores præsignantur, has omnino res sacrificia, holocausta, hostias

(35) *Osea* 14. (36) *Hebr.* 13. (37) *Lib. advers. Ier.* 1.

stias sacrae literae appellant (38). Vt macerationes brutorum animantium figurae erant mortificationis carnalium & irrationalium affectuum, qui regnant in corpore: ideoque carnis mortificatio hostia dicitur, non proprie quidem, sed figurata dictione. Et hunc in modum caetera, quae non sunt modo longo sermone explicanda. Tres ergo priores scrupulos plane excussimus: quartum vero illum facilius eximemus, si semel stabilitum fuerit, his in locis apostolum non proprie loqui, sed figurate. Id quod liquido demonstrari potest. Primum, quia sacrificium ad religionem proxime pertinet: at elemosyna & beneficentia ad misericordiam vel liberalitatem. Dein ex illo Osee testimonio (39), *Misericordiam volo, & non sacrificium*. Quo loco sacrificium non obscure a misericordiae operibus separatur. Certe si sacrificii vox dona pauperibus collata proprie contineret, nullo modo Propheta diceret: *Sacrificium & oblationem noluisti*. Quid igitur sibi apostolus vult, quum ea munera hostias vocat, quae pauperibus tribuuntur? Nempe illa esse Deo acceptissima. Videlicet hostias credebatur populus maxime placare Deo, spirareque illi odorem iucundissimum. Gen. 8. Exod. 29. Levitic. 1. & 3. Num. 28. Vsque eo autem persuasio haec in animis vel fidelium insederat, ut praesentium sacrificiis opera interdum pietatis charitatisque contemnerent. Huius rei apostoli minime ignari & plebem iudaeam ad veram & germanam pietatem revocare cupientes, misericordiae ac charitatis officia hostias appellabant, non falso id quidem, sed verbis paululum quadam dicendi figura immutatis. Sic Paulus hostiam acceptam dixit (40) in odorem suavitatis. Sic Iacobus (41), religionem mundam, & immaculatam esse, visitare pupillos, & viduas in tribulatione eorum. Quam rem plane & sine verborum immutatione legis ille peritus significavit, in-

quiens,

---

(38) Ad eundem modum Aug. 10. de Civit. lib. cap. 6. loquitur, cum affirmat, verum sacrificium esse omne opus, quod agitur ut sancta societate imbuamus Deo. Nam cap. 5. dixerat sacrificium visibile esse invisibilis sacrificii sacramentum, id est, sacrum signum; D. Thom. 2. 2. quest. 85. 2. (39) Osee 6. (40) Philip. 4. (41) Iacob. 1.

quiens (42), *Diligere proximum*, tanquam seipsum, maius est omnibus holocaustibus & sacrificiis. Quid ergo proprie sacrificium sit, qua etiam ratione per tropum transferatur, satis dictum est. Nec hæc tamen nimis multa videri debent, cum huius vocis vi, ac potestate ignorata, multorum disputationes vagari & errare cernamus. Erant autem hæc copiosius explicanda, ne immodicæ brevitatis studio raperentur verborum pondera disserentis celeritate. Sed de his hæcenus. Sequitur, ut sacrificium in species suas quam brevissime partiamur.

Lutherani in apolog. August. duas proximas sacrificii species esse aiunt, nec esse plures. Vnum enim esse sacrificium propitiatorium, nempe ad placandum Deum, & impetrandam veniam peccatorum: alterum *εὐχαριστία*, idest, gratiarum actionis. Has duas species sacrificii magnopere oportere asserunt in hac controversia nos in conspectu positas habere, & singulari diligentia cavere, ne confundantur. Id quod ipse etiam atque etiam moneo, sed illud quoque animadverto, hac divisione multas sacrificiorum species vitiosè fuisse prætermittas. Non enim solum vel pro peccato, vel etiam ad gratiam referendam sacrificium fieri solebat, sed & vice supplicationis, ut a Deo vitæ commoditas ac prosperitas haberetur. Quod, si latine liceret, possumus impetratorium vocare. Quale fuit sacrificium Iacob Gen. 28. qualesque etiam mulier illa prætulit. Quæ in proverbii dixit (43), *Victimas pro salute devovi*. Sane in Levitico (44) post sacrificium pro peccato hostiæ pacificæ in duas species distribuuntur, ut aliæ sint gratiarum actionis Deo exorato, aliæ voto vel sponte susceptæ Deo exorando. Ac præter hæc sacrificii genera aliud fortasse fuit in hoc paratum, ut fœdus cum Deo fuso sanguine sanciretur. Cuiusmodi Exodo 24. & 4. Reg. 23. mentio fit. Vt omittam sacrificium pro consecratione pontificis (45), quod legislator a reliquis sacrificiis distinxit. Nam holocaustum, quod humanæ servitutis tributum proprium erat, & ad testationem divinæ maiestatis ac dominationis Deo sacrum, dubium non est, ad duas illas sacrificii species minime pertinere. Plura itaque, quam ~~duo~~

nos-

hostiarum genera fuere in veteri testamento : at in novo utrum unum saltem sit , quæritur. Cui quæstioni statim ego respondeo , si duo illa prius explicuero , quæ in hac controversia explicatu quidem facillima sunt , sed sunt tamen necessaria vel maxime. Illud primum est , nomen sacrificiï interdum pro re , quæ Domino offertur , interdum vero pro actione ipsa sacrificandi solere accipi. Pro re , ut ad Hebræos 5. *Omnis pontifex constituitur , ut offerat dona & sacrificia pro peccatis.* Pro actione , ut in illo apud Tullium loco , *præbere hostias ad sacrificium.* Quo modo D. Thomas hanc vocem usurpavit (46) , nec usurpavit absurde , cum artificium , lanificium , & similia ad eundem modum a doctissimis usurpentur. Alterum est , catholicos sicut eucharistiæ sacramentum , ita eucharistiæ sacrificium duobus modis asserere. Est enim sacramentum tantum , hoc est , species illæ vini & panis externæ , quæ corpus Christi ac sanguinem continent. Est item res & sacramentum , nempe , corpus Christi & sanguis , quæ res interius sub speciebus continentur. Similiter etiam in oblatione & missa nostra est sacrificium externum specierum panis & vini : quod Augustinus in Psalm. 37. *Sacrificium panis & vini nuncupavit.* Est & rursus sacrificium interius corporis & sanguinis Christi , quod Deo patri sub speciebus illis potissimum offerimus. Interius dico , non quod ipsum per species non suo quodam modo videatur , sed quod intra species inclusum , occultum in se & invisum sit.

His positis sit prima conclusio. *In lege nova vere nunc est & propria sacrificium.* Quæ omnino res primum ex Malachia aperte conficitur. *Non est , ait (47) , mihi voluntas in vobis dicit Dominus exercituum , & munus non suscipiam de manu vestra. A solis enim ortu usque ad occasum magnum est nomen meum in Gentibus , & in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda.* At interpretantur hunc locum Lutherani de sacrificio spirituali omnibus fidelibus communi. Id quod nullo pacto defendi potest. Primum , quia nostra opera omnia sunt tanquam pannus menstruata Esai. 64. non igitur possunt dici absolute oblatio munda , Lutheri præsertim , qui

I. Concl.

---

(46) 2. 2. *quæst.* 85. *art.* 3. *cap.* & *ad* 3. (47) *Malach.* 1.

qui nostras iustitias peccata esse contendit. Deinde quia offerre opus nostrum tanquam mundam oblationem & sacrificium, isti dicunt esse pharisaicum. At Propheta non loquitur de pharisaico sacrificio.

Præterea, quia sacrificia spiritualia non sunt propria legis evangelicæ, sed communia in omni lege fuere. Propheta autem diserte loquitur de sacrificio quodam legis novæ proprio ac singulari. Postremo, quia idem propheta cap. 3. loquens rursum de ipso eodem novæ legis sacrificio, *Sedebit, ait, conlans & emulans argentum, & purgabit filios Levi.* Non dicit filios Israel, sed Levi: *Et erunt Domino offerentes sacrificia in iustitia.* Peculiare ergo sacerdotium erat institutum, & peculiare sanctificandi ministri, ad peculiare sacrificium legis evangelicæ. Nam quod protestantes illud primi capituli referunt ad sacrificium spirituale commune omnium fidelium, hoc vero tertii capituli ad prædicationem evangelii, de qua Paulo ad Roman. 15. *Sanctifico evangelium,* &c. sua hac veritate testantur se a veritatis unitate discedere. Cumque hæc sint per figuratam dictionem sacrificia, qui ad tropos confugiunt hoc loco ii & omnem scripturarum vim labefactant, & sibi etiam repugnant. Fatentur enim & ipsi non esse in sacrarum literarum inteilgentia ad tropos confugiendum, nisi ex proprietate vocabulorum magna absurditas sequeretur. Nec vero cum his Augustinus facit, qui libro contra literas Petiliani secundo (48), hunc Malachiæ locum de laudis sacrificio interpretatur, de quo scriptum est, *Immolata Deo sacrificium laudis.* Sic enim & septuaginta verterunt. *Ab ortu solis usque ad occasum glorificatum est nomen meum in nationibus.* Id quod apostolus explicat inquit, *Per ipsum ergo offeramus hostiam laudis semper Deo, id est, fructum labiorum contentium nomini eius.* Sed ne Hieronymus quidem ab his dicit, quum Malachiæ testimonium his verbis exponit (49). Ergo proprie nunc ad sacerdotes Iudæorum sermo fit, qui offerunt cæcum & claudum & languidum ad immolandum: ut sciant carnalibus victimis spirituales victimas successuras, & nequaquam taurorum, hircorum-

---

(48) Cap. 86. (49) *Idem fere in Zachar. 8. cap.*

rumque sanguinem, sed thymiama, hoc est, sanctorum orationes Domino offerendas, & non in una orbis provincia Iudæa, sed in omni loco offerri oblationem nequaquam immun-  
dam, ut a populo Israel, sed mundam ut in cæremoniis Christianorum. Non sunt, inquam, pro adversariis auctores hi, nec stant a mendacio contra verum. Regula siquidem scripturarum est, ut idem Hieronymus eodem ipso loco testatur, *Vbi manifestissima prophetia de futuris textitur, per incerta allegoria non extenuare qua scripta sunt.* Cum ergo in universo orbe atque adeo apud omnes gentes una & eadem offeratur hostia munda, sacramentalis & externa quidem specierum panis & vini ab omni carnis & cruoris foeditate aliena, interior vero incruenta etiam, quamvis corporis sanguinisque ipsa sit, quid attinet vaticinationem, quam in purissimo Christi sacrificio proprie impletam cernimus, allegoricis & spiritualibus interpretationibus invertere? Non itaque si Augustinus atque Hieronymus in ecclesia gentium laudis sacrificium, sanctorum orationes, & cæteras demum spirituales hostias agnoscunt, quæ allegorice & figurate hostiæ sunt, idcirco verum & proprium eucharistiæ sacrificium excludunt. Quinimo is ipse Augustinus ad Paulinum scribens in missa & sacrificio, quod celebrat ac frequentat ecclesia, omne precum, orationum, laudumque genus, de quo Paulus 1. Timoth. 2. loquitur, contineri existimavit. Sane quidem eucharistiæ oblatio magna cum excellentia præstantiaque oblationum reliquarum, sacrificium est gratiarum actionis & laudis, in quo nomen Dei gloriosissime & magnificentissime summo splendore illustratur. Eucharistia item verum illud thymiama suavissimi odoris est, quo omnes sanctorum preces & orationes referuntur, unde iucundum & ipsæ odorem mutantur. Quæ causa Irenæo fuit (50), ut ex Malachiæ prophetia utramque hostiam in Christi ecclesia futuram intelligeret, & eam quæ proprie hostia est gratiarum actionis & laudis, quam ob id ipsum eucharistiam appellamus, & quæ figurate per allegoriam hostia nuncupatur. Verum ne prophetis obscurisque testimoniis Lutherani se

Tom. II.

Ll

im-

(50) Lib. 4. contra her. cap. 32. &amp; 34.

impugnari causentur, alterum, ex evangelio clarissimum proferamus.

Extat ergo apud Lucam (51) scriptum apertissimum testimonium ad huius rei approbationem, *Acceptio*, inquit, *pane*, *gratias egit & fregit & dedit eis, dicens, Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur: hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem*, hoc est, *accepit & gratias egit dicens, Hic est calix novum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur*. Vbi illud primum animadverto, iure Cornelium episcopum Bitontinum in concilio apud Tridentum a patribus & Theologis universis explosum, qui dixerit, Christum in cœna non suum corpus & sanguinem obtulisse. Ritu quippe Iudaico gratias Deo agere calicem in manibus accipiendo & levando, vere est hostiam gratiarum actionis offerre. Quum itaque dixit Dominus, *Hoc facite*, plane iussit apostolis, ut quod ipsum facere cernebant, id quoque illi facerent, eucharistiæ, hoc est, gratiarum actionis hostiam exhibendo. Quemadmodum Cyprianus ad Cecilium (52) enucleavit in hæc verba, *Scriptura dicit, ut quotiescumque calicem in commemorationem Domini & passionis eius offerimus, id, quod constat Dominum fecisse, faciamus*. Et paulo post. *A Domino admoniti & instructi sumus, ut calicem Domini cum vino mixtum secundum quod Dominus obtulit, offeramus*. Atque Irenæus, *Calicem*, inquit (53), *similiter suum sanguinem confessus est: & novi testamenti novam docuit oblationem. Quam ecclesia ab apostolis accipiens in universo mundo offert Deo ei, qui alimenta nobis præstat, primitias suorum munerum in novo testamento*. Et cap. postea 34. *Offerimus, ait, ei eucharistiam non quasi indigenti, sed gratias agentes donationi eius, &c.* Vbi omissis auctoritatibus non dubitem, ipsa re & ratione exquirere veritatem.

Ratio  
Irenæi.

Quemadmodum enim in rebus aliis contingit, ut eas sancte ac religiose offeramus Deo ab illo primum acceptas, ita, ac multo etiam magis, cum in eucharistia corpus Christi ac sanguinem cælestis benedictionis largitate acceperimus, impii profecto erimus & ingrati, nisi summam gratiam referamus,  
ea-

(51) Luc. 22. (52) De consecr. dist. 2. cap. scriptura.

(53) Lib. 4. cap. 32.



eadem dona, quæ a Deo accepimus, ipsi reddendo, iuxta illud quod scriptum est (54), *Tua sunt Domine omnia, & quæ de manu tua suscepimus, reddimus tibi.* Et iterum (55), *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam.* In quem locum paraphrasis Chaldaica sic habet. Calicem redemptionis accipiam mundo venturo. Nam & hunc psalmum ad mysteria & fidem evangelii pertinere, auctor est Paulus (56). Salutare autem Christus est, ut Simeon in evangelio cecinit. Sed bene. *Accipiam*: quia nisi accepero, retribuere non valeo. Et cum generaliter nihil ex nobis Deo dare possimus, sed quod ab illo accepimus, id tanquam iam nostrum iterum illi reddere, cuius dono acceperamus; peculiariter tamen hæc dona, hæc munera, hæc sancta sacrificia cœlestia erant: de cœlo ergo accipienda erant, & nomen Domini invocandum, ut tali nomine consecrata, nobis fierent corpus & sanguinis Domini nostri Iesu Christi. Quod si nos pie, grate atque sapienter sanguinem Deo proprium fundimus, ut beneficiorum non memoriam modo, sed observantiam teneamus, cur sanguinem Christi a Deo nobis proprie (57) tributum non illi refundamus, qui nobis cum filio filii sanguinem dedit? Hesiodus eadem mensura iubet reddere, quæ acceperis, aut etiam cumulatiore si possis. Nos, qui Christi sanguinem & corpus accepimus, si mensura cumulatiore non possumus, non reddemus eadem. Quid Christus? An non per amicitie vim quasi unus nobiscum effectus dona nobis a patre collata pro suis existimabat? Sane, quidem. Nisi ergo stultus fuit & ingratus accipiens panem & calicem, non solum nostro nomine gratias egit, sed Patri pro suo summo beneficio meritam ac debitam gratiam cumulatissime retulit, certe parem pari persolvit, & commemorandam, dum fidelium genus erit, persolvendamque putavit, *Hoc, ait, facite in meam commemorationem.* Te appello Luthere, atque adeo vos appello omnes Lutherani.

Ll 2

Non-

(54) 1. Paralip. ultim. (55) Psalm. 115. (56) 2. ad Corinth. 4. Luca 2. (57) Proprie dico, quia singulis attributus est: quo sensu & sol cum omnium communis sit, cuiusque etiam est proprius.

Nonne intelligitis, quam apertum vobis sit cum Christi evangelio certamen? Vos porro eucharistiam percipientes, non item offerentes, Domini quidem cœnam agitis, sacrificium vero crucis non agitis? Quod vester quidam (58) confitetur *evictus*. *In nostra*, ait, *eucharistia mors Christi tantum verbis, non etiam symbolis predicatur*. Non igitur Christiana ex eucharistia vestra. Christus enim non iussit ut dicamus hæc in memoriam eius, sed ut faciamus, *Hac facite*, ait, *in meam commemorationem*. Non est itaque in mysteriis hostia Christi dicenda solum, sed etiam facienda. Symbolis ergo, & non verbis tantummodo sacrificii Christi memoria in altari præsentanda erit. Alioqui si manducatio est, non oblatio: exemplar, & imago cœnæ erit, exemplar, & imago sacrificii non erit. Quanto melius tota per orbem ecclesia intellexit, quæ quum sacerdos confectis in nomine Christi misteriis ait, *Hac quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis*. Ipsiус voce sacerdotis illa respondet, *Vnde & memores, Domine, nos tui servi, sed & plebs tua sancta, &c. offerimus præclara maiestati tua de tuis donis ac datis, hostiam puram, &c.* Nullo ergo modo negari potest, quin ecclesia offerens corpus Christi, & sanguinem in Eucharistia, & Christi exemplo id faciat, & evidenti ratione ducta; & præcepto denique ipsius Domini impulsâ.

Sed his tamen obiicitur, quod cum apostolus illud Domini præceptum retulisset, *Hoc facite*, &c. e vestigio subiecti, *Quotiescumque enim manducabitis panem hunc & calicem Domini bibetis, mortem Domini annuntiabitis, &c.* Ipsa ergo manducatio & potatio symbolum est dominicæ passionis. Non itaque necessarium est offerre sacrificium ut hostiam Christi etiam symbolis commemoremus. Huic argumento primum ita respondeo. Non si quispiam dicat. Quotiescumque concœnaverimus, confabulabimur: mox intelligimus concœnationem & confabulationem eandem esse. Sic si apostolus dixit, *Quotiescumque manducabitis, &c.* non necesse est interpretari cœ-

---

(58) *Bucerus, lib. 2. de vera & falsa Domini cœna adm. cap. 9.*

cœnationem dominicę mortis annuntiationem esse. Volluit ergo Dominus, ut quæ mensa est, ea sit nobis & altare, hoc est, ut non modo cœnaremus, verum etiam sacrificaremus. Quare idem instituit ut esset simul & sacramentum, & sacrificium, quorum alterum dominicę cœnæ, alterum dominicę mortis esset symbolum. Pauli ergo sententia hæc est, *Ne putetis vos satisfacturos legi si manducetis & bibatis, qua in re cœna Christi commemorationem facietis: oportet enim vos mortem etiam commemorare, id quod magis sacrificando, quam manducando fit.* Deinde non inficior equidem, quin manducando corpus, sanguinemque potando in divisione sanguinis ex corpore id, quod in cruce gestum est aperte designetur, *Cum frangitur hostia*, Augustinus ait, *cum sanguis Christi in ora fidelium funditur, quid aliud quam dominici corporis in cruce immolatio designatur?* Sed re vera: ut diximus, in separatione sanguinis a corpore mors significari potest, non autem proprie significatur hostia, nisi corpus quod moritur offeratur. Ququam consumptio specierum oblatarum ad perfectionem sacrificii pertinet. Ita populus cum sacerdote hostiam olim consumens, vere explebat sacrificium, atque adeo hostiæ crucis perfectum signum dabat.

Illud præterea animadvertendum censeo, quamvis Christus in cœna nullum omnino sacrificium obtulisset, eo tamen quod dixit, *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur*, &c. mox vero subiungit, *Hoc facite in meam commemorationem*, satis ostendisse, nos mystice corpus tradituros, sanguinemque effusuros: quod re ipsa aperte & sine mysterio ipse erat postea facturus. Hoc scilicet, quod ego faciam, vos facite; sed ego faciam sacrificio cruento, vos facite in meam commemorationem incruento. At Dominus, ut in Græcis omnibus exemplaribus videre licet, semper est usus verbo præsentis temporis. Non enim ait, *Hoc est corpus meum, quod pro vobis dabitur*, sed *quod pro vobis datur*. Nec si verbum verbo reddas, dixit (59), *Hic est sanguis, qui pro vobis effundetur*, sed *qui pro vobis effunditur*. Et apud Paulum (60),

τὸν

τῶν μου σῶμα τὸ ὑπὲρ ὑμῶν κλάμινον, id est, *Hoc meum corpus, quod pro vobis frangitur*, quemadmodum & Ambrosius in hunc Pauli locum, & Beda enarrans evangelium Lucæ legunt. Nec dubitandum catholicis est, quam rem posterius explanavimus, in altaris sacrificio sanguinem Christi fundi non *aliter ad effectum*, quam si nunc funderetur in cruce: corpus Christi item frangi ad efficientiam perinde ut si nunc nobis in cruce frangeretur. Præterquamquod in sacrificio externo mystice, & tanquam in exemplari, atque imagine, & sanguis Christi funditur, & frangitur corpus. Vnde Augustinus (61), *Quum frangitur hostia*, inquit, *quid aliud quam dominici corporis in cruce immolatio designatur?* Ac ne sacramentum quidem solum, sed verum etiam corpus Christi sacerdotum manibus frangi, Romanum concilium sub Nicolao definiit (62). Videsne quemadmodum nobis omnia consentiunt, qui & Christum in cœna corpus suum & sanguinem mystice tradidisse, & ad eandem nos formam instituisse non rebus solum & rationibus, sed verbis quoque ipsis efficiunt? Nihil enim prohibet, quum Lutheranos redarguimus, exemplaribus Græcis præsertim consentientibus adhærescere.

Sed quia sacramentarii causantur se his fere argumentis non premi, ut quæ maiori ex parte sumant, corpus Christi verum & sanguinem in eucharistia esse, id quod isti pernegant, age rationibus conquisitis hos quoque urgeamus. Tametsi quædam ex his quas ante posuimus, Sacramentarios etiam pressius astringunt, quam ut fugere aliquando possint. Atque, ut omittam quod rem perspicuam, atque e sacris literis manifeste exploratam & comprehensam inficiantur, nolo enim hodie hac de re cum Sacramentariis certare: de sacrificio dico; etiamsi in speciebus panis & vini nec corpus Christi, nec sanguis essent ut vere sunt, adhuc tamen sacrificium in altari christianorum existere multis & gravibus argumentis posse doceri. Est hoc primum & ex definitione sacrificii, & ex perpetua consuetudine ecclesiæ gravis-

---

(61) *De consecr. dist. 2. cap. Quum frangitur.* (62) *De consecr. dist. 2. Ego Berengarius.*

Vissimum, & firmissimum argumentum, quod sacerdotes nostri panem, & vinum offerunt Deo, faciuntque sacri aliquid circa res oblatas panem scilicet frangentes, huiusque portionem tingentes vino: adde, si placet, rem utramque etiam consumentes: vere ergo & proprie sacrificant. Si enim oblatio similæ ac farinæ conspersæ oleo in figuram mortis Christi futuræ sacrificium erat, nihil est ambiguum, quin panem oblatum frangere, ac vino tingere in figuram mortis præteritæ sacrificium sit. Quid autem in hoc opere Lutherani reprehendent? An quod panis & vini munera a Deo accepta referimus? Arguant Abel ac cæteros in lege naturæ patres, arguant Moysem cum scripta lege sua, arguant oblationes, quas in ecclesia primitiva pie offerri solere, libenter illi concedunt. Quin naturam ipsam potius arguant, quæ nos ad gratiam referendam informavit, quam Deo tamen referre aliter non valemus, nisi dona quæ accepimus, ipsi reddendo. Sed panem frangi ac tingi reprehendent. At hisce cæremoniis crucis immolationem designamus (63). Mirum est autem, si hoc nobis vitio vertant, quod Christi passionem, non verbis modo, sed rebus etiam commemoremus, præsertim cum Dominus dixerit, *Hoc facite in meam commemorationem*. Sane si illud peccatum est, qui baptizant, ii quoque peccant, quoniam symbolis mortem Christi figurant. Si ergo huius verbi definitio recte nobis declarata, & circumscripta est, sine dubio sacerdos in altari vere sacrificat: quamvis nihil aliud spectes quam species ipsas vini & panis externas. Atque etiam, si sacrificii partes ipsas expendas, hoc est, offerri, frangi, tingi, adde etiam consumi: cum in his rebus mystice peragendis, nihil insit vitii, quemadmodum ostensum est, fit, ut non solum vere ac proprie, sed pie etiam, atque religiose sacerdotes nostri sacrificent, Eam quippe rem Augustinus considerans speciem panis hostiam appellat (64), quod utique nomen usque adeo in omnium fidelium, & auribus, & linguis inhæsit, ut vanus & stul-

---

(63) *De consecr. dist. 2. cap. Quum frangitur.*

(64) *De consecr. dist. 2. cap. Cum frangitur hostia.* •

stultus sit, qui illud inde evellere tentarit. Sacramentarii igitur quamvis negarent esse in ecclesia corporis & sanguinis Christi sacrificium, at sacrificium panis & vini (65) nullo modo erant negaturi, nec propriam sacrificii notionem ignorare viderentur.

Præterea Melchisedech sacerdos erat Dei altissimi: sacrificium ergo offerebat Deo, omnis enim sacerdos constituitur, ut sacrificium offerat; at non legitur aliud quam panem & vinum obtulisse. Cum igitur nos ad eundem modum & ordinem panis, & vini species offeramus, proprie, verè que sacrificium exhibeamus. Quæ causa ecclesiæ fuit, ut illud Divi Thomæ in die festo, atque solemnè eucharistiæ celebraret, sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech panem & vinum obtulit. Verum argumentum hoc Lutherani duobus modis eludunt. Primum negant, Melchisedech Deo panem, & vinum obtulisse, scilicet, Abrahamo obtulit, non Deo, ut Genes. 14. cap. legitur. Id quod Epiphanius, lib. 2. contra hæreses, hæresi 55. agnovit. Deinde negant, sacrificium Christi in eo fuisse secundum ordinem Melchisedech, quod panem & vinum obtulerit, sed in eo fuisse affirmant, quod Christus non secundum legem mandati carnalis oleo isto corporeo sacerdos effectus est, sed quemadmodum Melchisedech, oleo spiritus unctus sit a Deo præ participibus suis. Sic enim apostolus ad Hebræos interpretatur (66). Sed scrupulus prior sic eximitur. Non inficior equidem, Melchisedech panem, & vinum Abrahamo ad reficiendum exercitum contulisse, sed cum scriptura statim adiecerit, *Erat enim sacerdos Dei altissimi*, nisi causa inepta est, intelligere oportet, easdem res obtulisse solitum Deo, quas tunc proferebat Abrahamo, sed huic in cibum, illi in sacrificium. Quemadmodum Cyprianus ad Cæcilium, Ambros. lib. 5. de sacramentis, cap. 1. Hieronymus in 26. Matthæi caput. August. in psalm. 33. concion. 1. Cassiodorus in psal. 109. Damascenus, lib. 4. cap. 14. Chrysost. hom. de pro-

---

(65) *Sacrificium panis & vini August. vocat. in psalm. 37.*  
 (66) *Ad Hebr. 7. Euseb. 1. lib. eccles. hist. cap. 1.*

dit. Iudæ auctores sunt (67). Scrupulum vero posteriorem hoc modo eximemus. Non si in una re sacerdotium Christi simile est Melchisedechis sacerdotio, omnis alia similitudo excluditur. Quin si figura perfecta est, apte quadrare ad multa potest. Nihil igitur obstat, cur non in sacerdotii & constitutione, & oblatione Melchisedechi Christus appareat simillimus. Lex insuper, & religio nulla est sine sacerdotii munere atque functione. Hæc enim tria ita sunt, sæmperque fuere coniuncta, ut si unum tollas, reliqua necesse sit esse sublata. Translatio, inquit (68), sacerdotio necesse est ut & legis translatio fiat. Si ergo Christiani legem, ac religionem habemus, habemus profecto & sacerdotium. Ac sacerdos omnis in hoc paratur (69), ut sacrificium offerat: Christiani ergo etiam num sacrificium tenemus, sine quo nec sacerdotium, nec religionem, nec legem tueri possumus. At nos omnes esse sacerdotes affirmant, hostiasque spirituales offerre. Sed cum hæ non proprie sint hostiæ, sed translate, sacerdotium quoque non proprium, sed translatum, & improprium erit: translato vero sacerdotio, religionis item translatio fiet. Ita nimirum qui nobis sacrificium eripiant, simul hi & veram Christi religionem conantur eripere, & falam eius inducere, qui iuge ab ecclesia auferet sacrificium. Nam & Danielis testimonio (70) constringi fortius poterunt, quam ut elobantur. Rogandi sunt videlicet adversarii, quodnam sit illud iuge sacrificium, quod Antichristus ab ecclesia ablaturus est per dies 1290. Et cum in ecclesia non sit aliud sacrificium iuge præter id, quod in altari offerimus, iure arguimus, Lutheranos Ministros esse Antichristi. Sed quid ego argumentor? quid plura disputo? Etiamne in tam perspicuis rebus argumentatio quærenda, aut conjectura capienda est? An dubitari potest, ubi nullum peculiare sacrificium, privatim res sacra nulla, sacerdos proprie nullus est, ibi ne religionem quidem esse posse? Tradit Plato (71), sa-

Tom. II.

Mm

cer-

(67) De consecr. dist. 2. in calicem, &amp; cap. Accipite.

(68) Ad Hebr. 7. (69) Ad Hebr. 5. &amp; 8. (70) Dan. 12.

(71) Lib. 16. qui est de regno.

cerdotes magna claritate oportere abundare propter eorum, quæ tractant, magnitudinem. Quapropter apud Ægyptios non licere regem absque sacerdotio imperare. In plurimis quoque Græcorum civitatibus præcipua sacra a magistratibus summis institui, atque apud Athenienses creato regi sacra maxima esse attributa. Tradit rursum (72) oportere, ut unus semper ex magistratibus deorum alicui pro civitate sacrificet. Aristoteles deinde auctor est (73), in heroicis temporibus reges divinæ rei cultum exercere solitos, nisi talia essent sacrificia, quæ sacerdotium requirerent. Docet alio loco (74) idem, in optima Republica sacerdotes honoratissimos constituendos. Neque enim, ait, agricola, neque artifex, neque vilium exercitiorum quisque sacerdos est deputandus: honos namque diis est a civibus impendendus. Cicero & Valerius (75) scribunt, tantum studium antiquis observandæ religionis fuisse, ut senatus tunc, quum florebat imperium, decreverit, ut de principum filiis pauci quidam electi Hetruriæ populis ad disciplinam sacrorum percipiendam traderentur, ne ars tanta propter tenuitatem hominum, & religionis auctoritatem adduceretur ad mercedem & quæstum. Tantus honos apud veteres natura duce religioni est habitus, ut nulli nisi principes & optimates cæremoniarum erga Deum haberent facultatem. Et volunt Lutherani adeo Christum disipuisse, ut Rempubl. instituerit, in qua sacrificia omnia vulgaria passim, & contrita essent, sacerdotes deliri etiam senes, garrulæ anus, adolescentes leves, sartores, lanii, & coqui, quos, honos præfandus sit, si vel cursum velis recensere. Scilicet, sacerdotium nostrum Lutherani Turcarum more informare cupiunt, apud quos a communi populo non multum sacerdotes differunt. Quanto religiosius antiqui olim Germani statuerunt, ut verberandi, animadvertendique in hominem nisi sacerdotum auctoritate nullis esset concessa facultas, quo iudicia non humana, sed di-

vi-

---

(72) *Dial. 8. de leg.* (73) *Lib. polit. 3. cap. 10.*  
 (74) *Lib. polit. 7. cap. 9.* (75) *Lib. de divin. Cicero. lib. 1. Valerius.*



uina viderentur. Sed quid ego communes naturæ ratione profero? Ad nostras, hoc est, Theologicas redeamus. Apostolus fideles cupiens ab idolorum cultu deterrere (76), eo maxime argumento usus est, quod si idolis immolarent, participes essent altaris, & mensæ impiæ, atque irreligiøsæ: nam sine discrimine eandem vocat, & mensam, & altare. Qui autem ad altare Christi accedunt, participes sunt huius etiam altaris: fieri autem non posse, ut utriusque simul participes simus, nisi Deo, & idolis pariter seruiamus. Altare igitur habet ecclesia, habet igitur sacrificium. Etenim sicut mensa dicitur, in qua editur cibus, sic altare, in quo offertur sacrificium. Negent ergo altaria fidelibus Lutherani, solum contendant mensas: quia cibus nobis esse aiunt, sacrificium non item. Nec altaris modo, sed & missæ nomenclaturam adimant, quæ cassum quidam, & inanis vocis sono decoratum erit, si nobis in altari oblatio non est. Missæ porro vocem ex Hebræa lingua mutuo acceptam cum doctissimi e nostris, tum plerique e Lutheri familia testantur (77). Est autem Hebræis Micçā oblatio.

Sane vero tum altaria, tum ablationem corporis, & sanguinis Christi, quam missam & sacrificium appellamus, ex apostolorum traditione nos habere, exploratissimum erit, si regulas eas huc referamus, quæ investigandis apostolorum traditionibus libro huius operis tertio sunt a nobis constitutæ. Certe (78) Irenæus verbis nihil obscuris affirmat, ex traditione apostolorum esse, quod corpus & sanguini Domini offeramus. Andreas quoque apostolus, referente Philacto ex literis sacerdotum Achaia Egææ proconsuli, immaculat-

Mm 2 . . . . . tum,

---

(76) 1. Cor. 10. (77) Deuteron. 16. ubi nos habemus spontaneam oblationem, Hebræi habent Micçam. Quo etiam significatu concil. Carthag. 4. cap. 84. hoc nomen usurpavit, in hæc verba, episcopus nullam prohibeat ingredi ecclesiam, & audire verbum Dei, sive gentilem, sive hereticum, sive Indæum, usque ad missam cathæcumenorum, de conse. dist. 1. Episcopus.

(78) Lib. 4. cap. 32. 33. & 63.

tum, ait, agnum quotidie in altari sacrificio (79). Iacobum & missæ celebrationem addidisse, testes sunt patres Trullanæ synodi, canon. 32. (80) Concilium insuper Carthaginen. 3. ait, Dominum tradidisse, ut in sacramento corporis & sanguinis eius nihil amplius, quam panis & vinum offerantur. Sed, ut dixi, nihil est opus oratione longiore, ubi promptum est formulas illas quærendæ traditionis ad præsentem disputationem accommodare.

Iam ecclesiæ auctoritas pro hac conclusione notior & crebrior est, quam ut indicanda sit. Nihil enim frequentius tum in canone, tum alias sæpe intonat, quam hostiam Deo se corporis, & sanguinis Christi puram & immaculatam offerre.

Concilia vero ab hac sententia sunt plurima (81). Toletanum primum, cap. 5. Toletanum undecimum, cap. 14. Toletanum duodecimum, cap. 5. Bracharense tertium, cap. 1. Antisiodorensis, cap. 8. Carthaginense tertium, Ephesium, Nicænum, cap. 14. Lateranense sub Innocentio 3. Adde etiam Trullanum, quod nomine sextæ synodi a Gratiano refertur. Adde etiam Florentinum in decreto unionis Armenorum. Sed & in concilio Constantiensi ille error condemnatus est, *Non esse fundatum in evangelio, quod Christus missam ordinaverit.*

Quid sedis Apostolicæ antistites? Nempe, eandem apostolorum, & ecclesiæ fidem profitentur. Anacletus, de consecrat. distinct. 2. cap. *Episcopus* Clemens, de consecrat. distinct. 2. cap. *Hic ergo.* Alex. 1. de consecrat. dist. 2. cap. *Nihil.* Eusebius, de consecrat. distinct. 1. cap. *Consulto.* Iulius, de consecrat. distinct. 2. cap. *Cum omne crimen.* Felix, de consecrat. dist. 2. cap. *Sicut non alii.* Sother in epistola ad episcopos Italiæ. Syricius ad Cumerium Tar-

ra-

(79) De consecr. dist. 1. cap. Iacobus. (80) Cap. 24.

(81) De consecr. dist. 1. in Sacramento. De consecr. dist. 2. necessaria 93. dist. pervenit, de summ. Trinit. firmiter de consecr. dist. 2. didicimus. Concilium item Martini Papa, de consecr. dist. 2. Non oportet. Epist. 3. qua est de officio sacerdotis.

raconens. episcopum, cap. 1. Innocent. 1. ad Exuperium Tolos. episcopum, cap. 1. Leo ad Dioscorum, epistol. 79. de consecrat. dist. 1. cap. *Necesse est.* Hi omnes antiqui ecclesiæ pontifices, nam posteriores quid attinet commemorare?

Auctores vero veteres, quos ecclesia & consecravit, & publice dedicavit, si referre velim, negotium lectori facessetur. Itaque non omnes referam, sed nobilissimos. Docent in primis hoc ex Græcis Dionysius, cap. 3. libr. de eccles. Hierarch. Ignatius, in epist. ad Smirnens. Athanasius, in lib. quæstionum ad Antiochum, quæst. 34. Gregorius Nazianzenus, in carminibus ad episcopos. Eusebius Emissenus, de consecr. dist. 2. cap. *Quia corpus.* Chrysost. homil. 17. in epist. ad Hebræos, qui falso nomine Ambrosii citatur a Gratiano, de consecr. dist. 2. cap. *In Christo.* Chrysostomus quoque idem, lib. 6. de sacerdot. paulo post principium. Cui Theophylactus consentit in cap. 10. epist. ad Hebræos. Et Damascenus, lib. 4. cap. 14. E Latinis vero habes Irenæum, lib. 4. cap. 32. & 33. & 54. & 63. Cyprianum, lib. 2. epist. 3. quæ scribitur ad Cæciliam, de consecr. dist. 2. cap. 1. & 2. Atque idem repetit in sermone de cœna Domini. Ambros. lib. 1. officiorum, cap. 48. Hieronym. ad Hedibiam, quæst. 2. & ad Tit. 1. Paschasium, in lib. de pascha, de consecr. dist. 2. cap. *Iteratur.* August. lib. 10. de civit. cap. 20. & lib. 17. cap. 20. & lib. 20. contra Faustum, cap. 18. Quem locum & Calvinus, & Bucerus impudenter pro se referunt. Gregor. 4. libr. dialogorum, cap. 58. & in quadam homil. paschali, de consecr. dist. 2. cap. *Quid sit.* Fulgentium denique, lib. 2. ad Monimum.

At omnibus his testimoniis Calvinus respondet, eucharistiam ideo à patribus *sacrificium vocari*, quia est exemplar & imago sacrificii. Nec enim aut novum, aut insolitum est, rerum vocabula, rerum imaginibus attribuere. Ad Galat. 3. *Ante quorum oculos Iesus Christus proscriptus est, & in vobis crucifixus.* Ad Rom. 6. *Consepulti in baptismum.* Apocal. 10. *Agnus, qui occisus est ab origine mundi.* Sic autem Chrysostomum, Theophylactum, & Augustinum fidem suam de sacrificio

explicuisse. Hæc Calvinus (82). Nam Bucerus dicit quidem, alios patrum in hæc sacrificii appellatione id spectasse maxime: sed alii tamen in usu, inquit, huius vocis præcipue spectarunt oblationes, quas suarum rerum fideles offerebant, & Domino consecrabant. Id quod Lutherus etiã animadverterat in libro illo pestilentissimo de captivitate Babyloica. Sed scitum illud est, qui verecundiæ fines semel transierit, eum bene & naviter oportere esse impudentem. Primum enim isti colligunt, si sancti auctores asserunt, eucharistiam esse exemplar sacrificii in cruce facti, statim haberi, non esse verum sacrificium. Quod si ad eum modum colligere licet, ne vetera quidem sacrificia proprie & vere sacrificia fuissent, quoniam omnia figura, & imago erant unicæ illius hostiæ, quam Christus moriens immolavit. Vtrumque igitur signum unius & eiusdem hostiæ censendum est: nostrum quidem præteritæ, illud autem legis veteris futuræ: sed utrumque tamen vere sacrificium. Nisi quis adeo insaniat, ut putet, magis pertinere ad rationem sacrificii, quod significet rem faciendam, quam quod commemoret rem factam. Ego sane ita iudico, eucharistiam nostram exemplar sacrificii Christi esse non posse, nisi esset quoque ipsa sacrificium. Quæ res paulo ante est a me diligenter explicata. Quemadmodum enim cœna nostra commemoratio non esset Dominicæ cœnæ, imagoque illius & exemplar, nisi vere manducaremus: sic nec eucharistia nostra hostiæ Christi exemplar, & imago esset, nisi vere sacrificaremus. Deinde illud ab his quæro, an sancti dicant, offerre nos in hoc mysterio corpus Christi, & sanguinem. Bucerus negat, sed rem tamen apertam negat. Nam, ut cæteros omittam manifeste id tradunt Cyprianus ad Cæcilium, Ambros. libr. officiorum 1. Augustin. 17. de civitat. Dei, & contra Faustum, libr. 20. Damascenus, libr. 4. Irenæus item libr. 4. Ac demum Alexander papa ad omnes orthodoxos: nolo enim esse longus in reliquis excitandis. Quod si sanguinem Christi in hoc mysterio offerimus, vere illud

illud est quidem sacrificium, & exemplar est tamen; quoniam hostiæ cruentæ imago incruenta est; sed ita incruenta, ut pro eo sit, ac si nunc cruor ipse effunderetur.

Atque argumenta hæc usque adeo plerosque Lutheranos cogunt, ut in sacrificio asserendo ex parte iam cum ecclesia consentiant. Non enim penitus sacrificium negant, sed in eo perstant, qui hostiam pro peccatis admittunt, eos iniuriam imponere Christi perfectissimo sacrificio, quo uno cuncta sunt remissa peccata. Itaque gratiarum actionis sacrificium in ecclesia esse quidem, quod eucharisticum isti vocant, sed pro peccato nullum esse, quod propitiatorium appellant.

At nobis secunda in hac controversia conclusio certissima, & ipsa est, *Eucharistiam non modo iuxta nomen suum sacrificium esse, quo Deo gratiam referamus, sed id etiam esse, quod nobis Deum placatum, propitiumque reddat. Eandem itaque hostiam pro gratiarum actione, & pro peccato esset.* Hæc primum ostenditur ex illo loco apud Lucam (83), *Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur.* Et de calice similiter, *Qui pro vobis effunditur.* Est ergo sacrificium pro peccatis. Id quod forma consecrationis præ se fert (84), quæ habet, *Effundi sanguinem in remissionem peccatorum.* Nam quod Lutherani quidam aiunt, verba, quibus hoc mysterium sacerdos conficit, materialiter accipi, non significative, non est huius loci, temporisque refellere. Illud sane exploratum est, si verba formæ materialiter acciperentur, nec sacerdotem in Christi nomine corpus, sanguinemve conficere; immo ne conficere quidem ullo modo. Quin etiam, si sacerdos verba illa significative non profert, ex vi verborum, neque corpus Christi in sacramento habemus, neque sanguinem. Ex quo sacramentarium stultitia existit.

Deinde, omnis sacerdos, ut ad Hebræos tradit apostolus (85), constituitur, ut offerat dona & sacrificia pro peccatis: aut ergo nullus nobis sacerdos est, aut sacrificium propitiatorium habemus. Nec vero Paulus de solo legali sacer-

(83) Luc. 22. (84) Ambros. de consecr. dist. 2. cap. Si quiescuntque. (85) Hebr. 5.

doce loquebatur, nisi inepte argumentatus fuisset, Christum pro peccatis quoque obtulisse, quoniam sacerdos erat.

Præterea, pœnam aliquam manere remissa iam culpa, non solum ecclesia definiente, sed scriptura etiam tradente credimus. Cum ergo corpus Christi & sanguinem Dei dono tanquam res nostras habeamus, utique poterimus offerre Deo ad redemptionem animarum nostrarum, quemadmodum & pœnas proprias, & sanguinem quoque nostrum offerimus.

Hanc vero esse apostolicam traditionem, & Epiphanius lib. 3. contr. hæreses, & Chrysost. ad populum Antioch. aperte docent, & facile per regulas supra a me positas ostendi potest, quas permolestum erit post tam longam disputationem ad huius nos loci usum in præsentia convertere. Quinquam una ecclesia satis est ad huius rei certam fidem in animis inserendam. Illa quidem cum alias frequentissime tum in canone maxime proficitur, plebem sanctam fidelium hanc hostiam Deo pro redemptione animarum suarum offerre.

Romanos vero pontifices supervacaneum erit recensere. Itaque duos tantum antiquissimos & sanctissimos referemus, Alexandrum in epistola ad omnes orthodoxos inquentem, crimina atque peccata his sacrificiis deleri. Cui assentitur Iulius de consecr. dist. 2. cap. *Cum omne crimen*. Quibus divum etiam Gregorium addo de consecr. dist. 2. cap. *Quid sit*.

Nam in conciliis habemus Cambilonense de consecr. dist. 1. cap. *Visum est*. Florentinum quoque habemus, ac Tridentinum: adde etiam, si videtur, & Trullanum.

Iam sancti veteres eam rem constantissime tradunt. Chrysostomus homil. 17. ad Hebræos, & Theophylactus in cap. 8. eiusdem epistolæ palam dicunt, in mysteriis & sacrificio esse remissionem peccatorum. Eusebius Emissenus hanc redemptionis oblationem vocat. Damascenus affirmat esse omnis sordis expiationem. Idem astruxit & Athanasius lib. quæst. ad Antiochum. Epiphanius item inducit hæresim Aërii in hæc verba, *Orat vivus aut dispensationem facit, idest, missam: quid profuerit mortuo?* Cui respondet Epiphanius, quod omnino prosunt preces eiusmodi defunctis, etiam si totam culpam non abscindunt. Quem locum incredibile dictu est, quam prave Bocerus torquere nititur. Sed bene habet, quod habemus alios, quos hæ-

hæretici, rumpantur licet, torquere non possunt. Chrysostomus homil. 69. ad populum Antiochenum, *non temere*, inquit, *ab apostolis hæc sancita fuerunt, ut in tremendis mysteriis defunctorum agatur commemoratio. Sciunt enim, inde multum eis posse contingere lucrum. Cum enim totus constiterit populus, sacerdotalis plenitudo, & tremendum proponatur sacrificium, quomodo non exorabimus pro his deprecantes?* Vide etiam eundem lib. 6. de dign. sacerd. Gregorius lib. 4. dialog. cap. 55. *Si culpa, ait, post mortem insolubiles non sunt, sicut non esse docuerat, multum solet animis etiam post mortem sacra oblatio hostia salutaris adiuvare.* Theophilactus in cap. Luc. 12. in illud. *Eum timete, &c. Non semper, ait, qui moriuntur peccatores mittuntur in gehennam. Sed sunt in potestate Dei ut etiam dimitti possint. Hoc autem dico propter oblationes, quæ fiunt pro defunctis, quæ non parum conducunt etiam iis qui in gravibus peccatis mortui sunt.* Vide etiam Ambrosium epistola 8. lib. 2. ad Fausti. Et Cyprianum lib. 1. epist. 9. nam in sermone de cœna Domini aperte dicit, hoc sacrificium esse iniquitatum expiationem. Vide etiam Paschasium de consecrat. dist. 2. cap. *Iteratur* Et August. de cur. pro mort. geren. cap. 1. & lib. con. 9. cap. 11. & 28. & de hæ. cap. 53. & in enchir. cap. 110. Possemus his Theologorum sequentium manum adiungere, in hæreticorum cæde iam sæpe victricem. Sed victoribus occurrent actò iam de inimicis ecclesiæ triumpho. Itaque ad prælium sero venient quidem, sed ad palmam opportune: Quanquam hoc loco necesse fuit eos advocare, non ut nostra confirmarent argumentis ac rationibus, sed ut scholæ more presse, atque argute contraria refutarent. In refutandis quippe hæreticorum argumentis tantum scholæ Theologia valet, ut facile possit ea, quæ istis videntur esse gravia, ostendere vel levissima.

Primum sane argumentum, quod Calvinus tantopere iactat, facillime diluitur. Quis est enim, cui non perspicua sint illa, quæ verbis iste multis exornat, & amplificat? Vnicum sacerdotem nostrum prestitisse id, quod omnes illi veteres minimè præstiterunt, nempe remissionem peccatorum in sanguine proprio. Rursum immortalem esse & perpetuum, qui semper coram Deo pro nobis assistat, nec suorum modò vulnerum cicatrices, sed etiam sanguinem, quem effudit in cruce,

Respon.  
ad 1. Arg.

omneis ecclesie & oblationes & orationes, sed demum, ecclesiamque suam patri in sublimi altari representet. Item una sola oblatione confecisse, quod ne plurimis quidem veteres illi sacrificii valuerunt. Hæc videlicet contrita sunt, & vel minutis Theologis pervulgata. Illud nos addimus, quod Calvinus ignorat, discrimen esse inter sacerdotes veteres, & nostros, quod in illis nemo fuit, cuius cæteri vicarii essent, neque enim posteriores prioris alicuius gerebant vices, sed quisque suam afferebat, hostiam, & suo non alterius sacerdotis nomine offerbat. Ita ex hac parte plures omnino erant sacerdotes. Non enim in uno veluti capite conveniebant, cuius loco administrarent. At nostri cum in nomine Christi, & in persona eius accedant ad altare, quodammodo omnium unum est sacerdotium, sicut episcopi ac vicarii unum iudicium est. Aliunde etiam veteres illi plures erant sacerdotes, quia plures hostias, easdemque differentes exhibebant, at sacerdos a sacro faciendo dictus, ubi eandem hostiam offert, idemque omnino sacrum conficit, aliquo modo idem est, licet plures esse videantur. Ac revera sacerdos, qui Deum sanguine placaret & reconciliaret mundo, unus est Christus. Nos quippe hoc sensu non dicimus sacerdotes, sed quia dispensatores sumus mysteriorum eius, applicantes populo sanguinem, quem ille effudit in cruce, & simul cum illo offerentes. Inde enim nostra oblatio vim habet, non ex nobis. Non igitur nos plures sacerdotes sumus ad eum modum, quo veteres plures fuisse tradit apostolus. Quo vero Calvinus ait, nostros sacerdotes esse infirmos ac peccatores, ut olim in lege, magno discrimine agnoscimus. Etenim illi cum adferrent hostias, quæ ex se placere Deo non poterant. Nec placita sunt inquit (86), quæ tibi secundum legem offeruntur: cum sanguinem inquam, hi corum & taurorum offerrent, si peccatores erant, per sacrificia sua nihil consequerentur. Respexit quippe Deus ad Abel & ad munera eius, neque offerens a muneribus, sed munera ab offerente placuerunt, ut recte Gregorius admonuit. Legis ergo infirmitas erat, quod nec hostiam habebat, quæ ex se Deo

es-



esset accepta, nec sacerdotes impollutos, qui Deo gratiosam gratam quoque hostiam efficerent. Sacerdotes vero nostri, tametsi infirmi sunt, nihil tamen ecclesiæ sacrificio incommo-  
dant, ut pote quod vim suam non ab illis habet, sed a Christo summo sacerdote, in quo patri bene complacuit, qui simul est & sacerdos & sacrificium, quemadmodum Innocentius tertius in concilio dixit (87). Hostiæ igitur evangelicæ excellens præstantia est, quod & ipsa per se Deo est quam gratissima, & unum habet perpetuo sacerdotem sanctum atque impollutum, cuius oblatio vim tribuit sacrificio, omnibusque fidelibus memoria sæculorum omnium prodest. Quocirca sicut in Christi sacramento impius administer nihil ecclesiæ nocet: ita ne in Christi quidem sacrificio sacerdos improbus divinæ utilitatis fructu ecclesiam privat, quamvis ipse sibi non emolumentum comparet, sed exitium. Verum de primo argumento hæctenus.

Huius autem confirmatio argumenti non est nunc oratione longa infirmenda, ne novam hic controversiam de novi sacramenti sacerdotio constituamus. Illud breviter dicimus, eos sacerdotes a Deo esse vocatos, qui ab apostolis & eorum successoribus rite & ordine vocati sunt. Nec vero sacerdotii nostri ratio popularis est, multorumve suffragiis declaranda: no de terra conficta, sed de cælo ducta & delapsa est, *Resuscita*, inquit (88), *gratiam dei, qua est in te per impositionem manuum mearum*. Et alio loco (89), *Noli negligere gratiam, qua data est tibi cum impositione manuum presbyterii*. Et in epistola ad Titum (90), *Reliqui te Crete, ut constituas per civitates presbyteros, sicut & ego disposui tibi*. Paulus denique & Barnabas constituerunt (91) per singulas ecclesias presbyteros in oratione & ieiuniis, ut mos est, & nunc ecclesia fieri solet. Quemadmodum igitur qui apostolos audiebat, is Christum audiebat: ita etiam quos apostoli vocabant, hos vocabat Christus, & quos a sacerdotio repellabant, eos Christus-ipse repellabat. Nam quod hæc nunc ab illis defensionis ratio viaque tentatur, in his scripturæ

Nn 2

lo-

(87) *De summ. Trinit. cap. firmiter.* (88) 2. *ad Timoth. 1.*(89) 1. *ad Timoth. 4.* (90) *Tit. 1.* (91) *Act. 14.*

locis de senioribus agit, qui Rempublicam gererent, non de sacerdotibus, qui rem divinam facerent: satis ostendunt, quam parum in sacerdotii dignitate & auctoritate ponant, qui illud existiment aut a senectutis veneranda canitie, aut ab ecclesiæ administratione seiunctum. Aristoteles (92) porro non credit alios fore ad sacerdotium idoneos, nisi vel qui reges essent aut principes civitatis, vel certe quos post Rempublicam diu suo consilio gubernatam, aut res in bello præclare gestas defessos iam, atque defatigatos omni cura humana, & labore vacuos esse oporteret, ut non nisi in ætate & auctoritate senatoria sacerdotium resideret. Quam naturæ institutionem apostoli secuti, cum sentirent sacerdotibus ecclesiæ gubernationem fuisse a Christo commissam, eos existimarunt esse in sacerdotum ordinem cooptandos, qui vere presbyteri essent, hoc est, seniores. Ita factum est, ut Presbyteri nomen in eum, qui sacra facit, remaneret. Sed nos eo loco locati sumus, ut non longe prospicere oporteat futuros sacerdotii castus, cum eos in præsentia videamus. Deflexit enim iam de spatio curriculoque, multumque deflexit consuetudo maiorum & eos nobis episcopi initiatos sacerdotio tradunt, qui non modo presbyteri non sunt, sed sunt etiam valde iuvenes. Ita sacerdotii auctoritas sceleratissimis ecclesiæ hostibus ludibrio est. Verum de episcoporum abusu minime contendimus: in eo certamus, sacerdotis creandi rationem nos ab apostolis, apostolos a Christo accepisse. Quod ne dubitare possimus, certissimo est argumento quod Christus in cœna dixit, *Hoc facite in meam commemorationem*. Si enim hoc, quod præcepit facere, sacrum erat, immo si, ut ante probatum est, sacrificium erat: apostolos sane tunc sacerdotes instituit: nisi iussit facere, nec dedit tamen potestatem faciendi. Conficere autem Christi corpus & sanguinem, ut sacra nostra Deo faciamus, quoniam supra naturam est, sine divina facultate fieri non potest. Quia vero sacrificium hoc Dominus facere iussit donec veniat, necesse est, ut copiam, quam Christus fecit apost. sacrificii iugis & perpetui faciendi, illi in posteros sempiternis sæculorum ætatibus transfuderint

rint. Sic enim, ut Oecumenius ait, sacerdotium Christi æternum est secundum ordinem Melchisedech. Sed primi argumenti confirmationi refellendæ plusculum etiam, quam concedebat ratio, largiti sumus.

Respon.  
ad 2. Arg.

In secundo vero argumento multa simul obiiciuntur adversum ea, quæ ex ecclesiæ sententia diximus: sed nos exprimemus omnia perspicue, ut res dicta proprie manu tentari possit. Primum autem illud sacerdotibus nostris opponitur, quod offerunt alienum sanguinem. Id quod sine dubio falsum est: quippe cum Christi sanguis, dono Dei licet, noster sit tamen, noster, inquam, veluti universalis causa nostra est. Sol autem tuus ad generandum est, at non ita tuus, ut sine peculiari tua generet actione.

Illud Deinde Calvinus obiicit, Christi sanguinem semel iuxta apostolum oblatum esse. Quam rem non absurde intelligunt plurimi de oblatione cruenta, quæ palam ante oculos omnium posita fuit. Sic enim se idem apostolus exposuit, quum subiicit: *Semel in consummationem sæculorum per hostiam suam apparuit.* De illa ergo victima sermo fit, quæ in monte Calvariæ palam in ore atque oculis Iudææ provinciæ macata est. Ex quo intelligitur, contra oblationem altaris, ubi sanguis Christi in mysterio fusus, non corporis, sed mentis oculis cernitur, ne verbum quidem ullum apostolum dicere. *Æque videlicet Pauli verba torquere adversarii possunt in eam oblationem, quam Christus in cælis incruentam facit, semper patri pro nostris peccatis apprens.* Sed ne me in hanc quasi fugam conferam, maxime animadvertendum censeo, oblationem non simpliciter & uno modo esse. Vna enim est universalis: altera est particularis, quæ generalem illam quasi ad efficiendum applicat. Et quoniam Lutherani omnes oblationes ad unum exemplum & regulam quærunt, nos huius divisionis exemplum ex similitudine rerum naturalium capiemus, ut horum ignorantio illustrior appareat. Illuminatio duplicitè a Philosophis accipitur: & ea, quæ universalis est: & ea, quæ est particularis. Videlicet, simul atque Deus produxit solem, potest dici semel mundum illuminasse, nempe, tanquam in causa universali. Sed sunt tamen plures quotidie illuminationes propriæ, quæ non solum cum generali illa non pugnant, sed ita subser-

viunt,

viunt, ut sine illis universalis illa aut propemodum otiosa sit, aut certe penitus otiosa. Sic & illud interpretamur, *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*: scilicet, illustratione quadam generali, quæ in hoc quidem genere una & eadem sufficiens & idonea est, atque adeo sempiterna: sed si illustrationes peculiare desint, quibus singulorum hominum mentes privatim illuminentur, universalis illa sufficientiam habet, efficaciam non habet. Nec enim generales causæ quicquam efficiunt, nisi privatis & propriis causarum secundarum actionibus vis illa efficiendi communis ad singulos effectus adiungatur. Similiter ergo oblatio Christi una generalis fuit redemptionis ac sanctificationis humanæ non solum idonea causa, sed suis etiam omnibus numeris absoluta, cui, in genere suo dico, nihil addi, nihil detrahi possit. At sunt plures oblationes particulares, quibus universalis illa efficientia ad effecta quædam singularia contrahitur. Nemo igitur nos legales sacerdotes existimet, quod singulis altarium sacrificiis sæpe ac privatim offerimus, sed potius ita secum reputet: sacerdotes sunt isti secundi sub uno primo pontifice Christo, administrati & dispensatores mysteriorum eius. Ac de prima quidem huius argumentationis parte, itemque de secunda disputatum est: reliqua est tertia eademque postrema in qua Calvinus ac Bucerus se insolentius iactant, quasi argumentum invenerint, quod refellere nequeamus. Quæ una in re, fateor, superiores sunt. Illi namque quomodo opinionem commentitiam confirmarent, invenerunt: ego tam leve argumentum qua ratione infirmem ac diluam, reperire non possum. Sed age, horum insolentiam reprimamus, iamque doceamus serio, quam ridicule exultent homines non solum doctrinæ Apostolicæ ignari, sed omnis omnino Philosophiæ. Primum autem, quamvis denuo velimus sacrificii complicatam notionem evolvere, non facile tamen reperiemus, an ea eadem occisionemque contineat, cum animal sacrificandum est. Contra enim dicit fortasse quis, Prophetas Baal quoddam etiam sacrificii genus præbuisse (93), qui lanceolis & cultris se inciderint, donec perfunderentur sanguine. At demus illud, &

con-

concedamus argumentantibus, quod ad perfectam animalis immolationem nos quoque attingere credimus, confici, dico, ipsum & occidi oportere, si vere sacrificatur. At corpus vivum & spirans nos offerimus: idem enim in eucharistia est atque in cœlo. Sed & si Christi corpus in eucharistia vivum est, ac sanguis in corpore, non tamen a nobis aut corpus offertur quia vivum est, aut sanguis quia est in corpore. Sed illud quia mactatum, hic quia effusus in cruce. Quod si Christus in cruce se offerens non se e conspectu nostro abstulisset, sed perpetuo penderet in cruce ante omnium fidelium oculos omni & loco & tempore positus, nihil necesse erat, ut exemplum facti relinqueret, & in simulacrum ex animali exemplo veritas transferretur. Sicut enim ii, qui tunc fuerunt iuxta crucem, eandem cum Christo hostiam patri obtulerunt, si modo vere erant pii & rem, quæ gerebatur, intelligebant: sic si eandem externa crucis hostia in conspectu nostro æterna permaneret, nullo exemplari & imagine hostiæ illius indigeremus. Quia vero licet oblatio illa & mactatio externa transierit, sic tamen coram Deo constat acceptabilis, & perpetua virtute consistit, ut non minus hodie in conspectu patris illa si efficax, quam eo die, quo de sauctio latere sanguis exivit; ideo vere nunc offerimus eandem crucis hostiam cum Christo, perinde atque illi, qui erant iuxta crucem: quamvis illi nullo posito sub oculis simulacro, quia nullo tunc opus erat, cum res ipsa viva in præsentia esset, atque ante oculos proposita: nobis autem per imaginem Christus hostiam illam excitavit, & quasi in quodam exemplari statuit ante oculos. Sed imago hæc & exemplar nihil revera obstat, cur non eundem illum sanguinem modo offeramus, quem Christus fudit in cruce, non aliter ac si nunc coram effunderetur. Quæ est sententia Chrysostomi (94) falso tamen Ambrosio attributa de consecr. dist. 2. cap. In Christo. Adde, quod quale fuerit sacrificium, talis est requirenda mors: ut si illud cruentum est, hæc sit etiam cruenta: sin illud incruentum erit, mors quoque erit mystica

&

---

(94) Vide etiam Eusebium Emissorum de consecr. dist. 2. quia corpus.

& incruenta, id est, effectus mortis, ceu nunc præsens adesset. Satis est enim ut vere & proprie sit sacrificium, quod mors ita nunc ad peccati remissionem applicetur, ac si nunc Christus ipse moreretur. Id quod scriptorum veterum testimoniis confirmatur. Gregorius, *In se ipso*, inquit (95), *immortaliter vivens iterum in hoc mysterio moritur*. Et Augustinus, *semel immolatus est in semetipso Christus: & tamen quotidie immolatur in sacramento*. Pascasius (96), *Quotidie Christus mystice pro nobis immolatur, & passio Christi in mysterio traditur*, &c. Et Cyrillus in concilio Ephesino, Athanasius ad Antiochum, Theophilactus in decimum caput epistolæ ad Hebræos, Damascenus in quarto libro, Gregorius demum Nazianzenus, ut cæteros prætermittam, hanc incruentam exanguemque immolationem vocant: unicam illam quidem, qualis non fuit alia similis, per quam ad effectum scilicet sic nobis Christus immolatur, ut illis, qui præsentes erant quando se in cruce offerebat. Sed quia sine effusione cruoris, quæ in præsentia cernatur oculis, applicatione vero cruoris iam effusi fit oblatio, recte a patribus incruentum sacrificium nuncupatur. Atque ad ea quæ sunt a Lutheranis in secundo argumento dicta, diximus satis.

Respon.  
ad 3.

In tertio quoque argumento refutando posthæc nihil est necesse laborare. Docuimus enim, Christi oblationem in cruce non aliter se habere ad redimenda peccata, quam aut lucem ad illustrandum, aut medicinam ad curandum. Lucem dico, quæ omne lumen ederet: medicinam, quæ omnes sanaret morbos. Ecquis autem dubitet, causas perfectas & principales sine adiutantibus & proximis nihil efficere? Medicamentum quippe quamlibet præsens & salutare sit, nisi ægro corpori adingitur, neque opem indigenti fert, nec salutem. Quod si agnus, qui tollit peccatum mundi, sine adiutrice & socia causa ipse per se expiavit nostra delicta, baptisma tollatur, pœnitentia absit, sacerdotia sileant, ministeria facessant, atque adeo omne salutis nostræ & sa-

cra-

(95) De consecr. dist. 2. quid sit. De consecr. dist. 2. semel.

(96) De consecr. dist. 2. iteratur.

cramentum removeatur & instrumentum. Præceptum illud vanum sit (97), *Baptizate in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*; gratia illa vana (98), *Quorum remiseritis peccata, remittentur eis*; inanis sermo ille (99), *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum in remissionem peccatorum*; sit denique ille falsus (100). *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis*. Quin etiam, si ita libet, quia oravit pro nobis Christus, non oremus: quia ieiunavit, non ieiunemus: quia lacrymatus est, non ploremus. Colligunt enim arguti isti dialectici, quia obtulit semel Christus, nos non offeramus. Sicut ergo compatimur, ut passionis eius participes simus, ita etiam offerimus, ut oblationis ipsius partem capiamus. Nobis sane religio ætuosa est, Lutheranis otiosa; qui nos feriatis volunt cessatione torpere, & quasi pueros delicatos nihil agere. Ita ex animis hominum extrahunt radicitus religionem, cum sacrificia, sacerdotes, cæterosque religionis administros tollunt. Non ergo nos repetitis oblationibus Christi sacrificium testamur fuisse imbecillum, sed causam principalem; perfectamque fuisse, quæ quantumvis licet sufficiens in se, & consummata sit, sine applicatione tamen causarum adiuvantium nihil efficit. Illud vero, *Vna oblatione consummavit in æternum sanctificatos*, simile est, ut si dicerem, Deum una illustratione mandum in æternum illustrasse. Id quod re vera fecit, quum solem quasi sempiternum lumen accendit. Alioqui quid alio loco apostolus iubet (1), *Ve emundemus nos ab omni inquinamento carnis & spiritus perficientes sanctificationem in timore Dei*? Certe Christi sanguis emundavit nos ab omni delicto, & tamen Paulus ait, *Mundemus nos*. Certe una oblatione Christus consummavit sanctificatos, & tamen Paulus monet, *Ve ipsi perficiamus sanctificationem in timore Dei*. Christus igitur mundat ac perficit, & nos quoque perficimus, ac mundamus; sed ille agit nobiscum, ut causa principalis, nos sub illo agimus ut causæ adiuvantes. *Dei namque adiutores sumus* (2). Sed addunt illud, ubi pecca-

Tom. II.

OO

to

(97) *Matth. ult.* (98) *Ioann. 20.* (99) *Actor. 2.*(100) *Tit. 3.* (1) *2. ad Corinth. 7.* (2) *1. Cor. 3.*

torum remissio est, iam non est oblatio pro peccato. Respondemus. Si remissio solum est ut in causa universali, iam non est oblatio generalis quidem pro peccato: est tamen oblatio specialis, quæ vim illius ad efficiendum applicat. Quemadmodum si illustratio est mundi universalis, nulla alia generali est opus: non enim alio sole indigemus, alia luna, aliis stellis. Sed necesse est tamen illustrationes quotidie singulas aeris intervenire, si terra est diebus singularis illustranda. Addunt etiam, Post remissas per Christi sacramenta iniquitates, quorsum oblationes facimus pro peccato? Respondeo, remissio iniquitatis duplex est: una perfecta, altera imperfecta. Perfecta, quum non solum culpa, sed tota etiam pœna remittitur, de qua illa intelliguntur, (3) *Proiecisti post tergum tuum omnia peccata mea. Beati* (4), *quorum remissa sunt iniquitates, & quorum recta sunt peccata.* Proiciet in profundum maris peccata nostra, Mich. 7. & cætera similia. Atque hæc per baptismum contingit omnibus baptizatis. Imperfectam vero illam dicimus, in qua vel culpa remittitur, sed non tota pœna, vel remittitur pœna, remissa iam culpa, de qua illud (5) accipimus, *Propter remissionem præcedentium delictorum.* Et rursus (6) *In redemptionem earum prævaricationum, quæ erant sub priori testamento.* Antiquis porro patribus culpas ante Christi mortem fuisse remissas ambiguum non est: iuxta fidem quippe defuncti sunt testimonio fidei probati. Non esse autem perfecte remissas, confirmat Paulus cum ait, Christum mortuum esse in remissionem præcedentium delictorum. Quæ si plene Moysi, Aaron, Davidi, cæterisque sub lege & natura sanctis condonata fuissent, nec illis esset ianua regni cælestis occlusa, nec loci inferi in custodiam deputati. Equis enim dicat, omnino resoluta crimina, quorum pœnæ luuntur in carcere? Davidi rursus homicidii, & adulterii scelerata relaxata, quo tempore ad Nathan prophetæ vocem peccatum confessus est, & Nathan ipse idem, & auctor libri ecclesiastici testes sunt (7). At si plenam remissionem per-

(3) *Esai.* 38. (4) *Psalm.* 31. (5) *Roman.* 3.

(6) *Heb.* 9. (7) 2. *Reg.* 12. *Eccl.* 47.



percepisset, quorsum illa? *Dele iniquitatem meam; Amplius lava me ab iniquitate mea: Averte faciem tuam a peccatis meis,* &c. Certe hanc ampliolem, & pleniorē indulgentiam, non prius a Domino impetravit, quam multis supplicis in eo Dominus acerrime vindicasset. Itaque, si per Christi sacramenta plena cuiquam peccatorum remissio contingit; nos pro illiusmodi peccati hostiam minime offerimus: ut si quis proxime recens baptismum susceperit: at si peccator non est perfectam remissionem consecutus, quod in sacramento penitentiæ fere accidit, pro huius delictis sacrificium exhibemus, ut cui Deus subiratus etiamnum est, ei fiat aliquando propitius.

Quid igitur sibi apostolus vult, quum minis horribilibus audientium animos perterrefacit in hæc verba, *Voluntarie peccantibus nobis iam non relinquitur pro peccatis hostia?* Nempe qui dicit, voluntarie peccantibus post acceptam notitiam veritatis nullam hostiam esse reliquam, is sine dubio significat, ignorantibus aliquam hostiam superesse, iis præsertim, qui ante acceptam notitiam veritatis peccaverunt: quemadmodum Chrysostomus ac Theophylactus argumentantur. Rem ergo apostolus verbis grandioribus exaggerat, atque, ut solet, terrorem exuperatione iniicit. Ostendit itaque, non quid clemens & misericors iudex interdum sua lenitate concedat, sed qua poena is dignus sit, qui singulari baptismi beneficio suscepto, filium Dei conculat, & sanguinem testamenti pollutum ducit, & spiritui gratiæ contumeliam facit. Indignus nimirum est, qui fuerit huiusmodi, cui Christus iterum crucifigatur. Toties autem nobis crucifigatur, toties immolatur, quoties eius crux nobis & mors ad peccati remissionem applicantur. Si de iustitia ergo agitur, nulla relinquitur pro peccatis hostia iis, qui ex malitia peccant. Sin vero de misericordia Dei agitur, quæ omnem etiam sensum exuperat, non solum infirmis, & ignorantibus aliqua superst hostia, sed iis etiam, raro tamen, qui voluntarie peccaverunt post acceptam notitiam veritatis. Enimvero quod hæc apostoli oratio alta & exaggerata sit, illud primum argumento est, quod statim subditur, *Terribilis autem quedam expectatio iudicii,* &c. Atque e vestigio, *Irritam quis faciens*

*legem Moysi*, &c. Et post pauca, *Rememoramini pristinos dies*, &c. Et tandem, *Nolite admittere confidentiam vestram, qua magnam habet remunerationem*. Illud deinde hoc confirmat maxime, quod in 6. cap. cum dixisset, *Impossibile est eos*, &c. ne existimaretur nulla esse rerum expectatio meliorum, quasi a desperatione ad spem revocare cupiens, *Confidimus*, ait, *de vobis dilectissimi meliora & viciniore saluti, sametsi ita loquimur*. Ex quo temperamento Hieronymus lib. adversus Iovinianum 2. colligit, apostolus Hebræos per exaggerationem territasse. Est & aliud responsum dignum (8), nisi me fallunt omnia, quod magnopere animadvertatur. Videlicet, hostia pro peccato duobus modis intelligit potest. Vno modo pro pœna, altero etiam pro culpa. Quod enim peccati vox pro pœna peccati usurpetur, illa demonstrant (9), *Non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum*. Et rursus (10), *Remittuntur ei peccata multa: quoniam dilexit multum: cui autem minus dimittitur, minus diligit*. Quo loco multorum peccatorum pœnas multa Dominus peccata vocat. Nam culpas ante fuisse remissas, qui superiores lachrymas consideraverit, is vocare in dubium non poterit. Et quæ dilexerat, & ingemuerat, ea certe culparum veniam fuerat consecuta. Sed cui in præsentî dicitur, *Remittuntur tibi peccata; vade in pace*, ei plenissima indulgentia conceditur, omniumque pœnarum persolutio. In pœnis vero locum habet, ut maiori dilectioni maior remissio respondeat, minori que etiam minor: nam culpæ vel simul remittuntur omnes, vel nullæ. Machabæorum sententia vulgo etiam sermone teritur, *Sanctam & salubrem cogitationem esse pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur*. Vbi pœnas purgatorias pro culpis debitas peccata sine dubio appellavit. Simile est illud, *Peccata tua elemosynis redime* (11). Pœnas autem Daniel pecunia redimendas existimabat: nam culpas aut pœnitentia diluit, aut certe sine argento gratia resolvit. Atqui sive figurate nomen causæ ad effectum trans-

(8) De Pernit. dist. 1. cap. Si enim. (9) Roman. 7.

(10) Luc. 7. (11) Dan. 4. Sine pretio remittitur, culpa non tamen sine dispositione.

feratur, sive remissio pœnæ ad integram remissionem culpæ pertineat, non valde interst quidem: tametsi D. Thomas (12), atque innocentius huiusmodi locutiones improprias esse testantur, quibus peccata deleri, detergit, ablui, remitti dicuntur, quia solvuntur pœnæ. Iam ergo, cum apostolus ait, nullam hostiam superesse pro peccato (13), pro culpa proprie intelligendus est. Cui sententiæ non est illa contraria, relinqui pœnitentiæ sacramentum, quod iudicium est, non sacrificium: relinqui etiam hostiam pro pœna, quæ improprie dicitur hostia propeccato. Sed quæris, quid causæ plerisque antiquorum fuerit, ut baptismum hostiam appellaverint, ideoque dixerint, non superesse hostiam pro peccato, quia baptismus repeti non potest. Sane quia in baptismo Christo commorimur, & per hoc sacramentum applicatur nobis hostia crucis, ad plenam peccati remissionem: hinc illi baptisma translatitie hostiam nuncuparunt, ac post baptisma semel acceptum nullam hostiam esse reliquam interpretati sunt: quia baptisma secundum non est. At in pœnitentiæ sacramento non applicatur mors Christi per modum hostiæ, sed per modum iudicii. Itaque quamvis pœnitentia post baptisma supersit, non proinde tamen hostia superest pro peccato. Sed de tertio argumento nimium multa.

Quantum vero non confutatione eget, sed reprehensione. Respon.  
ad 4.  
Ecqua enim vel inscitia, vel imprudentia est, ea adversum nos testimonia excitare, quæ a nobis faciunt maxime? Constat sane, eucharistici sacrificii partes quatuor esse (14): unam consecrationem corporis & sanguinis, alteram oblationem, tertiam fractionem, postremam consumptionem. His quippe quatuor partibus nostrum sacrificium redintegrari, con-

---

(12) 4. dist. 12. quæst. 2. art. 2. quæst. 2. (13) Sermo est de mortalibus, quæ simpliciter, & quasi per antonomasiam peccata dicuntur. Nam venialia hoc pœnitentiæ sacrificio delentur, de consec. dist. 2. cap. Iteratur, & cap. Verum. (14) Probabilissimum est, specierum quoque mixtionem ad sacrificii integritatem attingere. Nam ab apostolis ecclesia traditum, ambiguum non est.

confici, absolvi, qui negaverit, nihil illum de ratione perfecti sacrificii didicisse, nihil quæsisse, nihil scire convincam. Consecrationem porro atque oblationem cum gratiarum actione coniunctam ex evangelio colligi, ostendimus paulo ante: fractio autem apertissime traditur. In eo discrimen est, quod Lutherani in fractione nihil mysticum esse arbitrantur, sed solam panis distributionem, nempe, ut sua cuique portio contingat: at ecclesia sancta (15) quum hostiam frangit, dominici corporis in cruce fractionem significando, Christi hostiam commemorat, quemadmodum Christus ipse & verbo, & exemplo commemorandam tradidit. Quod vero ad plenam huius sacrificii rationem consumptio specierum attingat, concilium Toletanum duodecimum testatur (16), inquit, *Quale erit sacrificium, cui nec ipse sacrificans particeps esse dignoscitur* (Augustinus insuper, in libro sententiarum Prosperi consentit (17), dum sanguis de calice in ora fidelium funditur, dominici corporis immolationem, eiusque sanguinis effusionem designari. Spectat ergo ad perfectam significationem sacrificii consumptio specierum. Quæ causa catholicis perpetua fuit, ut dum sacerdos species sumit, non edere illum dicant, edat licet, sed consummere. Ut intelligamus, in missa potius haberi rationem consumptionis, quam manducationis, magisque sacrificium spectari, quam cœnam. Quod Lutherani sentientes negaverunt, Christum corpus suum, sanguinemque sumpsisse, ne consumpsisse, & sacrificasse probaretur. Verum ratio primum convivii hoc exigit, ut civi communionem, & consociationem habeat: alioqui qui ad cœnam invitat, is non convictor esset, sed conditor, instructorque convivii. Atque accubationem epularem amicorum, tametsi melius nostri convivium, bene tamen Græci, tum *computationem*, tum *concentrationem* vocant: ut qui vocat ad cœnam, nec *concentator* ipse & *compotator* est, non solum non urbanum convivium ineat, sed ne convivium quidem. Deinde, ut Chrysostomus argumentatur,

ne

(15) De cons. dist. 2. quum frangitur. (16) De cons. dist. 2. cap. Relatum. (17) De cons. dist. 2. quum frangitur.

ne discipuli horrerent carnem, & sanguinem, necesse erat, ut Christus prior ipse degustaret. Christus certe quod se videbant facere, id ut facerent iussit apostolis. Intellexit autem semper ecclesia sacerdotibus iniunctum esse ut sumerent: sumpsit ergo & Christus, nisi sacerdos omnibus suis numeris absolutus, non absolutum, sed inchoatum sacrificium fecerit. Nec me fugit, D. Thomam (18) aliquando, ut videtur quidem, docuisse sacrificium ante fractionem hostiæ esse peractum, sumptionemque spectare proprie ad sacramentum, oblationem vero ad sacrificium. Et rursus asserere (19), fractionem hostiæ non ita esse necessariam, ut, si omittatur, sacrificium maneat imperfectum: quod videlicet huius rei significatio, non ad corpus Christi verum, sed ad mysticum referatur: non ergo fractio in partibus sacrificii numeranda est. Quod autem sacrificium ante fractionem peragatur, id magno argumento sit, sacerdotem statim a consecratione illa verba dicere, *Offerimus præclara maiestati tuæ de tuis donis ac datis hostiam puram*, &c. Iam ergo nondum fracta hostia, & oblatio est, & sacrificium. Verum qui Div. Thomam nobis obiicit, id ille agit, ut & secum ipse Thomas (20) & cum vera sacrificii ratione pugnet. Eius enim in secunda secundæ verba non obscura sunt, sacrificium proprie dici, cum circa res oblatas aliquid fit. Quam rem illo etiam exemplo confirmat, ut quum panis frangitur, & comeditur. Vnde colligit, primitias oblationes esse, non autem sacrificium, quia nihil sacrum circa eas fiebat. Hostiam igitur aliquando ante fractionem, non solum D. Thomas, sed etiam ecclesia vocat eo more, quo rem instantem & proximam quasi præsentem nominamus. Sic Cicero præbere, ait, hostias ad sacrificium. Vbi animal sacrificandum hostiam appellat. Quin & in Levitico, & in aliis quoque plerisque locis holocaustum, hostia, ac sacrificium ab eo, quod proxime futurum est, nomen accipiunt. Sed & panem ipsum ante consecrationem hostiam vulgo appellamus, a qua appellatione ne Divus

(18) 3. part. quest. 83. art. 4. (19) Artic. 6. 6.

(20) Quest. 85. 3. 3.

vus quidem Thomas abhorret. Sacerdos porro ante consecrationem dicit se offerre *sancta sacrificia illibata*, &c. Quis autem Theologus tam insigniter stultus fuit, ut *peractum* sacrificium ante *hostiam consecratam* existimaverit? Atque ut de occulto, & interiores sanguinis & corporis sacrificio nihil dicam, externum certe & mysticum sola oblatione non constat. Cum itaque circa species ante fractionem nihil sit a sacrificio factum, ne sacrificium quidem *peractum* est. Item, cum symbolis rerum, Christo instituyente, debeamus mortem ipsius agere, si verum & perfectum nostrum sacrificium est, eiusque victimæ absolutum exemplar, quam Christus in cruce præbuit: nullum autem sit rerum symbolum ante quam species frangantur, misceantur, consumantur: certissimum accipere argumentum possumus, ante fractionem nondum esse expletum sacrificium. Manet igitur, non consecrationem modo, & oblationem, verum & fractionem quoque ac consumptionem ad integritatem externi sacrificii pertinere. Quæ res non pertenui nobis argumento, indicioque patefacta est, sed gravi, constantique ratione: præterquamquod ab apostolis has nos sacrificii partes accepisse, promptissimum est ostendere: nam Christum tradidisse, satis supra est a me demonstratum. Vt Lutherani argumenta probabiliora deinceps excogitent: siquidem quartum hoc, quod modo diluimus, improbabile est. Improbabile esse dico, Lucæ, Paulique testimoniis uti, ut ecclesiæ sacrificium explodatur. Nam ratio ea quæ adiungitur, captiosa est, & verisimilitudine fallere imperitos potest. Primum autem qui Lutheranis responderet, Christum in cœna sacrificium non pro peccato quidem, sed gratiarum tamen actionis obtulisse, hic non ab illis facile eluderetur. Eius enim rei probabilem rationem redderet, quod cum sacrificii cruenti dies instaret iam plane, aut certe iam appropinquaret hora, non oportebat, hostiam in cœna pro peccato mysticam exhibere, cum impenderet generalis hostia illa, in qua patri complacuit omnia peccata resolvi. Quanquam & sanguinem circumcisionis pro nobis Christus obtulit, & ieiunavit, flevitque pro nobis: nec tamen remissio ea peccati secuta est, quæ a cruce tandem expectanda erat. Quemadmodum enim martyrii ple-

na efficacia non in qualibet sanguinis effusione est, sed in ea demum, in qua martyrium consummatur, quamvis sanguinem suum Deo statim a principio martyr obtulerit: sic passionis Christi perpetua vis illa absoluta & perfecta non in initio, aut medio, sed in fine fuit. Deinde mysticæ oblationis effectus non is est, quem falso existimant Lutherani nos credere, nempe ut omnes culpas, poenasque resolvat. Qua de re paulo post dicturi sumus. Alia enim efficiencia hostiæ illius est, quam Christus palam mactavit in cruce: alia illius, quam sub speciebus definitis mysticæ præbuit in cœna. Illa generalis est, sicut diximus, nec per sacrificium modo, sed per omnia sigilatim sacramenta ad effectum longe diversa applicatur. Hæc peculiaris efficiencia est, & sub speciebus certis ad peculiaria quædam effecta concluditur. Obtulit ergo Christus hostiam in cœna, tum pro culpa veniali, tum pro pœna, quæ pro culpa etiam mortali deberetur. Qui in peccato solvendo sacrificii peculiaris effectus est. Hunc vero habuit in cœna sanguis oblativus: nam in cruce vim remissionis habuit generalem. Sed quoniam, ut modo dixi, hanc rem sumus in confutatione sequentium argumentorum fusius explicaturi, pergamus ordine refellere argumenta quæ restant.

Quinto vero argumento refutando Roffensis episcopus, Respon. calicem, ait, novum testamentum ideo dici, quia novi ad 5. testamenti confirmatio est. Quem vocis usum ut probare testimonio non queo, ita non audeo explodere. Illud affirmo, nomen hoc pro re, quæ ex testamento obvenit, interdum accipi: ut in epistola ad Hebræos, cap. 7. *Melioris testamenti sponsor factus est Iesus.* Sic enim promissionis vocabulum pro re, quæ promittitur, scripturæ auctores usurpant: ad Hebræos 6. *Imitatores eorum qui fide & patientia hereditabant promissiones,* ad Hebræos 9. *Repromissionem accipiant æterna hereditatis,* & Actor. 1. *Expectarent promissionem patris.* Si ergo promissio pro re promissa accipitur, & testamentum Luthero ipsi quoque promissio est: nihil mirum si pro re ipsa, quæ testamento est relicta, usurpetur. At prima res, eademque potissima, quam nobis in testamento suo legavit Christus, fuit sanguis. Quid igitur obstat, cur rem, quam beneficio

testatoris habuerim, non ego in funus eius exequiasque rependam? Quid inquam, obstat, cur quod de manu morientis accepimus, non id nos viventi illi reddamus? Nisi illud frustra, atque importune repetimus, *Tua sunt, Domine, omnia: & qua de tua manu suscepimus, reddimus tibi.* Quod autem calix improprie dicatur testamentum, manifestum est. Sive enim, ut Innocentio placet (21), testamentum promissio est: sive, ut Ulpianus vere sentit, sententia est voluntatis iusta de eo, quod post mortem fieri voluerimus: omnino liquet, calicem, nec promissionem proprie, nec sententiam esse, sed rem, quæ testatoris promissione, voluntatisque sententia relinquitur. Hanc vero nos hostiam præbere ad sacrificium quis prohibet? Sed de quinto argumento hætenus.

Respon.  
ad 6.

Iam argumento sexto quid attinet respondere, nisi eadem velim, quæ supra dixi, verba repetere? Colligunt enim acuti scilicet dialectici, si eucharistia exemplar & imago est, non esse illam vere ac proprie sacrificium. Quæ sane collectio perridicula est. Quid enim stultius dici potest, quam legis veteris hostias sacrificia non fuisse, quod verorum exemplaria fuerint? Innocentius porro tertius quosdam merito irridet (22), qui putarint, in sacramento non esse corporis Christi, & sanguinis veritatem: ex eo quod scriptura interdum commemorat, id, quod in altari suscipitur, mysterium, imaginem, figuram, & exemplum esse. Quorum errorem Pontifex docte, graviterque refellit: si enim, quia figura est, sacramentum altaris veritas esse negatur: ergo nec mors, nec resurrectio Christi veritas est credenda: siquidem eas similitudinem, & imaginem esse apostolus tradit, ac Petrus quoque scribit Christum exemplum nobis in sua passione reliquisse. Nihil igitur obstat, cur non in externo sacrificio forma sit, species, imago, & exemplar sacrificii crucis: in sanguine vero, & corpore, quæ sunt res intus inclusæ, eiusdem sacrificii existat veritas. Sed quoniam in cruce, quod  
alias

(21) *Cap. cum Martha, de celebrat. Miss.*

(22) *Cap. cum Martha, de celebrat. Miss.*



alias diximus, palam, & sine mysterio hostia cruenta fuit, in altari occulte, & mystice abscondita: nec eodem modo, quo Christus, sacrificare putaremur, recte cum suo Chrysostomo Theophilactus admonuit, nos non immolare Christum, quemadmodum se ipse in cruce immolavit, sed potius illam crucis hostiam commemorare. Verum quia commemoratio nostra otiosa, & umbratilis non est, sed efficit quo significat: quoniam non Christum occidimus, qui resurgens ex mortuis iam non moritur, Christi tamen mortem applicamus, ceu nunc facta sit. Applicamus autem non fide sola, aut solis verbis, sed etiam symbolis. Post illa namque berva, *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur*, non ait Dominus, *Hoc credite*, non, *Hoc dicite*, sed *Hoc facite in meam commemorationem*. Quæ causa, nisi me fallit animus apostolo fuit, ut veteris legis symbola, quoniam vacua erant, umbras appellaret, non ipsas imagines rerum. Nam evangelium ipsas rerum imagines quasi vivas continet, non ad significationem modo, sed ad efficiendam. Ut baptismus imago est spiritualis ablutionis; quæ per Christi sanguinem facta in cruce est, sed habet tamen res ita coniunctas, ac si Christus ipse nunc pro baptizato sanguinem funderet. Quocirca & aliquando idem ausus est dicere, in singulis baptizatis Christum crucifigi: non illa solum loquendi forma, qua Ioannes evangelista scripsit, agnum occisum esse ab origine mundi, sed ita potius, ut ad effectum idem prorsus sit, ac si Christus vere nunc pro his, qui baptismum suscipiunt, crucifigeretur. Nec vero existimo; quum Paulus legem dixit umbram habere futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum, de significato disceptasse, quod plerique interpretati sunt, ut umbra signum obscurum, & imperfectum, imago rei expressum, perfectumque signum intelligatur. Quæ ut veri esse non iudicior, ita a præcipuo apostoli instituto esse aliena iudico. Id quod ex verbis eiusdem apostoli manifeste conficitur. Ait enim. *Umbra habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum eisdem ipsis hostiis, quas offerunt indesinenter, nunquam potest accedentes perfectos facere, &c.* Quia igitur hostiæ illæ vim efficiendi non habebant, ideo legem umbram habere dixit futurorum in lege gratiæ bonorum. Um-

bra quippe ignis non id efficit, quod ignis, nec umbra hominis idem præstat, atque homo: neque enim in agendo quicquam aut imbecillius umbra, aut inanius est. Sacramenta vero, & sacrificium nostrum imagines rerum sunt, non pictæ vel umbratiles, inanesque ad efficiendum & imbecillæ, sed cum ad vivum rerum ipsarum expressæ, tum, si ita loqui liceat, ad efficacitatem res ipsæ vivæ, quarum imagines sunt: tanta Christi & evangelii potentia est, ut eandem vim penitus symbolis, imaginibusque tribuerit, quam res ipsæ haberent, si quum earum commemoratio fit, vere patrentur. Sed in sexti argumenti reprehensione multum temporis insumpsi. Nihil enim responsione opus erat: sed ut loca eadem diligenter isti pertractarent, & bona fide relegerent. Ibi enim plane reperirent, auctores sanctos & verum in ecclesia corporis ac sanguinis Christi sacrificium, & verissimum quoque exemplar affirmare: alterum in externa forma & figura: alterum in re, quæ inclusa atque abdita in mysterio latet occulto. Quanquam Euthimius ante consecrationem exemplar interpretatur: post consecrationem autem sacrificii veritatem. In quem etiam modum Basilium exponit Damascenus 4. lib. cap. 14.

**Respon.**  
ad7. In septimo argumento existimant homines parum in Theologia exerciti, actus nostros nostræ redemptionis, sanctificationis, ablutionis nullo modo causas esse. Quæ si vera essent, illa omnia essent falsa, *Omnis (23) qui habet hanc spem sanctificat se.* Item (24), *Mundemus nos ab omni inquinamento carnis, & spiritus, perficientes sanctificationem in timore Dei.* Item (25), *Peccata tua elemosynis redime.* Item (26), *Per misericordiam & fidem purgantur peccata.* Item (27), *Misericordia & veritate redimuntur iniquitas, & cætera id genus, quæ in sacris literis passim occurrunt.* Neque ex his, quemadmodum isti falso iudicant, quicquam de Christi in nos gratia merito, vi & redemptione detrahitur, quin gratiæ Dei, & Christi multo magis attribuitur. Exemplum po-

---

(23) 1. Ioann. 3. (24) 2. Cor. 7. (25) Dan. 4.  
(26) Proverb. 15. (27) Proverb. 16.

ponam ex natura , ut gratiæ vis manifestius eluceat. Res universas ad suum quamque finem vi quadam ingenita moveri , philosophis omnibus exploratum est. Sic igni , ut ad locum naturæ suæ congruentem ascenderet , levitatem indidit procreator ille mundi Deus : ut vero calefaceret , quæ erat actio ignis naturæ conveniens , impertiit calorem. Id quod in reliquis promptum est cernere , quæ si a principio & forma interiore moventur , ut non solum non repugnent , sed agi sponte videantur. Animalia porro , non modo hanc inclinationem , & formam a natura habent , verum ipsa etiam se movent actionibus quibusdam suis , & ad quærendum sibi consentiens bonum , & ad propulsanda adversantia mala. Quæ res præcipuæ in hominibus illustrior apparet , qui quoniam non aguntur , ut servi , sed libere potius agunt , ut domini : ratione eligunt media , & se ipsi cient , ut per talia media fines propositos consequantur. Nec idcirco tamen aut primæ causæ virtus minor est , aut potestas infirmior : imo hoc uberior & mayor , quod attingit a fide usque ad fidem fortiter , & disponit omnia suaviter. Ecqua enim vis ea fortior esse potuit , quæ adeo suaves & congruentes impetus in rerum natura possuit , ut eas nulla vi quidem illata moveat , sed vehementissime moveat tamen ? Quæ Dei virtus eximia , insignisque suavitas multo latius in gratuitis effectis , quam in naturalibus se effundit. Non enim solum vitales operationes , quæ supra naturam sunt , in se edit mortalis homo per gratiæ formam , & virtutes , sed ad vitam ipsam capiendam sua se actione parat , & vivendi sibi causa est. Quemadmodum enim , si materia dispositiones , quibus ad suscipiendam formam ignis præparatur , ipsa in se faceret , eadem sibi causa esset effectrix , ut a forma illa informaretur : sic , quoniam præparationes vivificantis gratiæ homo in se efficit , ipsi in sui generatione Dei adiutor existit. Qua in re , ut dixi , suavior & effusior gratia , quam natura est Vitam namque a natura datam curare ac tueri ipse valeas , salutem quærere , morbos pellere adversos , tum externis quibusdam medicamentis adhibitis , tum animæ viribus interius excitatis. At vitæ causa tibi esse non poteris , sed aliunde eam accipis , nulla interveniente operatione tua , dispositione tua

nui-

nulla. Dispositio quippe omnis, qua ad animam corpus ap-  
 tatur a patre generante editur, a filio genito nullo modo.  
 In natiuitate vero spiritali is ipse, qui nascitur, non solum  
 principium est, ut post ægritudinem sanus sit: verum etiam,  
 ut postquam fuerit mortuus, & vitam habeat, & abundan-  
 tius habeat. Præclare itaque dictum illud est, atque ad Phi-  
 sophiæ rationem apte, *Iustus ex se ipse sua vivet*. Ex quo Hie-  
 ronymus colligit, hominem sibi esse vivificationis suæ cau-  
 sam. Nempe actus fidei, sp̄i, charitatis, pœnitentiæ, qui-  
 bus Deus utitur ad animum vivificandum, homo ipse in se  
 facit, gratuito quamvis & supernaturali auxilio permotus.  
 Ne certes, quasi actus nostri gratiæ, remissionisque culpa-  
 rum causæ efficietes sint: cum nihil aliud quam disponant  
 animum ut gratiam Dei, iustitiamque recipiat. Quomod-  
 modum calor præparatio est, quæ ligni materiam afficiat,  
 ut & formam ignis capiat & naturam. Sed sicut homo alte-  
 ri homini non est causa animæ rationalis, sed causa tamen  
 est, ut per rational-em animam vivat; sic homo licet causa  
 gratiæ non sit, causa tamen sibi est ut per gratiam vivat.  
 Cuius sententiæ illa iam consecutaria sunt (28), *Animas vestras  
 castificantes*. Item (29), *Ablue a malitia cor tuum*. Item, *Si  
 quis emundaverit se a vitiis, erit vas in honorem sanctificatum,  
 & ad omne opus bonum paratum* (30). Ac vasa hæc quidem  
 Deus ipse fecit in honorem, & præparavit in gloriam. Sed  
 si non a voluntate nostra purgatio anime nostræ fieret, ut  
*Da nascentis argumentatur* (31), non utique dixisset Paulus,  
*Si quis emundaverit se, &c.* Verum hæc subtilius fortasse dis-  
 seruntur, quam ut ea Lutherani omnis omnino Philosophiæ  
 ignari possint agnoscere. Illud breviter intelligant, nos in  
 salutis nostræ opere, sanctificatione, purgatione, curatione  
 Dei adiutores esse. *In die*, inquit, (32): *salutis adiuvete*. Ag-  
 rursum (33), *Gratia Dei mecum*. Nam de peccatorum redem-  
 ptione quæstio est multo facilior. Ea nempe voce aliquando  
 per

(28) *Prima Petr.* 1. (29) *Hierem.* 4. (30) 2. *Tit.* 2.

(31) *Lib. 5. cap. 20. Vide Chrysost. hom. 42. ad pop. Antio-*

(32) 2. *Cor.* 6. (33) 1. *Cor.* 15.

persolutionem pœnarum scriptura significat, quæ post culpam remisam manent. Has autem non modo Christus per sacramenta sua, sed nos etiam ieiuniis nostris, elemosynisque resolvimus. Pretia itaque Deo constituta, quum pro pœnis debitis enumeramus, ac perdimus, tunc peccata nostra redimimus. Nec vero pretium hoc æquale natura nostra, sed Dei gratia fecit, qui tum pro culpis graviores pœnas, tum pro pœnis graviolem posset compensationem exigere. Sed hæc pretia ille pepigit lege clementiæ, & misericordiæ quidem, sed æquitate iustitiæque permixtæ. Quod si ad peccatorum redemptionem pretia hæc, nostra licet, momenti alicuius sunt tamen, quoniam ita sua is lege constituit, qui arbitrio propriæ voluntatis rerum omnium iustus æstimator est: quanto verius & iustius nostras ipsi iniquitates redimemus, Christi corpus & sanguinem in altari offerendo? Christi, inquam, qui nobis est factus sanctificatio, iustitia & redemptio. Ac tamen si redemptor noster unus est ille: sed quia nobis tamen, nostrisque actionibus utitur ad effectum redemptionis explendum, eum quoque in hac parte nos iubamus. Nec gloria redemptoris minuitur inde, sed augetur, qui non naturæ divinæ modo, verum divinæ operationis socios nos etiam fecerit & consortes. Sed in hoc argumento refutando multam omnino operæ, laborisque consumpsimus: præsertim cum proxime quædam horum simus adhuc latius explicaturi.

In octavo enim argumento ridiculi citharedi chorda semper oberrant eadem, cum causas Deo adiutrices in redemptionis humanæ opere negant. Quæ stultitia cuiusmodi sint, exemplo naturæ demonstrare possumus. Fuerunt quidam usque adeo naturalis sapientiæ imperiti, ut opinarentur causas secundas (sic enim apellant Physici) nihil omnino ex se agere, sed rerum omniam effectorem Deum ad præsentiam causarum quæ secundæ proximæque dicuntur, per se ipsum omnes effectus edere. Quæ delinatio incredibilis stultissimorum hominum & schola Philosophiæ non modo sibilis, sed etiam convicio explosa est. Verum quod isti in natura, idem in his, quæ supra naturam sunt, Lutherani peccant, quum soli Deo redemptionem tribuentes, causas adiutrices excipiunt, quasi blasphemiam

Respon.  
ad 8.

mia sit, quod in natura sapientissimi quique dixere, id nos in gratia dicere: nempe causas esse adiuvantes & proximas, quibus prima & principalis utatur, ut res supernaturalis efficiat. Quo loco vis & potestas illius eo præclarior extat, atque eminent, quo magis se homini confert, cum illoque communicat, non modo ut sit, sed ut causa etiam sit, quæ, vi licet accepta divinitus: vere efficiat tamen, & Deum quoque ipsum in rebus faciendis adiuvet. Nam & apostolus non dubitavit scribere (34), Dei nos adiutores esse dispensatoresque & ministros mysteriorum eius. Item, se plantasse, & ut sapientem architectum fundamentum posuisse, ac filios per evangelium in Christo genuisse. Ut illa prætereamus (35), *Baptizantes eos in nomine patris*, &c. (36) *Quaecumque solveritis super terram*, &c. *Quorum remiseritis peccata*, &c. (37) Ex quibus (38) Constantiensis synodus aperte confecit, sacerdotem vere absolvere, vere conficere. Quæ si certissima sunt, ut sunt sane, nihil necesse est, quod Albertus Pighius facit, sacrificium operationem nostram esse negare. Multo enim doctius Divus Thomas asseruit, quem locum breviter perstrinxi paulo ante, sacrificium oblationem esse & eius actum virtutis, quæ Dei cultu pio continetur. Nostra igitur est operatio, non inficior eadem. Sed duplices sunt operationes nostræ. Quædam, quas nostro nomine reddimus, & quæ nostra gratia meritisque nituntur, ut elemosyna & ieiunium. Alteræ vero sunt, quæ non a nobis efficacitatem habent, sed prorsus a Christo, ut baptismus & absolutio sacerdotis in pœnitentiæ sacramento. Quia enim sacerdos non in suo, sed in nomine Christi baptizat & absolvit, istiusmodi actiones, in quibus purum nudumque ministerium est, non a ministro vim accipiunt, sed a Christo, qui baptizat: ille est, qui absolvit. Quocirca, sive iustus administersit, sive iniustus, ad effectum sacramenti nihil omnino interest. Sicut refert etiam nihil, qui ignem accendit & ad

(34) 1. Corinth. 2. & 3. (35) Matth. ult. (36) Matth. 18.

(37) Ioann. 20. (38) Vide Ambr. lib. 1. de pœnit. cap. 2. *Novatus enim aiebat se Domino de ferre honorem, cum soli remissionem criminum potestatem tribuebat.*

ad exustionem admovet, frigidus, an calidus ille sit. Tantum quippe caloris impertiet, non quantum habet ipse, sed quantum habet ignis admotus. Priores igitur operationes nostræ non conferunt aliis peccati remissionem ex opere operato, id est, ex vi rei factæ: sed quemcunque effectum sortiuntur, ex merito eum nostro sortiuntur. At posterioris generis operationes ex se possunt peccata remittere, quia, ut diximus, Christi sunt potius, quam nostræ. Ita si semel nos Christi sacramenta conficimus, eaque aliis admovemus; ex vi rerum effectarum & aliorum culpas pœnasque resolvimus & gratiam Christi impartimur, non nostram. Sacrificium porro altaris, quod primo argumento refutando explicui, in posteriore operationum genere includitur. Non enim suo nomine sacerdos hostiam præbet, sed Christi: nec suum meritum & gratiam Deo representat, sed Christi, nec suum offert sanguinem sed Christi. Quemadmodum autem si ignem faceret, & ad comburendum adiungeret, ignis effectum induceret: sic cum sanguinem Christi in altari conficiat, eundemque sua oblatione applicet, sanguinis Christi efficientiam affert. Quo fit, ut nec sacrificii huius effectus aut a bono administro maior sit, aut a malo minor, nec sacerdotis iniquitas effectum huius impediatur sacrificii, quemadmodum Innocentius libro 3. de sacro altar. myster. cap. 5. testatur, Non est autem dogma hoc nuper inventum: nam auctororum etiam veterum libris pervulgatum est. Id Gregorius tradit 1. quæst. 1. *Multis*. Augustinus de consecr. dist. 2. *Vtrum*. Hieronymus adver. Lucif. Chrysostomus hom. secunda in secundam ad Timoth. epist. cuius verba libuit subscribere. *Sacra, inquit, oblatio, sive Petrus, sive Paulus, sive cuiusvis meriti sacerdos offerat, eadem est, quam dedit Christus ipse discipulis, quamque sacerdotes modo conficiunt. Nihil habet ista quam illa minus. Cur id? Quia non hanc sanctificant homines, sed Christus, qui ante sacrificaverat. Qui autem hanc illa minus habere putat, ignorat Christum esse, qui nunc etiam adest atque operatur.* Hactenus ille. Quam rem exemplo Philosophiæ apertius exponemus. Docent sane Philosophi causas administras non eodem modo esse omnes. Quædam enim non agunt, nisi qualitatem similem a principali causa receperint. Ut aer non illuminat oculos, nisi sol lumen cum eo communicaverit; aqua

non calefacit, nisi prius ab igne calorem habuerit. In quo genere eo effectus vel maior, vel minor est, quo forma & virtus agendi magis vel minus fuerit adiuvanti causæ communicata. Qua etiam forma & virtute si caruerit, nihil penitus aget, ut aer sine lumine, sine calore aqua, &c. Aliæ sunt causæ adiutrices, quæ vim principalium causarum applicant, ut is qui admovet ignem ad stipulam vel lignum. In quo genere actionis non facit diversos effectus diversa applicantium qualitas, modo ignis idem applicetur. Ministri autem & sacramenti & sacrificii Christiani sunt causæ secundi generis. Non enim per sanctitatem participatam reliquos ipsi sanctificant, nec mundant alios, quia prius a Christo ipsi mandati sunt. Sed qualescunque sint, si Christi aut sacramentum exhibent, aut præbent sacrificium, eundem Christi sanguinem & merita adiungunt.

Irenæus vero primum non de solo altaris sacrificio loquitur, sed de cæteris quoque oblationibus, quæ figurate sacrificia dicuntur. Id quod facile apparet, quoniam Pauli testimonium ad Philipenses excitat, ubi de elemosynis sermo fit. Illud etiam refert, *Respexit Deus ad Abel & ad munera eius.* Et item illud, *Si offers munus tuum ad altare, &c.* Deinde Irenæus sermonem aperte facit de sacrificio in ordine ad offerentem. At ne hostia quidem altaris eum, qui offert, purificat, si ipse nequam & impurus est. Quin magis ex oblatione sacrilega inquinatur. Vnde & ait (39), quod si quis timorem Dei non habeat, nequaquam per id, quod recte foris oblatum est sacrificium, ad se ducit Deum, intus habens peccatum. Nec oblatio talis, inquit, proderit ei aliquid. Præterea sacrificium altaris non solum ad ministrum est, sed ecclesiæ totius. Ita licet sacerdoti malo offerenti non prosit, sed noceat: at ei, pro quo offertur, utile est non sacerdotis merito, sed ecclesiæ. Quam rem exposuit Irenæus eo etiam capite in hæc verba: *Quia igitur cum simplicitate ecclesia offert, iuste munus eius purum sacrificium deputatum est. Cum vero in ecclesia Dei caput etiam includatur, quod est Christus, consequens fit, non oportere, ut sancti-*



*Actus sacerdotis administrantis sanctificet sacrificium, quod & per se sanctum est, & ab impolluto sacerdote oblatum. Idem quippe est: & sacerdos, & sacrificium Christus Iesus. Cum ergo argumentum illud, quod istis firmissimum & gravissimum videbatur, responsis omni luce clarioribus ego refellerim, qualia obsecro erunt argumenta reliqua? in quibus ab probandum vis nulla est, ad contradicendum est profecto imbecilla.*

Videlicet argumentum nonum minimo negotio refutabitur. In remissione enim peccati duo intelliguntur, & condonatio culpæ, & resolutio pœnæ. Atque illa quidem vel per propriam fidem & charitatem contingit hominibus, vel per fidei sacramentum: hæc vero per fidem etiam & charitatem alienam. Ecclesiæ nempe societas fratrum fidelium pœnas communes per amicitiam facit: quam rem probare, alterius loci ac temporis est. Multo vero magis hanc pœnæ relaxationem vir iustus a Christi passione participat: Christi autem passio per sacrificium altaris non solum commemoratur, sed communicatur etiam. Sacerdotis igitur oblatio ei, pro quo fit, bis conducit ad relaxandam pœnam, & quia sacerdotis ipsius opus meritorium est, quod ille ad solvendam pœnam proximo suo benigne ac liberaliter impartitur; & quia ecclesiæ atque adeo Christi sacrificium est: quem effectum sacrificio ex opere operato attribuimus: nam priorem illum habet ex opere operantis. Quare si sacerdos probus est, & suam operam & satisfactionem vult fratri indigenti dare, dupliciter, ut modo dicebam, illius commodis & utilitati servit: sin est improbus, una est utilitas sacrificii, quæ ab ecclesia & Christo offerente proficiscitur, quam omnino minister sacrilegus non intercipit. Sicut ne elemosynæ quidem fructum Domino adimit servus, qui eam distribuit, derestabilis.

In huius autem confirmatione argumenti vis sacrificii in peccato remittendo quæritur, culpas ne remittat, an pœnas, an utrasque potius, & culpas & pœnas? De qua re tres video sententias ferri, quarum nullam probo. Vnam, ut oblatio sacra culpas etiam mortales remittere possit, atque adeo gratiam conferre. Alteram, quæ in remissione peccati nullam vim sacrificio tribuit nisi ad impetrandum: quomodo elemosyna ab omni peccato & a morte liberat, quia orationis loco apud

Deum est, per quam ea bona impetramus. Id quod ecclesiasticus exponit inquit: *Conclude eleemosynam in sinu pauperis, & hac pro te exorabit ab omni malo.* Nec ideo tamen sacrificium propitiatorium esse negant. Quoniam & is, qui veniam alteri impetrat, illum propitium reddidisse dicitur, quem suis precibus placavit. Per hanc igitur viam & rationem hoc sacrificium non pœnas solum aiunt, sed culpas etiam omnes veniales mortalesque remittere. Tertia sententia est, quæ sacrificium ex opere operato in pœnas valere dicat, in culpas nullo modo. Satisfactionem itaque in altaris hostia esse & exolutionem pœnæ, non expiationem & remissionem culpæ. Ad hunc enim effectum sacramenta parata esse, ad illum vero esse institutum sacrificium.

Sane qui primam illam opinionem induerunt, hi eisdem argumentis utuntur, quæ nos attigimus, quod Alexander & Iulius tradunt, crimina omnia hoc sacrificio deleri: Athanasius, Cyprianus, & Damascenus affirmant omnes sordes expiari, Chrysostomus & Theophrastus non obscure docent, esse remissionem peccatorum. Quod si ex verbis illis, *quorum remissionis peccata*, &c. colligunt Theologi, ministros posse & culpas omnes remittere, & gratiam ex opere operato conferre: cur nos aliter eadem verba de sacrificio interpretemur? Præsertim cum peccata proprie vocentur culpæ: reatus vero pœnæ non nisi per tropum, quo effectus significatur nomine causæ. Atqui confugere ad tropos Theologo non licet, quando nihil absurdi est in proprio sermone.

Rursum sancti patres docuere, sacrificium hoc crimina abluere, sordesque detergere. Qui autem abluit & detergit sordes, is maculam tollit: non ergo solas pœnas hæc hostia resolvit, sed culpas quoque, in quibus maculam intelligimus. Remissa enim culpa, manet pœna, non macula. Adde quod sanguis Christi mystice hic funditur in remissionem peccatorum, quemadmodum nos ipsa forma consecrationis instituit: at sanguis Christi pro culpis etiam effusus est, non pro pœnis tantum. Vtrasque ergo hoc sacrificium solvit. Postremo, cum idem Christus patri offeratur in altari, qui se patri offert in cælo, sicut oblatio, quam sancta sanctorum ingressus patri exhibet, mortales etiam culpas remittit: ita & ea, quæ in altari fit, culpas remittet & pœnas.

Nec

Nec secunda opinatio præsiidiis suis destituta est. Quoniam post oblatum sacrificium pro peccato, ut fideles intellexerent vim orationis in hostia ad illud delendum esse, ecclesia his verbis deprecatur: *Sit hoc sacrificium intercessio salutatis ad veniam, sit ablutio scelerum, sit fortitudo fragilium, sit contra mundi pericula firmamentum, sit remissio omnium peccatorum.* Atque Divus Thomas in quarto, distinctione duodecima, quæstione secunda, articulo secundo, quæstiuncula secunda, quum in primo argumento obiecisset illud, *Sit ablutio scelerum,* &c. respondit, huiusmodi locutiones esse improprias. Dicitur enim hoc sacramentum scelera abluere, quia ipsa impedit, contra ipsa robur ministrando. Et ad quartum, *Eucharistia,* ait, *in quantum est sacrificium, habet effectum in illis, pro quibus offertur, in quibus non præxigit vitam spiritualem in actu: & ideo si eos dispositos inveniat, eis gratiam obtinet virtute veri sacrificii, a quo omnis gratia in nos inluxit: & per consequens peccata mortalia in eis delet, non sicut causa proxima, sed in quantum gratiam contritionis eis impetrat.* Hactenus Divus Thomas.

Tertia demum opinio (si opiniones tamen istas habeo dicere, quas video cum communi Catholicorum sensu pugnare) quoniam in hostiæ huius efficacia peccata mortalia nescit a venialibus secernere, ne utraque concedat per sacrificium remitti, ad pœnas utrorumque necessario confugiendum putat, quæ est his potissima ratio ita sentiendi.

Harum trium sententiarum, ut dixi, nulli prorsus assentior. Nec enim illa prima vera est, nisi omnes Theologi fallantur, qui uno ore animoque dissentiunt. Nam si culpæ mortales per sacrificium solverentur, pœnitentiæ sacramentum non esset ad salutem necessarium. Vbi enim sacerdos eas semel oblato sacrificio delesset, non esset opus easdem iterum culpas alio remedio extinguere. Neque Deus, qui non abundat in superfluis, duo externa signa proxime ad eundem effectum institueret. Constat autem pœnitentiæ sacramentum ad remittendas culpas fuisse institutum. Quod si sacrificium altaris ex se quoque peccata aboleret, duobus externis signis indiscriminatim ad culpæ remissionem abuteremur. Hanc cum adeo facile sacrificium exhiberet, pœnitentiæ disciplina penitus eluderetur, quoniam sacrificium offerre, remedium est cuique vel promptissimum.

### 310 DE LOCOR. VSV IN SCHOL. DISP.

num. Quid? quod culpas mortales sine confessione sacerdotes remitterent, oblati videlicet sacrificiis. Id si fieri a sacerdote potest, frustra confessionis præceptum ecclesia urgeret. Si quidem sacerdotes & sine cognitione causæ, & sine confessione peccantium culpas universas per sacrificium solverent. Ita post baptismum susceptum aliqua superesset hostia pro peccatis id quod retro diximus antiquis omnibus expositoribus repugnare, novos enim fortasse isti contemnent.

Ex quo Ambrosii Catharini deliratio patet, peccata ante baptismum admissa per crucis sacrificium remitti, post baptismum vero omnia per sacrificium altaris. Hostiam quippe crucis generalem causam esse remissionis peccatorum, sive ante baptismum, sive poste commissæ sint, tum ad Romanos & Hebræos tradit apostolus, tum etiam nos manifestissime probaremus, nisi stultum esset comenta improbabilia refellere. Illa potius refellenda sunt, quæ isti contra afferebant. Alexander, Iulius, Athanasius, &c. sacrificium aiunt delere crimina, peccataque remittere. Hoc tribus modis refutamus. Primum diximus, nec ita multo ante (40), cum pœnæ pro culpis debitæ delentur, solvuntur, remittuntur, tunc crimina deleri, solvi, remitti. Quo sensu ecclesia per indulgentias concedit peccatorum omnium plenissimam veniam, id est, pœnarum omnium, quas peccando contraximus. Nec refert multum, an improprie & figurate illa sint dicta, an sine figura & proprie, quia scilicet non est plene remissa culpa, quandiu peccator reus est solvendæ pœnæ.

Deinde cum ad perfectionem sacrificii pertineat sumptio, quemadmodum superius ostendimus (41) (nisi enim consumeretur, non existimabant veteres consummatum & perfectum esse sacrificium) nihil mirum est, si corpus & sanguis Christi, quoniam gratiam conferunt dum sumuntur, culpas omnes ex consequenti remittant: nempe is effectus gratiæ proprius & coniunctus est. Atque hoc ecclesiæ videtur significare cum ait: *Sumpta sacramenta, quæsumus Domine, omnia crimina nostra decergant.* Quibus verbis intelligi voluit, sacrificium,

ciū, si culpam spectes, non quia offertur delere crimen, sed quia sumitur. Eadem enim hac ratione & sacramentum est, & perfectio sacrificii. Postremo Divus Thomas in quartum sententiarum, ut modo citatum est, respondit sermones illos ad eam formam esse redigendos, qua hæc, quæ oratione impetrantur, dicitur oratio facere. In quem sensum dictum est, *Vitam prasta puram, Solve vincla reis, &c.* Quo Moyses etiam spectasse videtur (42), cum præscriptis singulis hostiis peccato subiungit: *Et orabit pro eo sacerdos, & dimittetur.*

At vero ridiculum est, si verba illa, *Quorum remisistis peccata* &c. simpliciter ad culpas pœnasque referimus: omnia similia, utcumque ubicunque & a quocunque dicantur, ad eundem quoque modum interpretari. Aliud est, mihi crede, iudices constituere, qui de peccatis sententiam ferant, qui retinendi ac solvendi habeant potestatem, qui pro culpârum vel levitate vel gravitate scverioremiutioremve penam iniungant: aliud post gratiam initam, & sacramentum reconciliationis acceptum altaris Domini participem fieri. Quod si post remissam culpam nulla prorsus maneret pœna, nec post mortales condonatas, veniales admitterentur, nihil esset opus, post institutum pœnitentiæ sacramentum hostiam propitiationis habere. At hac etiam in re precipue nobis indulsit Christus, qui non solum pœnitentiam dedit, ad reparandam, resarciendamque amissam gratiam, sed sacramentum Eucharistiæ idemque altaris sacrificium reliquit, quo gratiam sartam tectam haberemus. Hoc enim sacrificio non modo pro conciliata amicitia par pari referimus, verum etiam subiratam iudicem, & pœnam temporalem pro admissa ac remissa culpa minitantem propitium redimus: hoc sacrificio detergimus pedes, & quod apostolis aqua in pelvim missa contulit, id ac multo etiam magis pœnitentibus tribuit sanguis missus in calicem: hoc denique oblato sacrificio disponimur, abluimur, præparamur, ut ad mensam dominicam puriter, nedum amice valeamus accedere, epulisque acumbere divum. Ordo igitur rerum, sacramentorumque natura poscit, ne remissionem peccatorum

eo-

(42) *Levit. 4. 5. & 6.*

eodem modo in pœnitentiæ sacramento, & in altaris hostia interpretemur.

Nec ad tropos hic fugimus. Explicatum est namque, resolutionem pœnæ ad remissionem integram peccati attinere, nec esse plene remissam culpam, pro qua manet solvenda pœna.

Ac si sanctorum dicta hoc sane loco ad tropum deflecteremus, nec sine necessaria causa, nec sine pervulgata eius vocis usurpatione id faceremus.

At ablutio criminum sine aqua gratiæ non est, nec nisi maculam habeat, quicquam aut tergitur, aut abluitur. Ego, Lector, nolo ablutionis & maculæ metaphoras ad vivum rescare, quemadmodum ii, qui ista subtilius inquirunt, fortasse vere, sed ad communem utilitatem parum. Nam si scripturæ ac veterum testimonia semper ad illam normam velimus exigere, inveniemus ea quandoque a veritate discrepare. Id quod uno solum exemplo manifestum facia, quoniam vel mihi ipsi iam huius disputationis longitudo molesta est. Davidi ad peccati confessionem culpam esse remissam, nemo vocare in dubium potest, nisi qui ea, quæ paulo ante scripsimus, aut non legerit, aut nunquam secum reputaverit, Dixi, ait, *confitebor adversum me iniustitiam meam Domino*, &c. Sed quod remissa culpa nondum fuisset plenam munditiam consecutus, is ipse testatur inquires: *Amplius lava me ab iniquitate mea & a peccato meo munda me*. Item, *Asperges me*, &c. Qui *amplius* dicit, hic locum se esse procul dubio sentit, sed non plene atque perfecte. Macula igitur aliqua relicta erat, sordes aliquæ permanebant, quæ non fuerant penitus priore ablutione detersæ. In hunc ergo modum dixere veteres, sacrificium abluere crimen, sordesque purgare, quamvis scirent, per pœnitentiam ante & remissam culpam, & gratiam iustificationis acceptam. Pœnæ itaque resolutionem, quoniam purgatio & medicamentum animi est pœna omnis, ablutionem detersionemque appellarunt veteres, vel certe senserunt, per gratiam imperfectam non plene sanari, abluï, mundari cor humanum, quoniam habitus vitiorum inhærentes, & inclinationes quasdam ad bonum commutabile ex peccato trahimus: quæ omnino res, cum non statim per quamlibet contritionem evanescant, tum exploratum est

est, quasi sordes animi & morbos esse. Benigne igitur fecit Dominus in voluntate sua Sion, cum post sacrificium cordis humilitati atque contriti, quo deletur culpa, alterum accepit sacrificium iustitiæ, quo resolvitur pœna. Vtroque purgantur sordes, utroque abluimur, & mundamur, sed non eodem modo tamen. Multæ enim variæque purificationes a rebus diversis existunt, quas si similes omnes esse velis, stultum te esse fateare. Nam peccati maculam omnino totam, ita ut ne vestigium maneat quidem, per quamvis gratiæ ablutionem penitus elui, nec ratio admittit, nec auctoritas.

Sed sanguis Christi offertur & mystice funditur in remissionem omnium peccatorum. Mihi profecto sæpissime de ea re cogitanti maxime illud considerandum videri solet, quod in superioris cuiusdam argumenti refutatione breviter admonui, sanguinem Christi in omnibus quidem sacramentis operari, sed in singulis suum cuique proprium effectum edere, iuxta cuiusque peculiarem & significationem & naturam. Quemadmodum causa universalis prima, non totam vim in singulis adiuuantibus causis effundit, sed ad illarum omnino vim vel perfectam vel imperfectam se attemperat, & varios quasi partus procreat perfectione & imperfectione differentes; sic Christi sanguis per se quidem & in baptismo & in pœnitentia remissionem peccatorum facit, sed non similiter tamen. Nam in baptismo, quoniam regeneratio est, totam perfecte culpam pœnamque resolvit: in pœnitentiâ vero, quoniam est iudicium, & satisfactionem habet adiunctam, culpam resolvit, pœnam non plene, donec satisfactio fuerit expleta. Atque in reliquis sacramentis omnibus remissio quidem peccatorum est; sed quodam modo & quasi per accidens. Quia nimirum non sunt per se aut confirmatio, aut eucharistia, aut ordo, aut matrimonium ad remittendum peccatum instituta; sed proprias tamen operationes habere nequeunt sine gratia, quæ si peccata in anima reperiat, ea depellit, ut contraria. Sacrificium altaris inuenio, cum ad veritatem cœpi revocare rationem, quia per se propitiatorium est, ex se quoque ad remissionem peccati institutum. Verum cum species habeat panis & vini, idemque & altare hic & mensa sit, ratio ipsa rerum & ordo naturæ postulat, ut huius altaris effectus in illis existat,

qui mensæ huius participes esse possunt, nempe sacramento reconciliationis accepto, antequam ad amicorum convivium accedere absurdum est. In his autem culpa mortalis remissa est. Quare sanguis Christi in speciebus panis & vini per se quidem remissionem pœnæ & culparum venialium tribuit: interdum tamen, quamvis per accidens, tribuit etiam mortalium, non quia offertur, sed quia sumitur. Tunc enim ut sæpe dixi, consummantur sacrificium. Quod quum forte invenit hominem in peccato mortali, ignorato tamen, gratiam confert, illumque iustificat, si D. Thom. auctori credimus.

Quamobrem tametsi Christi sanguis offertur & mystice funditur in remissionem peccatorum (ut iam argumento respondeamus) ex significatione tamen specierum panis & vini tanquam ex causa instrumentali & adiutrice definitur, ut eam remissionem efficiant, cuius participes sunt ii, qui non indigne ad altare Domini accedunt, id est, qui nullis culpæ mortalis sibi sunt consci, quam non prius per pœnitentiam eluerint. De effectu sacrificii ex opere operato sermo fit: nam quasi orationis loco ad impetrandam gratiam scio pro mortali posse etiam offerri. Nec tamen effectum semper habere necesse est, & quasi lege edita pœnitentiam peccatori, atque adeo veniam impetrare: tametsi oratio est hæc Deo gratiosa vel maxime. Sed obiicit. Exauditus est filius semper pro sua reverentia: & hoc sacrificium semper offert patri filius: sempiternum ergo effectum habet. Nec enim oratio filii frustra & vane fundi potest. Cui argumento respondeo. Quas Christus per se ipse fundit preces, eas omni & tempore & loco exaudit pater: at quas ille offert per homines, non semper exaudit. Sicut causa prima quos effectus per se sine adiutrice alia voluit edere, in his nihil frustra egit aliquando. At cum per secundas causas operatur, frustra quandoque agere dicitur, hoc est, quandoque finis evanescit, non a præcipua causa, sed omnino ab adiutrice.

Ad eundem quoque modum, si Christus in cœlo hoc sacrificium offert, ut vere offert, non ad omnem effectum sanguinis instituit offerre, sed ad effectum sub certis speciebus & figuris definitum. Prima igitur sententia sic nobis refuta sit.



Qui vero solam vim inpetrandi in altaris hostia ponunt, hi in pœnis peccatorum primum errant; (quas sacrificio sanguinis Christi tanquam pretio exhibito redimi, quoniam res nota erat, perstrinximus breviter paulo ante. Si enim eleemosynis peccatorum pœnæ redimuntur, cur negemus Christi sanguine oblato in altari redimi? Ecquis autem ferat sacrificiis veteris legis pœnas resolvi, sacrificio novæ legis non resolvi? An vilior est Deo sanguis Christi, quam sanguis hirci? Sed quemadmodum in sacramentis non modo quia actio nostra meritoria est, satisfactionem habet adiunctam pro pœna culpæ debita, verum etiam ex eo quod per talia signa proprie nobis sanguis Christi applicatur, vi ipsius sanguinis & maior gratia confertur, & maior pars pœnæ remittitur: sic in sacrificio altaris non solum quia oblatio nostra meritum habet, sed quia per eiusmodi externum signum passionis Christi commemoratio atque adeo applicatio fit, ex opere operato, id est, virtute sanguinis ipsius cumulatior pœnæ remissio & offerenti contingit, & iis etiam, pro quibus etiam offertur. De vivis intelligo: nam in defunctis non subest causa eadem. Ad hos quippe sicut merita Christi per indulgentias non nisi ad modum suffragii perveniunt, ita forsitan nec sacrificii vis nisi orationis & suffragii locum habet. At vivis per viam redemptionis & pretii prodest, quod lege iustitiæ acceptandum est, perinde ut si quanta pecunia debetur, tanta etiam exolvatur.

Errant deinde isti in culpis venialibus, quas hoc omnino sacrificio deleri, testes sunt & scholæ Theologi, & veteres etiam sancti. Nec enim minore ecclesiæ consensione venialia (+) per sacrificium altaris, quam per aquam benedictam, per orationem dominicam aut similia huiusmodi religionis opera remittuntur. Estque argumentum in promptu certissimum, quod ex vi formæ, qua consecratur sanguis, specierumque panis & vini retro collegimus, peccata amicorum, qui videlicet ad mensam dominicam haud indigne accedunt, per hoc sacrificium resolvi. Illa autem levia sunt & venialia, quæ in amicis etiam inveniri queunt. Vt aperte Christi erga nos pro-

Rr 2

vi-

(43) De consecrat. diss. 2. cap. IICETANT, & cap. NITUM.

videntiam & benignitatem intelligas, qui gravioribus morbis graviolem pœnitentiæ curationem adhibuit, leviores autem faciliori sacrificii medicamento curavit. Sed hæc hæctenus. Isti, atque etiam qui tertiam sententiam secuti sunt, videant quomodo tueri causam suam possint, cum non solum pœnas, sed veniales etiam culpas per altaris hostiam remitti, ratio & veritas ipsa convincat. Ac de argumenti noni confirmatione vereor ne nimium multa dixerimus.

respon.  
ad 10.

Decimum vero argumentum quæstionem perobscuram habet de valore sacrificii, ubi quibusdam Theologis, quos video doctissimos habitos in schola, placuisse intelligo mirabilia quædam: sed nihil est tam improbabile, quin argumentando probabile quandoque appareat, his præsertim, qui de facie rerum iudicant, & argutiis suis fumos Theologiæ persequuntur. Horum de valore missæ sententias refellere longum & molestum erit. Meam itaque breviter exponam, quantum videlicet satis erit, ut argumento huic respondeatur. Primum ergo vocari in dubium non debet, quin valor missæ ratione quadam tenus infinitus sit, hoc est, ad sufficientiam, non ad efficientiam. Nam sicut Dei virtus & potentia sufficiens est quidem, ut infinitum effectum edat, quoniam infinita ipsa est, sed semper tamen edit finitum, quia infinitum capere res creata non potest: si Christi sanguis, ubicumque reperitur, sive in cruce, sive in altari, infiniti pretii est, quia idoneus, ut pro infinitis, si essent, hominibus satisfaceret: sed quoniam sunt finiti semper, effectus semper finitus est, quamvis pretium sanguinis nullo fine circumscriptus sit. Ac de hostia crucis quidem nulla hodie nobis controversia est: hostiam vero altaris infiniti valoris esse duobus argumentis explore perceptum est & cognitum. Vnum illud est, quod refutare modo nitimur. In ea enim parte, qua docet, sacrificium infinitum esse, quia sanguinem Deo infiniti pretii exhibet, difficile factum est, efficacitatem illius argumentationis non probare.

Alterum argumentum est, quod si valor missæ finitus esset, minus satisfacerent pro pœna debita decem homines, qui offerrent sacrificium, quam si duo tantummodo offerrent. Si enim rem quancumque finitam decem hominibus partiaris,

non

non tanta portio obveniet singulis, quanta duobus contingeret, si inter duos solum divideretur. Ita si decem audirent missam, valor distributus in plures, minor in quocunque illorum existeret, quam si duo tantum sacrificio interessent. Item quo plures ministri vel in altari, vel in choro sacrificio solemnè inservirent, eo minorem hostiæ partem acciperent. Quare qui post me vel auditor, vel adiutor ad missam accederet, is fructus mihi & satisfactionis partem adimeret. Quæ profecto omnia absurda sunt. Quibus rebus efficitur, ut si duo fideles sacerdoti stipem & eleemosynam conferant, qui pro illis hostiam præbeat, non sit prior minorem ex Christi sanguine utilitatem percepturus, quam si posterior nullus omnino extitisset. Quemadmodum si iuxta crucem quis una cum Christo patri offerret sanguinem illum, nihil consequeretur minus, si solus, quam si infiniti tunc simul adessent, qui idem cum filio sacrificium exhiberent. Eadem quippe hostia in cruce, atque in altari est, tametsi ibi patens, hic in mysterio abscondita. Nec sacerdos tamen laboris sui mercedem quamlibet accipere a multis pro missa una potest, sed quæ satis erit, ut de altari ad sobrietatem comedat. Non enim sanguinis Christi fructum, meritumque vendit, sed operas suas, ministeriumque locat. Quocirca nihil onanino plus a pluribus vindicare potest, ac si minor esset utilitas in pluribus, quam in uno. Omnis autem opinio in hoc consentiat necesse est sacerdotem, sive pro paucis, sive pro multis celebret, cibum vitæ necessarium expetere suo iure posse. Quem si unus non dederit, nulli facit iniuriam, si expetierit a pluribus. Quin iniurius es tu, si cogas sacerdotem, ut solum pro te ille hostiam præbeat, nisi tu illi præbeas cibum. Qui quantus qualisque sit homini necessarius, prudentia magis, quam Theologia diiudicat. Vno in tempore & loco non satis erit argenteus nummus, alio forsitan plus nimio erit.

Sane quod de utilitate sacrificii diximus, recte Cæteranus admonuit, hoc ad eos tantum, qui offerunt, referendum esse. Nam qui non offerunt, ii non æqualem partem accipiunt, si pro pluribus, ac si pro uno dumtaxat offerretur. Ut si sacerdos sua sponte a nemine amicorum invitatus pro  
illis

illis absentibus sacrificet, dico, non tantum valere multis, quantum valeret uni, si pro uno illorum singulariter sacrificaretur. Ad satisfactionem loquor: ad impetrationem namque nulla vis minor in sacrificio est, quod pro multis offertur, quam in eo, quod pro uno solo. Quæ omnino res cunctis orationibus communis est, quibus nihil detrimenti ad impetrandum est, quod pro pluribus effunduntur. At adiutores, auditoresque missarum, ii etiam, qui sacerdoti alimenta ministrant, vel quoquo modo sacrificio inseruiunt, re vera offerunt sacrificium, ideoque pro sua devotione quisque partem capit hostiæ illius. Certe quo causa adiutrix sacrificii principali causæ coniunctior est, eo magis pro pœna satisfacit: ut sacerdos plus quam diaconus, diaconus plus quam subdiaconus, subdiaconus plus quam acolytus, acolytus plus quam auditor: horum autem utrumque excellit is, qui sacerdoti stipendium vitæ necessarium dedit. Atque hi etiam quo devotius at religiosius suis quisque munere fungentur, eo magis satisfaciunt. Tanta vero devotio & religio in offerendo sacrificium esse poterit, ut una oblatione tota pœna debita resolvatur. Nec enim si sacrificium infiniti valoris est, idcirco tota semper pœna redimitur. Quoniam infinitum est in genere causæ universalis, quam, infinitam licet, causæ adiuvantes ad finitos effectus determinare solent, tanto vel maiores, vel minores, quanto vis adiuvantium causarum vel maior, vel minor est. Id quod in prima rerum naturalium causa cernimus, quæ tametsi infinitæ virtutis ipsa est, per causas secundas finitos effectus edit tantos & tales, quantos & quales causarum adiutricum vis & naturam possit. Nec sacerdos sacrificio imponit limites ex merito & sanctitate, sed ex intentione & applicatione sua, qua huic, aut illi, pro quo offert, sacrificii virtutem applicat. Sane quemadmodum parvulis baptizatis per ministri intentionem Christi sanguis applicatur, certusque gradus gratiæ confertur, non quem administri sanctitas præfinivit, sed quem præscribere voluit Christus (nam quotus gradus ille sit, mortalibus ignotum est) sic his, pro quibus sacrificium offertur, si simul iidem non offerunt, certus gradus pœnæ remittitur, quem nos ignoramus, Christus sua voluntate præstituit. Sed ut adulti eo maiorem a bap-

baptismo gratiam percipiunt, quo religiosius, & devotius percipiunt baptismum: ita a sacrificio maiorem utilitatem capiet is, qui sacrificium sanctius & ferventius offeret. Parvulis porro ablutio peculiaris ministri vim crucis ad certum gradum gratiæ definit, quem æqualem in omnibus illis esse credimus, quod æqualis in omnibus dispositio est: adultis vero, quoniam non est eadem dispositio, sed alia cuique, atque alia, non idem gratiæ gradus, sed alius alii conferetur. Quomodo vim sacrificiæ universalem & infinitam sacerdotis singularis oblatio determinat vel ad certam & æqualem remissionem pœnæ in his, qui eodem modo se habent ad sacrificium: vel etiam ad inæqualem in iis, qui cum causæ adjuvantes sint sacrificii, aliter atque aliter afficiuntur, hoc est, bene, melius, optime.

Quod si Christi sanguis tam proprie noster esset, quam suus cuiusque proprius est, sine dubio Christi sanguine oblato, tota pœna, quamvis infinita, solveretur. At, sicuti diximus, noster est Christi sanguis eo modo, quo lux solis nostra est, nempe ut causa universalis, cuius vis maior, minorve recipitur, pro eo ut subiectum magis, minusve disponitur, pro eoque ut causæ adjuvantes maius minusve opis ferunt ad effectum. Atque post hæc in refutando argumento decimo otiosum erit verba plura prodigere.

Vndecimum quoque argumentum ridendum magis erat, quam refutandum. Sed ridicula missa: præsertim cum in tanta hominum cæcitate, & miseria, nihil est, quod rideamus. Prior ergo eius argumenti particula facillime eluditur. Nulla enim repugnantia est, quin convenit maxime, ut qua re Deo gratiam referimus benefico, eam rem offeramus irato. Eisdem quippe muneribus bove, ove, agno, veteres patres & gratiam Deo referebant, & illum placare curabant. Quem in modum nos corpus & sanguinem Christi, divino nobis dono concessa munera, Deo & propitiatorie reddimus & eucharistice. Nam quod putant, sacrificiorum species confundi, si idem eucharisticum, & propitiatorium sit, in eo mirifice isti falluntur. Nos enim confunditur triplex animæ vis vegetandi, sentiendi, intelligendi, si in una rationali anima tres excellenter existant. Ex quo intelligitur, si veteris legis multa, eademque

Respon.  
ad II.

que varia sacrificia in unum novæ legis omnia transferint, ubi contineantur & emineant, non hanc esse specierum per mixtionem confusam, sed Christiani sacrificii excellentiam perfectam. Deinde in moribus hoc videmus ut diversa virtutum ac vitiorum genera in unam actionem coeant, si huic diversi fines accedant. Idem scilicet actus est furtum, & sacrilegium, idem misericordia & religio. Nihil igitur vetat, quin eadem hostia ad diversos relata fines, & propitiatoria, sit & eucharistica. Deum sine nos in remissione etiam peccati & misericordiam & iustitiam agnoscimus, ut & gratis remittat peccata, & pretio remittat tamen. *Iustificati*, ait, (44), *gratis per redemptionem, quæ est in Christo Iesu*. Et rursus (45), *Empti esitis pretio magno*. Donavit autem Christus nobis pretium hoc, gratisque donavit, ut debita nostra solvamus. Quamobrem tuum filio, tuum patri ingentes gratias agimus: in eo, ut aliquando diximus, par pari referimus. Quia vero pretium istud acceptum licet, sed nostrum est tamen; vere hoc exhibito peccata nostra redimimus, Deumque suis beneficiis placamus. Quam rem Irenæus in hæc verba prosequitur (46), *Qui nullus est intelligens Deus in se assumit bonas operationes nostras ad hoc, ut præstet nobis retributionem bonorum suorum: sicut Dominus ait, Venite benedicti, &c. Ita & verbum dedit populo faciendarum oblationum, quamvis non indigeret eis. Ita & nos offerre vult munus ad altare*. Hactenus Irenæus. Et Celestinus huius nominis primus eleganter exclamat (47), *O misericordiam Dei, qui nostra vis esse merita, quæ tua sunt dona: & pro his, quæ liberaliter largitus es, æterna premia es daturus*. Quæ causa Christo Domino fuit, ut in initio statim cœnæ gratias egerit, accipiens panem & vinum ut distribueret discipulis. Accipiebat ergo ipse, qui dabat & ideo gratias agebat. Quo modo nos & gratias agimus Deo pro accepto munere, & damus acceptum pro redemptione animarum nostrarum. Quæ omnia fere in argumento 2. pro prima conclusione, & in argumento 3. pro

2. con-

---

(45) Rom. 3. (46) 1. Cor. 6. (47) Lib. 4. cap. 34.  
In epist. ad omnes Galiarum episcopos.

2. conclusione, & in responsione ad 5. argumentum explicata sunt. Nam & posterior huius undecimi argumenti particula in responsione ad 3. satis confutata est. Cur autem eucharistia sacrificium sit, cætera sacramenta non sint, non est illa causa, quam isti reddunt: sed quia in eucharistia corpus & sanguis Christi vere manent, in cæteris sacramentis non manent. Vnde cum tam pretiosa munera in eucharistia habeamus, offerre ea Deo & possumus iure, & debemus. Sine oblatione autem sacrificium non est. In eucharistia quoque oblatione mystice Christus, & increuente immolatur, ideoque ibi hostia est, in aliis sacramentis non est. Proprie dico, nam per translationem baptismus quoadque hostia dicitur. Abeant ergo cæci & indocti Lutherani, quos in uno hoc exemplo patefecimus disciplinarum omnium ignaros esse, Theologiæ, Philosophiæ, Dialecticæ, Grammaticæ. Nec enim rem tantummodo, sed sacrificii etiam nomen ignorant.

## CAPVT XIII.

*Exemplum secundum, ubi Theologiæ conclusio in questionem vertitur.*

**Q**Vamquam in singulis præcedentibus libris Lutherano- rum nos malitia coegit, de uno aliquo Theologiæ principio disserere, atque adeo questionum, quæ præter naturæ, ac disciplinæ ordinem in controversiam veniunt, multa exempla ponere: sed capite superiore tam in eo pug- næ genere styli diligentius exercuimus, & quasi ad spectaculum liberiore disputatione lusimus. Tametsi non ludicrum hoc, sed verum certamen fuit, quod spectante orbe in Tri- dentino concilio certavimus. Vbi patribus magnum lumen accendimus, tenebras adversariorum dispulimus, Theologi visi sumus. Audacius vero fecimus, quam scholæ auctores cæteri. Illi enim icuine solent, nullis ornamentis oratoris adhibitis, hereticorum sensa rationesque referre: nos autem illa ipsa hæreticorum argumenta ita amplificavimus, auximus,

ornavimus, ut & quæ arma iniurici habent, acuisse videamur, & quæ non habent, suppeditasse. Sed, quod alias sæpe dixi, veritas mendacium superat, miris licet modis instructum & ornatum. Verum ne plus iusto volumen excrescat, non ad eum morem reliqua copiose exempla persequemur: sed anguste, & contracte disputabimus, atque utriusque partis argumenta non omnia, sed præcipua breviter perstringemus.

Age dum ergo illa sit nobis secunda quæstio, *An Christi anima statim ab initio creationis sua Deum clare viderit?* Sunt enim in utramque partem argumenta adeo probabilia, ut neutra firme stabilita videatur. Bucerus porro negat, Christi animam fuisse a principio perfectam, Erasmus in dubium vocat, Theologi vix ostendunt. Qui vero inficiantur, ii huiusmodi argumentis uti possunt.

1. Arg. Primum, in Christo fuit fides: sicut scriptum est, *Erit fides cinctorum renum eius*. Non ergo mens eius videbat Deum, quoniam fides argumentum est non apparentium (2).
2. Arg. Deinde, Christus spem habuit, quemadmodum ipse patri loquens ait (3), *Spes mea ab uberibus matris mee*. Quod autem videt quis, quid sperat (4)?
3. Arg. Præterea timuit, ut videre est apud Marcum (5): timor autem futuri, & incerti mali est, Aristoteli 2. rhetoric. lib. Non igitur videbat clare Deum, in quo nihil ut futurum, incertumve cognoscitur.
4. Arg. Præterea crevit gratia (6) non solum apud homines, sed etiam apud Deum. Non itaque erat beatus, nec videbat Deum, quia beati crescere in gratia non queunt.
5. Arg. In notitia insuper, & visione beata nulla rerum cognitarum successio est. At Deus Christi animæ quædam demonstrabat, alia celabat postea demonstraturus, iuxta illud (7), *Pater omnia demonstrat filio, quæ ipse facit: & maiora his demonstrabit ei opera*. Et rursum (8), *De die illa nemo scit, nec filius*.

Præ-

---

(1) *Isai.* 11. (2) *Hebr.* 11. (3) *Psalm.* 21.  
 (4) *Rom.* 8. (5) *Marc.* 14. (6) *Luc.* 2.  
 (7) *Ioann.* 5. (8) *Marc.* 13.



Præstantius item & iucundius est gloriam & honorem 6. Arg. consequi per opera digna, quam sine ullo omnino merito. Christus ergo animæ suæ felicitatem tanquam virtutis præmium accepit. Quare non est in primo instanti visionem Dei consecutus. Meritum enim præmium antecedit, laborque mercedem. Nec fieri potest, ut simul quis & mereatur beatitudinem, & beatus sit, nisi simul sit anima & in via, & in viæ termino. Confirmant autem argumentum hoc sacrarum literarum testimonia plurima. Vt illud (9), *Pro eo quod laboravit anima eius videbit & saturabitur. Satiabimur autem* (10), *cum apparuerit gloria Dei.* Item (11), *Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem, propterea unxit te Deus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.*

Item, cum dixisset (12), *Caro mea requiescet in spe: & non derelinques animam meam in inferno*, subiicit Christus ipse: *Notas mihi fecisti vias vitæ, adimplebis me lætitiæ cum vultu tuo.* Non igitur ante mortem adimpleverat eum Deus lætitiæ vultus sui: qua de re ne ad faciem quidem videbat Deum. Item (13), *Dignus est agnus qui occisus est, accipere divinitatem & sapientiam*: non ergo ante mortem acceperat, sed meritis est eas accipere moriendo. Item (14), *Ecce salvator tuus venit: ecce merces eius cum eo, & opus illius coram illo.* En merces, en opus: gloriam ergo animæ commeruit. Nam gloria corporis, tametsi merces fuit operis sui Christo, non tamen fuit simul cum eo. Item (15), *Decebat eum, propter quam omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum per passionem consummari.* Quid autem per consummationem intelligat Paulus, quanquam nomen ipsum præ se fert, in eadem epistola exponit inquiring (16): *Vt non sine nobis consummarentur.* Finem ergo suum Christus per passionem adeptus est.

Postremo, non potest esse cum summo gaudio summa 7. Arg. tristitia coniuncta: at, qui videt Deum, is maxime gaudet:

Ss 2

Chri-

- 
- (9) *Isai.* 53. (10) *Psal.* 16. (11) *Psal.* 44.  
 (12) *Psal.* 15. (13) *Apoal.* 5. (14) *Isai.* 62.  
 (15) *Hebraor.* 2. (16) *Hebraor.* 11.

Christus vero maxime tristatus est, iuxta illud: *Tristis est anima mea*, &c. Et iterum, *Repleta est malis anima mea*. Non ergo Deum videbat: nisi velis duo simul contraria in eodem subiecto extitisse, eandemque animam pariter & repletam malis, & repletam lætitia cum vultu Dei. Hæc videlicet sunt argumenta potissima, quæ e locis Theologiæ contra veram Theologiæ conclusionem depromuntur. Nam si quæ sunt alia, vel facilia sunt, & cuique in promptu parata, vel ad ea, quæ posuimus, omnia referuntur. Sed nihil movere nos debet, ut ab scholæ decreto recedamus.

Omnes autem Theologi (17) definiunt, Christum ab instanti conceptionis Dei essentiam vidisse. Quæ conclusio, licet sola Theologorum auctoritate probaretur, satis firma habenda esset, quemadmodum lib. 8. constituimus: sed his quoque argumentis demonstratur.

Primum ex illo, *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi unigeniti a patre*. Quo loco Divus Thomas advertit, gloriam animæ Christi ex personali unione verbi & animæ esse derivatam. Id enim evangelista non obscure significat, cum voce eadem repetita ait: *Gloriam quasi unigeniti a patre*. Illam sane animam talem existimemus necesse est, qualem decebat eam esse, quæ esse Deo coniuncta vel maxime, nimirum undecumque perfectam, omnibusque omnium numeris absolutam. Quod qui non sentiat, hic de unione personali Dei & hominis stultissime sentiat. Iam si anima Christi unita verbo non fuisset glorificata, fuisset profecto imperfecta. Magna quippe humanæ menti perfectio deest, si felicitas deest. Ac videre Deum per speculum in ænigmate, imperfecti hominis esse, testis est Paulus (18) in hæc verba: *Cum venerit quod perfectum est, evanescit quod ex parte est. Cum essem parvulus, loquebar ut parvulus, sapiebam ut parvulus: quando autem factus sum vir, evanavi que erant parvuli. Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte*, &c. Quia igitur ab utero Christus

(17) D. Thom. 3. part. quest. 9. art. 2. & quest. 34. art. 4.

(18) I. Cor. 13.

stus non sapiebat ut parvulus, sed vir omnino perfectus erat, ab utero quoque Deum facie ad faciem videbat. Id quod Hieremias (19) prædixit inquit: *Novum creavit Dominus super terram; femina circumdabit virum.* Adde, quod cui communicatur esse, ei etiam communicatur propria rei operatio, quæ consequitur esse: ut cui datur esse ignitum, eidem quoque datur ut calefaciat; & cui daretur esse solis, is sine dubio illuminaret. At propria Dei actio est videre seipsum: hac enim visione beatus est: ergo cum anima Christi haberet esse divinum, habebat item suo modo divinæ naturæ propriam actionem, atque adeo videbat Deum. Adde etiam, quod maior erat unio animæ Christi cum verbo, quam unio beatorum: sed ex hac existit claritas in intellectu beati, ut Deum videat: ergo multo magis ex illa talis claritas orietur. Id Divus Thomas hac ratione confirmat. Quanto receptivum propinquius est causæ influenti, tanto abundantius & plenius recipit influentiam eius. Sed mens Christi propinquior erat causæ luminis gloriæ, quam omnes angeli beati: plenius ergo, atque perfectius cognoscebat Deum.

Argumentatur præterea Divus Thomas gloriam in anima fieri ex eo, quod divinitas sit præsens intellectui, sicut lumen in aere ex præsentia solis. Quia enim (20) gloria Dei ingrediebatur per viam orientalem, terra splendebat a maiestate eius. Cum ergo lux ipsa, non solum ingressa fuerit in animam Christi, sed ei fuerit in idem esse personale coniuncta: claritas gloriosa inde secuta est, ut splendor sequitur solem. Præterea, Deus attingitur a natura intellectuali per cognitionem & amorem: at anima Christi propinquissime attingebat Deum, quia erat Deo propinquissima: ergo eius propriæ actiones, notitia & amor, non longe, sed proxime Deum attingebant. Mens vero cum est viatrix, peregrinatur a Domino, a longeque repromissiones aspicit: cum autem videt per speciem, præsens est & propinqua: ut ad Corinthios & Hebræos tradit apostolus (21). Si ergo anima Christi peregrina, & hospes erat super terram, certe non erat

Deo

---

(19) Hierem. 31. (20) Ezech. 43. (21) 2. Cor. 5. Hebr. 11.

Deo per cognitionem proxima, sed angeli erant Deo proximiores.

Nec me fugit, posse a calumniantibus obiici, aliud esse quod res sit præsens animæ secundum esse reale, aliud quod sit præsens secundum esse intelligibile. Anima enim nostra intellectui nostro coniunctissima est, si esse reale consideres. Sed quia coniuncta non est secundum esse intelligibile, videre eam in se, quandiu mortali corpore circumdamur, non valemus.

At hæc obiecto haberet fortasse locum, si filius Dei animæ rationali perinde ut lapidi aut stipiti fuisset unitus, nec in unione illa esse intellectuale primo spectatum exquisitumque fuisset. Verum patres ecclesiæ veteres mentem potissime assumptam credidere, per mentem animam, per animam vel ipsa carnem. Augustinus in lib. de agon. Christian. *Invisibilis*, ait, & *incommutabilis veritas per spiritum animam, & per animam corpus accepit*. Et in epist. ad Volusianum, *Ipsa magnitudo*, inquit, *divina virtutis animam sibi rationalem, & per eandem corpus humanum, totumque omnino hominem in melius mutandum cooperavit*. Ac Damascen. in 3. lib. unitum esse ait carni per medium intellectum verbum Dei. Quam rem D. Thom. 3. part. quest. 6. divine, ut omnia, explicavit. Atque hæc causa, nisi fallor, evangelistæ fuit, cur non diceret, aut filium, aut vitam, aut lucem, sed verbum carnem factum esse. Verbum enim prolem mentis aperte significat, & naturam intellectualem præ se fert. Quorsum autem Ioannes diceret, primum intelligibile, hoc est, verbum extremo illi, id est, carni se iunxisse, nisi ut moneret, Sapientiam Dei attingisse quidem a fine usque ad finem fortiter, sed disposuisse tamen omnia suaviter, & carnem sibi propter animam univisse? Etenim quod per se intelligibile erat, id cui se prius, quam intellectui mentique coniungeret? Nempe ex fine assumptionis liquido apparet, quid Dei verbum in ea coniunctione expetierit. De qua re quoniam non ita multo post latius dicturus sum, nunc illud satis est, finem hominis Dei notitia constare. Qui ergo factus est homo, ut hominem ad finem suum, id est, claram Dei cognitionem duceret, is mentem sibi præcipue coniunxit, qua finis præoscitur, quæritur, possidetur.

Hoc vero illa etiam argumentatio confirmat (22), *Filius Dei in hoc natus est & ad hoc venit in mundum, ut testimonium perhiberet veritati*. Ecce, ait (23), *testem populis dedi eum, ducem ac præceptorem gentibus*. Vt autem testis perfectus sit, illa res in eo prima quæritur, ut hoc probe cognoscat, & teneat, de quo testimonium est laturus. Si dux itidem & præceptor consummatus quispiam habendus est, scire illum oportet & finem quo ducat, & veritatem omnino, quam doceat. At Christus testis veritatis erat a patre, dux & præceptor constitutus: quocirca necesse erat, ut a Dei verbo mens potissimum & ratio hominis in ipsa unione perficerentur. Nec laborare diu opus est, ut inuenias, quando apostoli gloriam quasi unigeniti a patre viderint, cum Petrus id significatissimis verbis patefaciat (24), *Non enim doctas fabulas secuti, ait, notam facimus Domini nostri Iesu Christi virtutem & præsentiam: sed speculatores facti illius magnitudinis. Accipiens enim a Deo patre honorem & gloriam voce delapsa ad eum huiuscemodi a magnifica gloria, Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsum audite: & hanc vocem nos audimus de cælo allatam, cum essemus in monte sancto cum ipso*. Virtutem & potentiam vocat, qua verbum caro factum est: præsentiam vero, qua habitavit in nobis: at virtutem & præsentiam simul, quia filius hominis erat in cælo, hoc est, eius anima videbat Deum: & vivebat tamen in mortali corpore super terram (25). Ita enim prænuntiaverat David in paucissima verba: *Beatum faciet eum in terra*. Nam quod beatus aliquis quasi transiens fuerit in terra, in scripturis sæpè legimus. Sed quod habitaverit in nobis (26) *quasi colonus, & quasi viator declinans ad manendum, hæc præsentia potentiae miraculum est*. Sane viderunt gloriam animæ in corpore tanquam in speculo, ideo apte dixit, *speculantes*: gloriam autem quasi unigeniti in voce delapsa a magnifica gloria, *Hic est, &c.* Testis oculatus est; *Ipsam audite*: doctor veritatis exploratæ ac visæ.

(22) Ioann. 18. (23) Isai. 55. (24) 2. Pct. 1.

(25) *Momento scriptum esse, Non videbit me homo & vivet.* Psalm. 41. ad Christum esse referendum ostendit Ioannes Cap. evang. 13. vide Caiet. in psalmos. (26) Hierem. 14.

visæ est; Ipsum audite: dux est, qui & viam sciat & terminum sciat; Ipsum audite, atque adeo videte & contrectate: nam habitat in vobis, quamvis gloria ea sit apud me, quam in præsentia cernitis. Sed de primo Ioannis testimonio nimirum multa. Secundum principale testimonium pro ea conclusione comprobanda illud est (27), *Verbum habitavit in nobis plenum gratia & veritatis*. Vnde D. Thom. bifariam colligit. Sive enim plenitudinem gratiæ in Christi anima ponas, sive plenitudinem veritatis: utrinque conficitur, eam Dei essentiam vidisse. Gratia quippe viæ in ordine ad gratiam patriæ imperfecta est, tantumque deficit a plenitudine, quantum a perfectione deficit. Qua re si imperfecta gratia in Christo fuit, non fuit nimirum gratia plenus. Obiicit autem, Beatam Virginem, tum vitam etiam mortalem degeret, plenam gratia fuisse, nec vidisse tamen Deum. Verum hunc scrupulum eximit 3. part. quæst. 7. art. 10. Non enim fuit Christus gratia plenus ex parte, sed omni modo, ut art. 1. & 9. eiusdem quæstionis ostenderit. Nempe (28) *in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare, pacificans, &c.* Et iterum (29), *In ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter*. Nulla ergo ei gratiæ perfectio, aut plenitudo defuit. Ita habuit gratiam consummatam, cum qua gloria animæ coniuncta, & colligata est.

Quod autem anima illa habuerit scientiæ ac veritatis plenitudinem, probat 3. part. quæst. 9. art. 1. & 2. quæst. item 10. art. 4. Videlicet non in Christo omnem plenitudinem inhabitasse, quia plenitudo ei scientiæ defuisset. Nam, cum venit quod plenum & perfectum est, evacuatur quod ex parte est. Non igitur cognoscebat ex parte anima Christi Deum, sed plene atque perfecte. Quocirca non erat in ea fides, sed visio.

At qui huius argumenti vim & nervos omnes Caietanus frangit, cum probabili ratione contendit, legi oportere: *Plenus gratia & veritatis Ioannes testimonium perhibet de his*. Frangeret sane, si probabilis sententia esset. Verum vulgata editio: ne reprehensa, græcis latinisque exemplaribus reiectis, interpret-

pretibus suggillatis, sanctis expositoribus expolis, quid probabile fore putamus? Ecclesia certe melius intellexit verba illa, *Et vidimus gloriam eius, gloriam quasi unigeniti a patre*, per parenthesis fuisse interiecta: cum ait, *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis, cuius gloriam vidimus, quasi unigeniti a patre, plenum gratia & veritatis.*

Tertium pro illa conclusione testimonium mox in eodem evangelio sequitur: *Et de plenitudine eius nos omnes accepimus, quia gratia & veritas per Iesum Christum facta est.* Quæ sententia superiori connexa, nisi cæci sumus, apertissime ostendit, verba ea, *Plenum gratia & veritatis*, ad Christum esse referenda. Sed hac re missa, id, quod instat, agamus. Accepit igitur Christum gratiam & veritatem, ut ex eo gratia in omnes & veritas emanarent. Habuit itaque maximam & perfectissimam gratiam ac veritatem. Quia enim sol lucem habuit, ut inde omnia lumen acciperent, habuit nimirum maximam & perfectissimam lucem. Quare sicut perfectissima lux omnes lucis effectus edere potest, perfectissimaque iustitia omnes effectus iustitiæ; sic Christi gratia & veritas omnes habebant gratiæ & veritatis effectus. Vnde Dionysius ait (30), solem, quia universalis causa generationis est, ad ea omnia sua virtute se extendere, quæ sub generatione cadunt. At effectus præcipuus gratiæ & veritatis consummatæ est videre Deum.

Præterea, salus humanæ naturæ finis fuit humanitatis assumptæ. Per hanc enim, tanquam per instrumentum, operatus est Deus salutem in medio terræ. Vnde & Christum apostolus scribit (31) multos filios in gloriam adduxisse auctorem salutis eorum. Et alio loco, *Misit Deus filium suum*, inquit, *ut adoptionem filiorum reciperemus.* Instrumenti vero dispositio, & qualitas præcipue quidem pensatur ex fine. Salus autem animæ intellectu sano constat & voluntate sana. At voluntas per gratiam sanatur, intellectus per veritatem. Perfectam igitur oportuit habuisse & gratiam & veritatem eum, per quem cæteris omnibus salus futura erat, omnisque omnino & gratia & veritas. Quia principium in unoquoque genere oportet esse per-

Tom. II.

Tt

fe

(30) 4. cap. de divin. nom. (31) Hebr. 2.

fectum sicut solem videmus in genere Incidorum, ignem in genere calidorum. A principio ergo Christi voluntas perfecte amabat Deum ex gratia perfecta, & perfecte cognoscebat ex perfecta veritate. Iam felicitas animæ imperfectis Dei & amore, & cognitione sita est. Felix itaque erat ab initio Christi anima, ideoque videbat Deum.

Præterea, illud quod est in potentia reducitur in actum per id quod est in actu: oportet enim esse lucidum per quod illustrantur alia. Cum ergo per Christum gratiam, veritatem, gloriam cæteri essent habituri, ipse profecto simulatque cæteros illum ad finem movere cæpit, & gratiam habuit, & veritatem, & gloriam. Eam vero motionem ab initio nimirum inchoavit.

Ea demum, quæ a primis causis moventur in finem, quadam solent temporis successione perfici: at causæ ipsæ moventes a principio statim suam, largiente providentemque natura, perfectionem habent. Ut ignis cum substantia calorem accipit, aqua paulatim fit calida. Cælestia quoque corpora mox omnino suas virtutes accipere, quibus in tempore res terrestres inferioresque perficerent. Deus ergo, qui per Christi humanitatem & gratiam & gloriam erat omnibus communicaturus, eas licet res cæteris in tempore largiatur, at Christi animæ ab initio statim contulit. Nam cur non corpori gloriam ab initio daret, causæ sunt in promptu expeditæ.

Quartum pro illa conclusione testimonium e vestigio subditur: *Deum nemo vidit unquam: unigenitus, qui est in sinu patris, ipse enarravit.* Vbi in homine piscatore videre licet & rerum contextum admirabilem, & compositionem disciplinæ incredibilem. Quod ut perspicias lector, quæso, diligenter attende. Nullum porro fidei negotium rite transigitur, si omnes testes auriti sint, oculatus nullus. Quin ut Augustinus ait, auritis credimus, quia audierunt a fide dignis, qui oculis suis rem se vidisse testificarentur. Cum ergo Moyses & Ioannes Baptista primus, & postremus e lege antiqua, atque adeo prophetæ omnes, e nova item lege apostoli Christi testes fuerint ex auditu universi, oportuit, unum esse pro omnibus, qui ex visu testimonium daret. Testis autem eiusmodi, qui non pro mille dico esset, sed pro mille millibus, esse non potest.



terat nisi & iustus esset, ne scilicet vellet fallere, & sapiens etiam, ne ipse utique falleretur. Quo circa necesse fuit plenum fuisse gratia & veritate, ne quicquam in optimo & absolutissimo teste desiderarem. Etenim quia gratia plenus, iustissimus erat; quia plenus veritate, veracissimus.

Quia igitur plenitudo testificationis & absoluta omnino perfectio ex visu est, ideoque ex auditu testis plenus veritate non est, cum scriptura de Ioanne dixisset: *Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de luce.* De Christo vero, *Erat lux vera,* &c. Et de Moyse, *Lex per Moysen data est:* Illa etiam illico nexuit: De plenitudine eius omnes, Moyses, Ioannes, prophetæ, apostoli prorsusque testes in universum omnes accepimus. *Quia & lux erat, & plenus gratia & veritate era, & gratia & veritas per eum facta erat, & denique testis ex visu erat.* Deum quippe nemo vidit unquam, nec Moyses, nec Ioannes, nec prophetæ, nec apostoli, nec evangelistæ: unigenitus, qui est in sinu patris, qui vidit arcana, ipse narravit. Ne varo hoc ad divinitatem filii, non etiam ad humanitatem referatur, tum ratio prohibet, tum auctoritas. Ratio illa est, quod Christus testis veritatis erat a patre destinatus, non solum quia Deus, sed quia homo. Quare ex utraque natura opus erat testimonium esse perfectum. Auctoritas eiusdem Christi est, qui hanc rem postea manifestius exposuit, inquit: *Amen, amen dico tibi, quia quod scimus, loquimur: & quod vidimus, testamur,* &c. Et protinus, *Nemo ascendit in caelum, nisi qui descendit de caelo, filius hominis, qui est in caelo.* Quo loco vere Caie-tanus & diligenter advertit, verbum, *Ascendit,* non praesentis, sed praeteriti temporis esse, quæ res ex græco exemplari patet. Quod enim Ioannes ante dixerat, *Deum nemo vidit unquam,* id nunc aliis verbis, *Nemo ascendit in caelum.* Tunc enim homo secundum animam in caelo esse dicitur, quem videt Deum. Quo sensu latroni dictum est: *Hodie mecum eris in paradiso.* Et angeli in custodiam hominum diffiniti, qui semper vident faciem patris (23), qui in caelis est, s. mper quoque in caelis esse dicuntur, quamvis in terra saepe sint. Ante Christum ergo,

sicut nemo viderat Deum, ita nemo in cœlum ascenderat. Ut autem quasi manu tangeres, sermonem de Christo secundum naturam humanam fieri, apposite subiunctum est, *Filius hominis, qui est in cœlo*. In quam sententiam patri ipse postea locutus est (33), *Volo, pater, ut ubi sum ego, & illi sint mecum, ut videant claritatem meam, quam dedisti mihi*. Nec Baptista hanc Christi in testificando perfectionem tacuit, imo in hac quoque re suum a Christi testimonio excelli professus est inquam, *Quod vidit & audivit, hoc testatur*.

Nec vero inscius sunt veteres Theologos hæc fere loca ad Christi divinitatem retulisse, secundum quam Christus & videbat Deum, & ubique erat. Sed ea ætate bellum erat illis cum Arianis & Eunomianis accerrimum, ob idque omnibus testimoniis, quibus poterant, Christi deitatem asserebant, præsertim cum res erat in promptu & facillima, quemadmodum ferme in præscriptis locis. Nam illud, *Non ascendit in cœlam, nisi filius hominis, qui est in cœlo*, quo pacto vere ac proprie in divinitatem quadrare possit, non satis intelligo. Non enim filius hominis, quia Deus erat, tunc in cœlum ascenderat, sed quia homo. Quomodo autem in cœlum ascendisset, nisi secundum animam, vix explicari queat. Cogor itaque cum Caietano hunc evangelii locum ad astruendam animæ Christi gloriam urgere.

Quantum testimonium, quo Divus Thomas utitur, extat eiusdem evangelii capite octavo. *Et si ego testimonium perhibeo de me ipso, verum est testimonium meum: quia scio unde veni & quo vado*. Et posterius, *Si dixero, quia nescio Deum: ero similis vobis, mendax. Sed scio eum: & sermonem eius servo*. Quod enim sermo sit de scientia, ut a fide distinguitur, illa verba videntur ostendere, *Ero similis, vobis mendax*. Iudæi quippe fidem habebant, eo tempore, quamvis cum Christo certarent. Quod autem secundum humanitatem loqueretur, illud probat, *Scio eum, & sermonem eius servo*.

Hoc

---

(33) Ioann. 17. Ioann. 3. Affirmat Hieronymus Christum iuxta suscepti corporis dispensationem a patre audire quid loquatur: ergo iuxta humanam naturam & vidit, & audivit, & in Isai. cap. 50.

Hoc verò Divi Thomæ argumentum video refutari posse. Quoniam est quædam scientia sanctorum, quæ cum charitate coniuncta est, quamvis evidentiam non habeat, *In hoc simus*, ait (34), *quoniam cognovimus eum, si mandata eius observamus*. Qui dicit se nosse Deum, & mandata eius non servat, mendax est. De hac scientia si quis contendat Christum Ioannis octavo cap. sermonem facere, vix refelli poterit. Quin dicit fortasse quispiam, hæc Divi Thomæ argumenta probare id quidem quod deceat, non id tamen, quod oporteat. Ita congruentia illa esse, cogentia non item. Sed nos primum non id agimus, omnia Divi Thomæ argumenta ea etiam, quæ ad certam Theologiæ conclusionem probandam afferuntur, certa esse & necessaria. Nimirum enim in veteribus quoque Theologis, in summis ecclesiæ pontificibus, in conciliis tandem quædam argumenta invenias, quæ studeant quidem, non cogent: at certis aliis exploratisque permixta non modo totum disputationis corpus exornent, verum etiam confirmant. Probabilia igitur argumenta necessariis adiuncta tantum abest, ut reprehendenda sint, ut sint etiam commendanda. Quanquam istis equidem argumentis utor, dum adsunt: cum absunt, non requiro. Illud huius generis videtur esse, *In ipso (i. q.) sunt omnes thesauri sapientia & scientia Dei absconditi*. Illos isti Christo non fuisse omnes, si scientia ei beatorum defuisset. Simile est hoc, Christum fuisse caput non solum hominum, sed etiam angelorum, Ephes. 1. Coloss. 2. Incongruens vero esse, ut membra capiti scientia & claritate antecellerent. In hoc denique probabilium genere fortasse et illud est (36), *Quod si ministratio mortis: fuit in gloria, ita ut non possent intendere filii Israel in faciem Moysi propter gloriam vultus eius, qua evacuatur, &c.* Et posterius, *Nam nec glorificatum est, quod claruit in hac parte propter excellentem gloriam. Si enim quod evacuatur, per gloriam est: multo magis quod manet, in gloria est, &c.* Usque ad illud, *Nos autem revelata facie, &c.* Non ergo decebat, ut primus novi testamenti administer spiritus atque animæ gloria careret, ex qua non solum facies, sed totum corpus glorifica-

re-

retur ex integro Matth. 17. vide Origen. hom. 12. in Exod.  
Hæc igitur dicta in primis sint.

Deinde (quæ res certe est animadversione dignissima) non mihi illi probari possunt, qui ea in Theologia argumeta confundunt, quæ id, quod decet, ostendunt: quasi non interdum idem etiam oporteat, quasive indecora omnia paria sint, & non sint quædam, a quibus & ratio, & Theologia omnis abhorreat.

Sane argumenta, quæ confirmant esse quicquam in religione nostra congruens & decens, ea omnino bipartita sunt. Quædam enim sunt eiusmodi, ut etiam si non extitisset ea res, quæ probanda sumitur, nihil tamen inconsistentium emergeret. Vt cum Theologi ostendunt, decuisse, ut Deus ad reparandum humanum genus carnem sumeret: utque ex divinis personis filius is esset, decuisse, cæteraque id genus plurima. Quæ decentia fuisse vel maxime Theologus probat quidem; sed quando alia Deus remedia peccato nostro parasset, quæ innumera sine dubio potuit, nullum rationis incommodum, nihil Deo indecorum haberetur. Talia vero argumenta nil profecto in Theologia demonstrant, sed solum explicant, id quod fide credimus, congruentissimum Deo, nobisque fuisse. Altera argumenta sunt, quæ ita monstrant quicquam consentaneum esse, ut nisi res sic habeat, aliquid semper emergat, quod nullo modo aut divinæ naturæ, aut rationi humanæ consentiens videatur. Vt Divam virginem intactam extitisse post partum, scriptura sacra in sensu literali nusquam forsitan edocuit. Id tradit aperte, in conceptu & partu virginem extitisse. Sed quoniam indecens virgini erat, ut integritatem tam singulari & miraculo & mysterio conservatam ipsa postea volens, ut dicitur, & prudens libeficeret, & quæ præter naturæ ordinem incorrupta permanserat, eadem se exponeret corruptori; adeo fidelium animis inhæsit perpetuæ huius virginitatis firma sententia, ut etiam si nulla fuisse apostolica traditio, ea tamen ratio esset idonea ad faciendam fidem iis, qui non ad contentionem informati, sed ad disciplinam sunt vel mediocriter instituti. Nec aliter ego puto in præsentî quæstione philosophandum. Cum enim ostendimus non decere, ut verbum Dei animam intellectualem imperfectam, scientiamque ac sapi-

piencia vacuam assumeret, causam nos obtinuisse arbitramur. Quia res contraria scilicet adeo indigna verbi sapientia, & providentia est, ut ne vero similis fiat quidem, si de unice personali verbi, & animæ recte sentimus. Consentiamus igitur, cæteris ecclesiæ sanctis gratiam per partes distributam, nempe secundum mensuram donationis Christo: at Christo ipsi non fuisse datum spiritum ad mensuram (37). Tantam enim gratiam dari congruebat, quantam anima capere illa posset: tantam, quantam in rebus esse ipsa gratia natura pateretur. Quod vero de spiritu gratiæ dicimus, id ut de spiritu sapientiæ, scientiæ, intellectusque dicatur, subest omnino causa eadem. Tanto enim melior (38) in omnibus est angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hæreditavit. Itaque unctus est a Deo oleo exultationis præ participibus suis. Non ergo solum habuit partem cum angelis felicitatem, sed multo etiam maiorem. Quocirca, ut fruebatur, ita quoque videbat Deum. Quod qui negant, ii non ab scola modo, verum a Theologiæ veteris institutione desciunt.

Ambrosius (39), *Deus in carne perfectionem natura assumpsit humana, suscepit sensum hominis, &c.* Perfectam ergo animam assumpsit verbum, non imperfectam. Et lib. 7. epist. 47. ad Irenæum: *Acceptit plenitudinem natura, & perfectionis humana: sicut Deo nihil deerat, ita nec hominis consummationi ut esset perfectus in utraque forma.* Vnde & David dicit: *Speciosus forma, &c.*

Augustinus, in lib. de Trinit. *Mox ut verbum venit in uterum, factum est perfectus homo.* Et super Exod. *Non habuit omnino Christus iuxta animæ meritum, quo posset proficere.* Et illum versum Psalm. 64. *Beatus, quem elegisti, & assumpsisti,* de unita humanitate interpretatur.

Remigius in illud, *Et ecce aperti sunt ei cæli:* Sed nunquid tunc primo aperti sunt ei cæli etiam secundum humanam

nam

---

(37) Ephes. 4. Ioann. 3. (38) Hebr. 1. (39) De inact. nat. Dom. sac. cap. 7.

nam naturam? Fides enim ecclesie tenet, quod non minus aperti sunt ei caeli ante, quam post.

Græcus, quem refert sepiissime Div. Thom. in catena, quamvis hoc loco vitiosa sit lectio, & tribuatur Grægorio Nazianzeno. Dicitur, ait, *secundum humilitatem proficere, non quod ipsa suscipiat argumentum, quæ ab initio fuerit perfecta: sed ex eo quod paulatim manifestabatur.*

Damasceus (40). *Qui proficere dicunt Christum gratia, non venerantur unionem, quæ est secundum hypostasim.*

Theophilactus, *Divina erant, quæ dicebantur & agebantur a puero, non quasi duodecim annorum, sed quasi perfecti viri. Evangelista vero interpretatur, quid sis proficere illum sapientie. Subdit enim & statura. Perfectum enim ætatis, sapientia dicit profectum.*

Hieronymus in Esai. 7. cap. (41) Licet multa post sæcula de eo evangelista testetur, *Puer autem proficiebat, &c. Et hoc dicatur ut veritas humani corporis approbetur: tamen adhuc pannis involutus habebis boni malique iudicium, ut per hæc verba noscamus infantiam humani corporis divine non præiudicasse sapientie. Et in Hierem. 31. cap. (42) *Infans incrementa quidem ætatis proficere videbitur sapientia, sed perfectus vir in utero femineo continebitur.**

Leo (43), *Deitas assumptam naturam beatificans, ut glorificata in glorificante permaneat. Loquebatur autem de Incarnatione. Et alio item loco Cyrillum citat in hæc verba: Assumpsit verbum humilitatis naturam in sua ratione perfectam. Et Cyrillus ipse in Ioann. lib. 1. cap. 17. Vidimus, inquit, gloriam Christi adeo sublimiorem creaturatum gloria, ut mentis quisque compos nulli alii, quam unigenito Dei filio illam convenire fateretur. Plenus enim erat veritate ac gratia. Non enim mensura sibi datur ut ceteris, sed ut in perfecto perfecta inest. Sed si plena est, inquit, gloria eius gratia & veritatis, quomodo sapientia & gratia profecisse apud Lucam scribitur? Aut quid accedere potest ad*

(40) T. lib. (41) In illud, Vt sciat reprobare malum &c. (42) In illud, Novum creavit Dominus, &c.

(43) Epist. ad Leonem August. 95.

ad plenum? Illorum potius de Iesu opinio, quam illius perfecta crescebat gratia, ut magis in dies cognoscentes, magis illum procedere, ac gratia crescere arbitrarentur. Vide etiam cap. 20. in illud, De plenitudine eius omnes accepimus.

Multa sunt eiusmodi veterum testimonia, quæ nos gratia brevitatis omittimus, cum hæc etiam, quæ excitavimus, sine ulla aut expositione aut argumentatione præstrinxerimus. Nunc argumenta contrariæ partis breviter quoque refellemus. Non enim hoc loco volumus, nisi per quasdam summas, & signa data rudiores admonere, ut in similibus quæstionibus, quæ non sunt Theologorum usu contritæ, se diligentius exercent. Invenient quippe semper, si quæsierint. Atque in præsentī etiam quæstione non dubito eum longe plura inventurum, cui & uberior lectio, & maior eruditio fuerit.

Primum autem argumentum nihil difficile est, si intelligamus, iusticiam ibi & fidem pro iustis & fidelibus usurpari: cuius rei non modo Hieronymus auctor est (44), sed 70. etiam interpretes. Vide D. Thom. 3. part. quæst. 7. artic. tertio.

Resp. ad  
1. Arg.

Ad secundum facilius adhuc responsio est. Dicitur enim Deus spes Christi, quia in Deo erat fiducia eius, non in homine. Item quia multa etiam a Deo sperabat, quamvis non speraret gloriam animæ, quam iam habebat. D. Thom. 3. part. quæst. 7. art. 4.

Resp. ad  
2. Arg.

Ad tertium vide Sanctum Thom. 3. part. quæst. 15. art. 7.

Resp. ad  
3. Arg.

Ad quartum vide Sanctum Thom. 3. part. quæst. 7. artic. 12. ubi etiam respondet illi evangelii testimonio. Ac nos etiam paulo ante veteres referebamus non paucos, qui nullo modo admitterent, aut gratiam, aut sapientiam Christi potuisse in se ipsam aliquando proficere: adeo plenus ab initio, & gratia, & sapientia fuit. Sed qui in hominum existimatione crescit, tametsi idem ipse omnino perseveret, eum dicit scriptura crescere. *Proficiebas (45) David vadens, &*

Resp. ad  
4. Arg.

Tom. II.

Vv

eres-

*crecens.* Item (46), *Crevit Iosaphat, & magnificatus est usque in sublime.* Item (47) *illum oportet crescere, me autem minui.* Quia vero sæpe quod hominibus altum est, abominatio est ante Deum, ne existimares ostentationem esse præstigiosam & Pharisæicam, talis, inquit, erat Deo intus, qualem se homini exhibebat foris, nec hominibus probabatur solum, sed etiam Deo. Voluit enim evangelista illud forsitan commemorare, quod de Samuele scriptum est, *Puer autem Samuel proficiebat, atque crescebat, & placebat tam Deo, quam hominibus.* At D. Thom. docet (48) Christum crevisse in effectibus, & operibus gratiæ & sapientiæ, quia in dies perfectiora opera faciebat. Quod autem in effectu crescit, hoc crescere quandoque dicitur. Vt ibi (49), *Verbum Dei crecebat, & rursum, Fortiter crescebat verbum Dei.*

Resp. ad  
5. Arg.

In quinto argumento duo testimonia referuntur, quibus Ariani filii sapientiam, atque adeo divinitatem impugnare sunt soliti. Quæ causa quibusdam patribus fuit, ut ea de filio iuxta humanam naturam interpretando, satis se putarint adversariis respondisse. Ac re vera in ea pugna, quam cum Ario gerebamus, sat illud erat, ut in hac parte ictus eius, conatusque omnes eluderentur. Sed nobis opus est universos errores evincere, & Christi etiam animam ab omni ignoratione vindicare, quæ de eius dignitate quicquam detrudere videatur. Ambrosius porro libro quinto de fide, cap. 8. non audet asserere, tametsi cum Ario disputabat, Christum secundum humanitatem, aut in sapientia proficisse, aut quicquam penitus ignorasse: si hæc vocabula proprie capiamus. Contrariam vero sententiam nonnullos ait tenuisse, sed qui fuerint, inquit, intimidiores quam ego sum. D. sane Thomas non dubitat, vel eiusdem Ambrosii auctoritate confirmare, Christum non secundum scientiam, aut beatam aut infusam, sed secundum aliam acquisitam, seu experimentalem quidpiam aliquando ignorasse, quod postea didicerit. Didicit enim ex iis, quæ passus est. Itaque, si de scientia

---

(46) 2. Paral. 17. (47) Ioann. 3. (48) 3. part. quest. 15. art. 7. (49) Act. 6. & 19.



tia hac experimentalis sermo sit, Pater demonstrabat filio ea, quæ faciebat per illum mirabilia, maiora tempore futuro demonstraturus, quoniam & maiora facturus. Secundum hanc scientiam item diem iudicii nescivit antequam esset, nam tunc experietur, cum iudicium fiet. Probabiliter dicta sint hæc, non ne genus: verum nihil necesse est in has nos angustias conuicere, quippe cum sit alia horum locorum intelligentia sanior. Ac de primore quidem testimonio sic sentio. Reprehensus fuerat a Iudæis Christus, & quod sabbatum solveret, & quod se æqualem faceret Deo. Respondet ergo simul utrique calumniæ in hæc verba. *Non potest filius a se facere quicquam, nisi quod viderit patrem facientem.* Vbi primum sic potentia æqualitatem agnoscit, ut nihil sibi arrogare videatur. Agnoscit enim patris etiam auctoritatem, cui accepta refert quæcumque facit. *Non potest, ait, filius a se facere quicquam.* Deinde ita arguentes redarguit: *Cur me, o Iudæi, reprehenditis? Eadem certe ratione, & patrem meum reprehenditis.* Quoniam non ex meo capite, ut dicitur, quæ facio, ea ego confingo, nec affectu & libidine opera edo, sed a patre accipi id, quod facio. *Non potest, &c.* Non autem somnio accipio, aut opinione aliqua commentitia, sed visu certissimo atque clarissimo cerno, & comprehendo operantem patrem, & quæcumque ille facit, hæc ipsa eadem ego non clausis oculis, sed videns similiter facio. Si ergo me carpitis, quasi opera illicita faciam in sabbato: fatio autem eadem, quæ pater meus eodemque modo facio: coarquite, si ita lubet, Deum ipsum, quem ego operum omnium meorum auctorem, & principium habeo. Ut autem probet se videre patrem facientem opera, subdit: *Pater enim diligit filium, ideoque nihil illum celat, sed in conspectu eius, ipsoque adeo cernente, omnia facit. Nec solum quæ antehac fecit, ea coram filio fecit, sed & maiora, quæ facturus est, in conspectu filii, filioque proinde spectante, simulque faciente, faciet.* Quibus verbis non negat filium intelligere res prius omnino quam fiant, sed humano more loquitur, & se nostris sermonibus accommodat. Tunc enim res ostendere dicimur, cum ita presentes sunt, ut non ad intellectum, sed quasi digito ad sensum demostremus. Quæ est nobis rei certitudo maxima. Nec obstat quod ver-

bo futuri utitur, *Demonstrabit*, in his, quæ æterno Deo præsentia sunt. Sic enim solet scriptura nobis, nostroque tempore res æternas attemperare. Pater siquidem verbunz, & genuit, & gignit, & semper gignet. Quanquam qui subiungit, *Vt vos miremini*, is de demonstratione quadam futura videtur loqui, quæ cæteris etiam pateat. Quare ex hoc loco nihil contra gloriam animæ Christi haberi potest.

Posterius quoque testimonium nihil contra nos facit: Primum quia Hieronymus, Ambrosiusque negant (50), illa verba, *Neque filius*, nisi in paucis quibusdam Græcis exemplaribus haberi. Quin Ambrosius contendit, ea ab hæreticis esse interposita. Eadem quippe lectio Matthæi, & Marci erat. Matthæi vero evangelium Ariani corruperant, eisdem quoque verbis adiectis, quæ modo nec Latina, nec Græca exemplaria habent. Deinde etiam si ita fuisset ab evangelistis scriptum, in eo sensu filius nescire dicitur, quia scire se dissimulat, nec vult aliis revelare. Pater siquidem scit, quia filio manifestat: filius nescit, quia occultat, nec alios scire facit. Quod autem verbum, *scire*, in hunc modum aliquando accipiatur, & usu vulgi contrito liquet, & Ambrosius probat ex illo (51), *Descendam, & videbo, utrum clamorem opere compleverim, an non est ita, ut sciam*. Simile est illud (52), *Deus de celo prospexit super filios hominum, ut videat si est intelligens*, &c. Et ubi nos habemus, *Tentat vos Dominus Deus vester, ut palm fiat an diligatis eum*, editio 70. habebat, *ut sciat*, an diligatis eum (53): Sed de hac re vide Ambrosium, Hieronymum, Augustinum;

(50) Hieronym. in Matt. 24. Ambros. lib. 5. de fid. cap. 8:

(51) Genes. 18. (52) Psalm. 52. (53) Qui dissimulat, is exhibet se admodum nescientis. Sic Marc. 12. Cum vidisset, inquit, a longe fructum habentem folia, venit, si quid forte inveniret in ea. Sicut ergo ille, qui præstat speciem fingentis, & aliquid prudenter simulat, dicitur fingere: fingit enim se longius ire: sic qui gerit speciem, & formam nescientis, dissimulatque aliquid se scire, cum nescire scriptura dicit.

ntim; ac patres ceteros. In his enim, quæ per vulgata sunt, longus ego esse nec debeo, nec volo.

Ad sextum respondet egregie D. Thom. 3. part. quæst. 19. art. 3. vide illum. Primum vero testimonium; quo illa ratio confirmata est, verba proxime antecedentia explicant. Si posuerit, ait, *pro peccato animam suam, videbit semen longævum*, &c. Et statim, *Pro eo quod laborabit anima eius, videbit & sanabitur*. Secundum testimonium Div. Thom. sic interpretatur, ut dicat, Christum meruisse manifestationem unctionis quidem, iuxta illud, *Propter quod Deus exaltavit illum*, &c. Sed unctionem ipsam non meruisse. In scriptura autem tunc rem aliquam fieri aliquando dici, cum innotescit. *Data est mihi omnis potestas*, &c. Quia ergo Christus dilexit iustitiam, &c. ideo exaltavit eum Deus in regem dæmonum, hominum, & angelorum: ungere enim est regem constituere. Respondet item (54), idque melius, hunc sensum esse, *Ut virga directionis esset virga regis tui, ut diligeres iustitiam*, &c. propterea, id est, ut hæc egregie faceres, *Vixit te Deus oleo*, &c. Illud est simile: homo ridet, flet, discurrit, propterea intellectum habet, & animam rationalem. Non enim necesse est, ea quæ antecedunt, causam esse eorum, quæ sequuntur. Vt ibi: *Propterea & sapientia Dei dixit*, &c. Lucæ 11. Nec si diceretur expresse, *Vixit te Deus oleo lasitia, quoniam dilexisti iustitiam*, &c. quicquam contra nos faceret. Nam more scripturæ fit, ut interdum effectus loco causæ ponatur, Vt ibi (55), *Ego clamavi, quoniam exaudisti me Deus*.

Tertio demum respondere possumus actiones Christi non fuisse meritorias causas unctionis, sed quasi materiales, & dispositivas. Docet enim Divus Thomas, 3. part. quæst. 34. art. 3. *sanctificatum fuisse Christum per proprium actum*. Quemadmodum ergo vere dicimus, materiam ligni fuisse calore dispositam, propterea fuisse ignitam: hominem fuisse contritum, propterea ei gratiam iustificationis esse donatam: sic dicere propheta potuit, Christum optimos actus in primo instanti habuisse, propterea fuisse oleo Spiritus Sancti per-

(54) In hunc psalm. Phil. 2. (55) Psalm. 16.

perunctum. Nec opus est ut vox illa, *propterea*, causam efficientem, aut meritoriam denotet, sed satis erit, si sit causa, quæ disponat suiectum, quasi materialis. De tertio vero testimonio sic habeto. D. Thom. existimat, in eo Psalmo de resurrectionis æterna vita agi, non solum in Christo, sed in membris. Nam illa omnium capitis, & membrorum resurrectio, vitæque plena deliciis, fructus passionis Christi fuit. Qui, ut Paulus ait, conresuscitavit nos, & consedere fecit in cælestibus, tunc scilicet, cum ipse excitatus sedet a dextris Dei. Si ergo Christus in hoc loco, non in persona sua modo, sed in membrorum persona loquitur, nihil est difficile intellecta. Quod si Saulo dicebat, *Cur me persequeris*, quia membra ipsius Paulus insectabatur, dicere quoque potuit patri, *Adimplebis me lætitia cum vultu tuo*. Quoniam gloria nostra, gloria Christi est, non minus, quam ignominia, laborque noster Christi omnino est. Mox etiam non video equidem, cur non proprie de Christo ipso accipiamus, quod post resurrectionem adimpletus lætitia fuerit cum vultu Dei. Ante enim & corpus vacuum erat ea voluntate, quæ a visione Dei in corpus emanat, & anima undique plena erat lætitia, quin appetitus sensitivus totus tristitiæ, angorigue patebat. Post passionem ergo implevit eum lætitiâ Deus cum vultu suo. Quoniam & si prius Dei vultum clare, pleneque videbat, non tamen affectus, appetitusque omnis plene, perfecteque gaudebat. Qua de re in refutatione postremi argumenti nonnihil adiciemus, quod sit animadversione dignissimum. Quartum insuper testimonium facilem intelligentiam habet: nam & scriptam a poeta est, Priami faciem dignam fuisse imperio. In quinto autem mercedem Christi Isaias vocat fidelium populum. *Postula a me* inquit, *& dabo tibi gentes hæredi a em tuam*. Vnde e vestigio subdit, *Et vocabunt eos populus sanctus, redempti a Domino*. Iustinus vero martyr, in dialog. cum Tryph. aliter legit, & interpretatur hunc locum. *En tibi*, inquit, *servator adess qui mercedem suam reddit, opusque suum ante se. Vere enim Christus id quod meruit, hoc est, mercedem operis sui, nobis reddidit*. At Hieronymus plene interpretatur, hoc ideo dici, quia salvator ipse iudex sit omnium, ut reddat unicuique secundum opera sua, iustis

pfe-

premia, peccatoribus æterna supplicia. De sexto testimonio denique nil aliud in presentia dico, nisi gloriam Christi ante passionem nondum fuisse consummatam, sed quicquid ei propter nos, & propter nostram salutem ad absolutam hominis glorificationem defuit, hoc non dubium est per passionem suam Christum meruisse. Sanè vero non eodem modo omnia ædificia consummantur, quibusdam enim vel parietes desunt, aliis non deest nisi tectum. Nos itaque consummamur accepta non solum gloria corporis, verum etiam animæ, quoniam utriusque partis gloria decet; at Christo non nisi alterius dimittatur: quare per illius adiunctionem consummatus est.

Resp. ad  
7. Arg.

Ad postremum argumentum D. Thomas respondet, de passionibus animæ, artic. 10. ad 9. Contraria non posse esse in eodem per se quidem, sed bene per accidens. Ut cum quis in navi deambulans fertur in contrarium eius ad quod navis movetur: Ita, inquit, in superiori ratione animæ Christi erat gaudium per se, quia per actum proprium; dolor autem per accidens, quia per corporis passionem. Deinde respondet, quod gaudium illud, & dolor non erant contraria, quia non erant de eodem. Verum responsum illud prius refelli potest. Quoniam locales motus, si in eodem contrarii aliquando sunt, nihil mirum est quippe cum tota fere eorum substantia, & ratio externus quidam respectus sit. Ita pater & filius relationes contrarias præ se ferunt, & in ordine ad diversos terminos esse in eodem vere possunt. At in formis & qualitatibus absolutis id fieri nequit, ut sive per se, sive per accidens duo contraria in eodem subiecto sint. Pugnat enim cum natura rerum, ut aqua simul calida, & frigida sit, præsertim in summo; nec si quis contendat alterum esse per se, alterum per antiperistasin. Gaudium vero & tristitia qualitates sunt absolutæ. Sed & posterius responsum quispiam coarguet, quoniam Christus videns rationes in Dei essentia divinas, de sua morte lætabatur, quam cernebat Dei & rationi, & voluntati conformem. Tristabatur autem de eadem, quia erat malum naturæ contrarium. Quare obiectum materiale gaudii, atque tristitiæ idem erat. Ut gaudium porro tristitiæ contrarium sit, sat est utrumque in materiali obiecto

iecto convenire. Nam formalis gaudii, tristitiæque ratio discrepant semper, sive de eadem re, sive de alia, atque alia tristemur, & gaudeamus. Non ergo negare possumus, si in Christi voluntate gaudium summum, summaque tristitia de morte sua fuit, quin duo simul in eodem fuerint contraria. Atque hæc amici affectiones se vicissim expellant, tametsi non res eadem obiecta est. Nimirum enim, cum pelle-re tristitiam volumus, aliis non modo rationibus, sed rebus etiam gaudere curamus. Quod argumentum est, eas affectiones esse contrarias.

Cætarum difficultas hæc tribus modis videtur expediri. Primum enim dicit fortasse quispiam, in appetitu intellectuali Christi, quæ voluntas proprie vocatur, nullam penitus tristitiam extitisse. Quoniam illa animæ portio Deo fruebatur plenissime (65). Quæmadmodum autem a superiore potentia non derivabatur gaudium ad inferiores, ut salutis nostræ mysterium in Christi passione transigeretur; sic ab inferiore potentia non perveniebat ad superiorem dolor. Non fuit itaque in Christi voluntate tristitia, sed in appetitu sensitivo facti, qui proprie tristitiæ subiectum est. Quam sententiam visus est Doctoribus significare, cum ait: *Tristis est anima mea*. Appetitus enim animalis, quia animalis est, non est intellectualis, sed sensitivus. Cui etiam sententiæ favet D. Thom. 3. part. quæst. 15. art. 4. & 6. & quæst. 46. art. 7. & 8. Nam Scoti argumenta abunde refutat Caietanus (57). Quod si verum est, iam contraria non sunt in eodem subiecto proximo: sed gaudium in voluntate, tristitia in appetitu sensitivo. Ideoque proprie ne contraria quidem sunt. Divus Thomas, 3. part. quæst. 18. art. 6. in corp. & quæst. 46. art. 8. ad 1.

Huic vero responsioni illud obiicitur, quod Dominus habuit in voluntate actum, quo mortem vere noluit: at tristitia est de his, quæ nobis noleantibus accidunt, ut Augustinus ait. Prior propositio, quoniam eam Caietanus negat, probatur. Primo ex D. Thom. 3. part. quæst. 18. art. 6 ubi di-

dicit, quod voluntas naturalis, & voluntas sensualitatis aliud voluit in Christo, quam divina voluntas. Et art. 5. refert Augustinum contra Maximinum, in hæc verba: *In hoc quod Christus ait, Non quod volo, sed quod tu, Aliud se ostendit voluisse, quam Pater*: quod nisi humano corde non posset. Ac re vera ex illo evangelii testimonio, non solum sancti veteres, sed synodus sexta sub Agathone collegit & duas voluntates in Christo, & duas voluntatum operationes. Sane qui ait, *Non sicut ego volo*, is actum voluntatis aperte significat. Verum Caietanus elaberetur dicens, appetitum sensitivum vocari interdum voluntatem. De qua Ambrosium hunc evangelii locum explicare D. ipse Thomas interpretatur 3. part. quæst. 18. art. 2. Quin D. Thomas quæstionis decimæ octavæ tertiæ partis articuli quinti argumentum tertium non poterat refellere, si admisisset, Christi voluntatem aliquid velle, quod non habuerit. Beatus enim est, ut Augustinus docet, qui habet quæcumque vult. In reliquis certe beatis probabilissime Caietanus eiusmodi nolentates negat, quoniam in illo statu otiosæ sunt. Cum ergo Christus secundum intellectum & voluntatem perfecte fuerit beatus, non videtur eiusmodi nolitiones habuisse.

Possumus deinde postremum hoc argumentum eludere, etiamsi dicimus id, quod re vera probabile est, in voluntate Christi intellectuali, quæ proprie voluntas est, non tristitiam modo, sed summam, maximamque fuisse. Quia enim in hostia pro peccato cordis contritio, voluntatisque tristitia porissime desideratur, *Sacrificium quippe Deo spiritus contribulatus* (5), &c. & tristitia spiritualis hæc contraria est peccato medicina, quod sedem suam præcipue in voluntate habet, consentaneum profecto erat, ut filius Dei hostiam se pro peccato exhibiturus, non solum corporis, & animæ sensitivæ dolores, sed angores quoque spiritus, & voluntatis tristitiam susciperet, quo pro culpis nostris omnibus hostia illa Deo acceptissima omnibus omnino modis contereretur (59). Sic vere languores nostros ipse tulit, & dolores

Tom. II.

Xx

no-

### 346 DE LOCOR. VSV IN SCHOLAST. DISP.

nostros ipse portavit. Sic non modo vulneratus est propter iniquitates nostras, sed attritus est propter scelera nostra. Sic disciplina pacis nostræ super eum, & livore, atque dolore eius sanati sumus. Sic Dominus eum voluit in infirmitate conterere (60), qui posuit pro peccato animam suam.

Augustinus insuper 14. de civit. libr. asserit, Christum eos naturæ nostræ defectus suscepisse, qui perfectioni gratiæ non repugnant quidem, sed de amore boni, & sancta charitate veniunt. At commendat magis charitatem suam Christus, si tristitiam quoque eam Deo pro culpis nostris in sacrificium præbuit, quam nos Deo pro illis debemus maxime. Plane item Ambrosius ad Gratianum Imperatorem dixit, *Sicut suscepit voluntatem meam, suscepit tristitiam meam*. Nam voluntas proprie appetitus intellectualis est. Et velle proprie actus voluntatis est: ait autem, *Non sicut ego volo*.

Voluntatis etiam dolor hominis proprie tristitia est: nam qui in solo appetitu sensitivo reperitur, hic animantis magis dolor est, quam hominis. Decuit autem ut per dolorem proprie humanum humana peccata solverentur. Ita cum dixit, *Repleta est malis anima mea*, omnem animæ appetitum repletum dolore intellexit, sive sensualem, sive rationalem. Quoniam & pronomen *mea*, rationalem magis, quam sensualem præ se fert. Ea si vera sunt, ut videntur esse, nihil obstat, cur non per potentiam supernaturalem, & gaudium summum, & suma tristitia in eodem subiecto fuerint. Tum quia nec proprie contraria erant, cum oppositio debeat fieri circa idem, ut Div. Thomas sæpe sumit. Tum quia quod præter naturæ ordinem a Deo fit, id in naturæ leges referre velle stultum est. Miraculum fuit, quod idem homo esset & viator, & comprehensor: miraculum, quod a gloria animæ nihil derivaretur ad corpus: miraculum, quod a superioris gaudio potentiæ nihil solatii in inferiores redundaret: miraculum, quod inferioribus perturbatis, nec superiores turbarentur, nec a sua perpetua operatione cessarent, nec remitterent opus, nec quietem & delectationem vel ex mi-



nima parte resolverent. Inter hæc miracula propter mysterium nostræ redemptionis explendum, quamquam voluntas Deo viso fruebatur, suscepit tamen sponte (61) tristitiam quantam maximam capere potuit: potuit autem capere tantam, quanta maxima esse in rerum natura poterat. Vt de lor pro peccatis non minor esset, quam charitas, & scientiæ ipse quoque superemineret.

Sed & olim inuenis, ut hinc iam nos demum extricemus, coram celebri Theologorum concione diximus, quod sicut per totam vitam Dominus gloriam animæ quasi premebat, ne in corpus efflueret: sic saltem in cruce retinuit gaudium, quod suapte natura ex clara Dei notitia prodiret. Gaudium, fateor, ex Deo viso in voluntate necessario nasci, non secus atque ex sole lumen, calorem ex igne. Sed retraxit aliquando sol radios suos, & ne calefaceret, compressus est etiam ignis: quare nihil mirum videri cupiam debet, si in hominum redemptione per hominis unius dolores explenda voluptas omnis reprimeretur, quam alias ex visione Dei proficisci naturæ ratio demonstrat. Nec obstat, quod beatitudinem Benedictus huius nominis duodecimus definit in visione & fruitione consistere. Christus autem beatus fuit in via. Quoniam illud pontifex tradit de beatitudine consummata. Christus autem licet habuerit essentiam beatitudinis, non tamen accidentia, quæ inde per se etiam consequuntur: decuit enim eum per passionem consummari. Quamquam & fruitio sine gaudio intelligi potest: fruitur enim arboris suæ fructibus tunc etiam homo, cum per morbum voluptatem nullam capit ex eis. Ita Christus non solum videbat, sed etiam fruebatur, quamvis derelictu (62) a Deo, omnique penitus solatio destitutus non gaudebat. Quamobrem, ut cæteri martyres, gaudium sibi futurum ante oculos posuit, ut crucem sustineret confusione contempta ad Hebræos 12. cap. Vbi miris omnino modis & charitatem suam in nos commendavit & examplum. Certe sive primo, sive secundo, seu tertio modo questionem solvas, miraculum facis: sed est hoc postremum eo plauisibilis, quo

Xx 2

mi-

(61) Ephes. 3. (62) *Vt quid dereliquisti me.*

maiores in nobis igniculos excitat tum pœnitentiæ, tum amoris, tum gratitudinis. Sed sit iam huius quæstionis finis. Perspicuum est enim, in re sterili & ieiuna non parvam, & exiguam copiam e locis Theologiæ suppeditatam. Restat tertium quæstionis genus pertractandum eius, quæ a fide & natura pendet: de qua re capite sequenti disse-remus.

## CAPVT XIV.

*In quo ea questio vocatur in dubium, quæ cum naturalis sit, tum etiam ad fidem pertinet.*

Quoniam de eo genere argumentorum dictum est, quæ & ad fidei principia explicanda spectant, & ad conclusiones Theologiæ confirmandas: deinceps de iis, quæ ad rerum etiam naturalium probationem attinent, disputandum est. Sunt autem naturales quæstiones in duplici differentia. Quædam enim solis naturæ argumentis probari possunt, aliæ fidei etiam auctoritate confirmantur. Et in naturæ ratione quidem nullum inter hæc duo genera discrimen est. Vtriusque enim quæstionis argumenta ex eisdem omnino locis petenda sunt, hoc est, ex humanis disciplinis. Quæ argumenta omnia tribus ultimis locis continentur. In hoc differunt, quod quæstiones posteriores, quoniam fidei sunt, latius patent, atque ex omni loco comprobari possunt. In hoc genere illa est, quam hoc capite versare cupio.

*An animus hominis immortalis sit, quemadmodum Pythagoræ, Socrati, Platoni, Theophrasto, Themistio, Senecæ, Ciceroni, melioribusque philosophis visum est: an potius mortalis, quod Lucretio, Galeno, Plinio, Alexandro video placuisse. Nec me vero reprehensores vituperare debent, quod rem aggrediar, quæ diligentissime est a plurimis disceptata. In quibus D. Thomam esse constat, cuius tanta est in utramque partem argumentorum copia, ut nihil addi posse videatur. Sed quoniam fidei argumenta nulla fere protulit, naturæ vero rationes Henricus atque Scotus probabiliter suadere aiunt, non*

necessario demonstrare : nihil , ut mihi videtur quidem , temere facturus sum , si de ea ipsa quæstione disputo , quam tam multa & præclara ingenia versarunt . Non enim rem actam agam : sed , nisi me fallit animus , plane utilem , ne dicam necessariam : præsertim cum Caietanus etiam noster sui valde dissimilis scripserat (1) , se credere quidem animam rationalem incorruptibilem esse , at nescire tamen . Qua in re cum Enrico & Scoto ex parte consentit : quos idem miris olim modis exploserat . Ex parte , inquam , quoniam non alios quidem , sed se scire inficiatus est .

Vt ergo hæc controversia , quam fieri poterit , accuratissime constituatur , principio argumentabimur , hanc quæstionem nullo modo ad fidem attinere : deinde , non posse naturæ ratione demonstrari .

Docet porro Augustinus (2) , idque non semel , sed sæpius , non esse fidei quæstionem , an animæ rationales ex traduce sint , an potius ex nihilo in singulis creentur singulæ . At si anima hominis ex traduce vi seminis propagaretur , sine dubio esset ut generabilis , ita etiam corruptibilis .

Deinde Sadducei existimabant animum hominis esse mortalem : nec tamen habebantur hæretici , quin ut religiosos eos colobat fidelis populus .

Pæerea , quatuor sunt scripturæ testimania , quibus vel maxime animorum immortalitas doceri potest . Vnum illud est (3) , *Donec revertatur pulvis in terram , unde erat , & spiritus redeat ad Deum , qui dedit illum* . Alterum (4) , *Deus creavit hominem inextremabilem & ad imaginem similitudinis sue fecit illum* . Tertium (5) , *Nolite timere eos qui occidunt corpus , animam autem non possunt occidere* . Quartum (6) , quo Dominus in evangel. utitur , *Ego sum Deus Abraham , Isaac & Iacob . Non est Deus mortuorum , sed viventium* . Etenim quod August. affirmat (7) , ex le-

(1) In cap. 9. epist. ad Roman. Contra scripserat & in primam partem & in 3. lib. de anim.

(2) De bapt. parv. lib. 3. cap. 10. & primo retract. cap. 1. & decimo super gener. cap. 1. 3. & 4.

(3) Eccles. 12. (4) Sap. 2. (5) Matth. 10. (6) Matth. 22.

(7) Quæst. 33. in numer.

lege Moysis esse cæteris evidentius, id ne probabile quidem mihi videri solet, ut animas ab interitu vindicemus. Ex quatuor autem illis, qui passim a Theologis referuntur, primum eludi potest, quod Augustinus docet (8) infirmum esse adversum eos, qui credunt animas per propaginem generari. Infirmum ergo etiam est contra eos, qui dixerint eas cum corporibus interire. *Ac sicut scriptum est, ait, donec spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum: sic etiam legimus, Spiritus vadens & non rediens.* Secundum item refellet fortasse quispiam dicens, non ibi de anima sermonem esse, sed de homine, quem Deus per gratiam fecit a principio immortalem. Vnde statim subiicitur, *Invidia autem diaboli mors introivit in orbem terrarum.* Tertium autem de morte spirituali animæ, hoc est de æterna interpretari licet, de qua illud habes: *Dentes leonis dentes eius intericientes animas hominum.* Quæres suadetur, quia protinus additur: *Eum timeate, qui postquam occiderit, habet potestatem mittendi in gehennam.* Quare Div. Thomas, nec in 1. part. nec in summ. contra gent. nec in quæst. de anima hoc testimonium voluit usurpare. Nam quantum de resurrectione agit, non de immortalitate. Sic enim Dominus ait, *De resurrectione autem mortuorum non legisistis, &c.* Nihil vero prohibet, ut anima cum corpore simul exurgat. Non ergo fidei decretum est, animas esse immortales.

4. Arg. Quod vero naturali argumentatione animæ immortalitas nequeat ostendi, illa prima coniectura est, quod cum Ambrosius & Augustinus (9), ut id probaret omnes nervos intenderint, nihil omnino confecere. Non autem præcellimus Ambrosium & Augustinum.

5. Arg. Adhæc, cum Scotus, Iandunus, Caietanus D. Thomæ rationes expenderit (10), viri scilicet magno ingenio, magnaque Philosophiæ eruditione præditi, at pronunciarunt tandem rem non esse demonstratam, sed creditam. Non est autem

ve-

---

(8) Lib. 10. super gen. cap. 9. (9) De bono mort. cap. 9. 2. soli. & lib. de immort. anim. (10) Scot. 4. dist. 43. quæst. 2. Iand. 3. de anim. quæst. 5. & 29. Caietan. in epist. ad Roman. cap. 9.

verosimile, rationes eas, si evidentes essent ac lucidæ, nullo evidentiæ lumen acerbis acutisque oculis allaturas.

Præterea, Aristoteles non idem semper in hac re, sed tum hoc, tum illud scripsit: non est ergo probabile, eum in tanta veritate & inconstantia certam exploratamque animæ immortalitatem habuisse. Nam quod pro animæ rationalis incorruptione aliquando senserit, ut cætera loca omittam, quæ & D. Thom. 2. advers. gentes cap. 79. & Ferrariens. in commentariis afferunt, is locus plenus & expeditus est, qui 2. lib. de gener. animi. cap. 3. habetur: ubi aperte docet Aristotel. mentem hominis non in seminis virtute esse, ut reliquas animas, sed extrinsecus advenire. Quod si non educitur de potentia materiæ, nec a generante homine vi seminis editur, certe subsistens, est, nec a materia dependet. Quod vero de hac sententia interdum etiam desciverit, Caietanus (11) multifariam suadet: & mihi his argumentis fit verosimile. Primo, quod non potest effugere, si sua principia Aristoteles retinet, animarum infinitatem, nisi incidat in errorem Averrois, vel in Pythagoræ deliramentum. Secundo, quia lib. 1. de Cælo, asserit, quicquid incorruptibile sit, id perpetuum etiam fuisse. Tertio, quia in Ethic. lib. 1. Solonem reprehendit, qui asseruerit, post mortem veram superesse hominis beatitudinem. Vnde & deplorat brevem hominis felicitatem & opes ac divitias tanquam felicitatis adiumenta requirit. Nec de hominis animo post mortem verbum ullum in illo reperies. Nec est autem credibile, cum, si existimaret animam esse immortalem, nec de modo, quo intelligeret separata, nec de eius felicitate quicquam vel breviter perstricturnum. Quarto, ex præmio libri de anima, ubi illud fundamentum iecit: si intelligere est fantasia, aut non sine fantasia, non contingit animam separari: in tertio autem libro posuit antecedens, quod intelligere non est sine fantasia: unde & consequens, &c. Quinto, quia non Gregorius Nissenus modo, quem D. Thom. refert, verum etiam Iustinus martyr, in lib. admonitorio gentium, & Theodoritus lib. 5. de curat. gr. affect. consentiunt, Aristotelem animorum

im-

(11) In 3. lib. de anima.

immortalitatem negavisse. Quis autem credat, tantos talesque viros falsum testimonium dixisse? Nisi etiam Alexander Aphrodisæus insignis præter cæteros Peripateticus falso etiam magistro suo hanc sententiam imposuit.

7. Arg. Præterea, animorum immortalitas cum Dei erga homines providentia adeo coniuncta & colligata est, ut qui illam negarit, is hanc quoque inficiaturus sit: qui vero hanc concesserit, eum necesse sit illam admittere, quemadmodum supra diximus. At Dei erga res humanas providentia non potest esse per rationes humanas manifesta, sed solum ex divinis oraculis explorata percipitur. Id quod Profeta testatur inquiring (12): *Existimabam ut cognoscerem: hoc labor est ante me, donec intrem in sanctuarium Dei, & intelligam in novissimis eorum.* Et iterum (13): *Dominus scit cogitationes hominum, quoniam vanae sunt. Beatus homo, quem tu erudieris, Domine: & de lege tua docueris eum.*

8. Arg. Præterea, ad indagandam animi immortalitatem illa rectissima via est, quam Aristot. est ingressus: nempe animi operatio propria. Sicut enim resse habet ad operationem, ita se habet ad esse. Experimento autem quotidiano ille probavit, animam non tam nihil sine fantasmate intelligere. Pendere itaque a corpore, non solum ut species intelligibilium accipiat, sed ut eis etiam utatur resque ipsas intelligat. Respondent, pendere animi propriam actionem a corpore non tanquam a subiecto, sed tanquam ab objecto. Verum hæc responsio refellitur. Quia si, quantum rationis lumen & sensuum indagatio docet, nulla nostra intellectio sine corpore est, nihil refert hoc, an illo modo sit; cum utrinque probabilissime colligatur, animam, si extra corpus esset, in modum gladium torpentem omni opere vacaturam. Experimur siquidem species intelligibiles & inferi & in operari a fantasmate dependere. Hinc enim Aristoteles vacillavit, nec quicquam efficit, si efficit tamen, nisi animas cum corporibus interire: ne vanæ scilicet & otiosæ extra corpora remanent.

9. Arg. Confirmat autem hoc vel maxime, quod si animus per se subsisteret atque adeo immortalis esset, non indigeret corpore,

(12) Psalm. 72. (13) Psalm. 93.

re, quemadmodum aliæ formæ, propter esse, sed solum propter operationem. Necessè quippe est, eum species intelligibiles a corporibus per corporis sensus emendicare. Alioqui intellectus per se in natura subsistens, ideoque a corporis gravitate & materiæ imperfectione liber nullo se modo corpori colligaret, si ex se haberet species ingenitas, quibus sine corporis adiumento intelligeret. Videmus autem, species a corpore acceptas, a corpore etiam in operando pendere. Ideo enim necesse est, intelligentem phantasmata speculari. Non ergo per illas anima a corpore separata intelliget. Alias vero species non habet superinditas. Quare seiuncta a corpore, somno otioque torpebit, quod est absurdum.

Sexta insuper synodus actione 11. tradit, animam hominis non esse immortalem per naturam, sed per gratiam illam a morte coercentem. Et rursum, *Non, inquit, Naturam proprie immortalem habens anima, sed gratia id sortita sunt.* Nulla ergo ratio naturalis animæ immortalitatem monstrare potest, ut pote cum sit suapte natura mortalis. 10. Arg.

Adde unum & viginti argumenta, quibus S. Thom. probabiliter egit (14), ut anima corruptibilis videretur. Quæ si ego hic repetam molestus ero. Nam his alia adicere, non video qui possem, nisi Ianduno, aliisque huius farinae auctoribus velim esse simillimus, qui ut argumenta afferant, quibus animi mortalitas probari posse videatur, ea ponunt, quibus suadeant eum non esse formam actumque corporis essentialiter. Quæ argumenta quidem Caietanus in 3. lib. de anima retulit, fecissetque fortasse multo prudentius, si contemp- 11. Arg.

Adde etiam, quod Scotus argumentis, quæ probant animam esse immortalem, argute respondet (15). Si ergo rationes inventæ a prioribus non demonstrant, alius vero excogitare novas non opus est nostræ: fateamur, animam immortaliter vivere, nullo certo naturæ argumento patescere. Hac afferre brevissime potui, quibus illi uterentur, qui animorum immortalitatem infirmare pergerent. Quam tamen & fides ca-

Tom. II.

Yy

tho-

(14) *Quest. de anima art. 14. (15) 4. dist. 43. quest. 2.*

tholica firmissime docet & certa naturæ ratio. Id quod conclusiones rationesque sequentes patefacient.

1. Concl. Prima conclusio. *Animum hominis esse mortalem, fidei catholica manifeste repugnat.* Gen. 37. *Descendam ad filium meum lugens in infernum.* Iob. 21. *Ducunt in bonis dies suos & in puncto ad inferna descendunt.* Sapient. item cap. 2. 3. 4. & 5. apertissime traditur, animas cum corporibus non interire (16). Eccles. 21. *Et spiritus redeat ad Deum qui dedit illum.* 2. Machab. 12. *Sancta ergo & salubris, &c.* Matth. 10. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: sed potius timete eum, qui potest & anima & corpus perdere in gehennam.* Ioann. 12. *Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.* Philip. 1. *Mihi vivere Christus est, & mori lucrum. Coarctor autem e duobus, desiderium habens dissolvi & esse cum Christo.* Primæ ad Corinth. 15. pro absurdissimo apostolus colligit, *Ergo & qui dormierunt in Christo, perierunt. Si in hac vita tantum in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus.* Et posterius referens illam insipientium vocem, *Manducemus & bibamus, cras enim moriamur: illico subdit, Nolite seduci. Corruptum, &c.* 2. Corinth. 5. *Dum sumus in corpore, peregrinamur a Domino, audemus autem, & bonam voluntatem habemus magis, peregrinari a corpore & presentes esse ad Deum.* Et paulo ante, *Scimus quod si terrestris domus nostræ, &c.* Sed de Scripturæ testimoniis quæ D. Thom. dixit esse infinita, satis multa excitavimus. Quanquam vereor, ne quis nos iure ac merito reprehendat, qui in re non dubia usi fuerimus testibus non necessariis. Præsertim cum ii, qui animæ immortalitatem inficiantur, nec Christo, nec evangelio credant, ecclesiæ vero sanctorumque fidem pro nihilo putent. Ita supervacaneum videtur esse, ex iis locis, qui auctoritatem fidei continent, argumenta depromere. Nec conclusio hæc propriæ Theologica est,

---

(16) *Iustinus in colloquio cum Triphone illud affert, quod Pythons a spiritu Samuelis evocavit, In quest. vero gentium quest. 75. citat illud. Infernus subsus te concurbatu est in occursum adventus tui. Quod de Nabuchodonosor dictum esse, ambiguum non est. Et quest. 76. illud, Hodie mecum eris in paradiso.*



est, ut sit argumentationibus Theologiæ confirmanda. Quin Theologia, qua ratione effectrix est & agendi muneri incumbit, illa duo habet primaria fundamenta, Deum esse hominis & principium & finem, atque adeo procuratorem, esseque item animorum perpetuam vitam, in qua remunerator Deus sit inquiringentium se. Quæ nisi fidelis penitus habeat infixa, & in animo quasi insculpta, non dico media & finem consequi felicitatis suæ, sed ne ad Deum quidem accedere potest (17), ut ab eo media finemque requirat. Cum igitur prima cuiusque disciplinæ principia tanquam notissimæ anticipationes supponantur, nihil opus erat vel ea testimonia referre, quæ ex sacris literis commemoravimus. Nisi quod sunt quidam adeo curiosi, qui etiam optarint, Paulum de animorum incorruptione manifestius loqui. Quod perinde est, ac si quis Philosophus adeo esset insigniter stultus, ut in Philosophorum libris, præsertimque Aristotelis cuperet principium illud sæpe & clare resumere, *Quodlibet est, vel non est.* Verum de hac prima propositione, quoniam est ante oculos posita, diximus satis.

Secunda propositio: *Animus naturaliter est immortalis, &* 2. *Concl. non ex dono gratiæ.* Fuere porro quidam Arabes, qui dicerent, animum natura esse mortalem, sed in novissimo cum corpore immortaliter suscitandum. Simili autem errore ductus posset quispiam dicere, animum cum corpore statim quidem interiturum, si naturæ suæ relinqueretur, sed vi divinæ potentia, fieri, ut vel ad præmia, vel ad pœnas conservetur æternus.

Hoc qui assereret is scripturas facile in sensum suum detorqueret. Non enim affirmant illæ, animum esse natura sua immortalem, sed solum eum aiunt manere post mortem. Sicut corpus post resurrectionem fides astruit perpetuam vitam habiturum, non tamen id in natura corporis, sed in divina potentia erit. Quam sententiam sextæ synodi verba retro citata sonare videntur. Atque Augustinus 10. super gen. ad lit. cap. 23. in illam magis opinionem inclinat, quæ docet animas a parentibus generari. Quæ si vera sententiæ est, non est ani-

-675

Yy 2

mus

mus sua natura immortalis. Id quod solebam equidem, non tanquam hæreticum, sed tanquam erroneum condemnare: semper quippe malui citra lineam consistere, quam transire, stultæque ignorantæ potius argui, quam insolentiæ temerariæ. At si rem diligentius animadvertas, non dubites, huic errori hærescos notam inurendam, quando ad Sedem Apostolicam referatur.

Primum, quia manifestum est (18), quosdam philosophos naturæ ratione duce animorum immortalitatem & vestigasse & invenisse. Non est ergo supernaturalis animorum perpetua vita, aut dono eis gratuito concessa. Quis enim hominum scire poterit consilium Dei? aut quis poterit cogitare quid velit Deus? nisi ille dederit (19) sapienciam & miserit spiritum sanctum suum de altissimis?

Deinde in concilio Lateranense sub Leone 10. sess. 8. definitur, hæreticum esse dicere, quod ex principiis Philosophiæ sequitur, animam esse mortalem. Et tamen si naturaliter esset anima corruptibilis, huius corruptionis esset causa aliqua naturalis. *Item cum nonnulli, inquit, ausi sint dicere de natura animæ rationalis, quod mortalis sit, & aliqui temere philosophantes secundum Philosophiam saltem verum esse asseverent, damnatus omnes asserentes animam rationalem mortalem esse. Cum illa non solum per se & essentialiter humani corporis forma sit, verum etiam immortalis.* Hactenus concilium.

Præterea non Theologi modo, verum fideles etiam universi animarum immortalitatem, ita la maioribus accepimus, ut non per miraculum eas incorruptibiles, sed per naturam esse credamus. Hic autem ecclesiæ consensus certissimo nobis argumento esse debet catholici dogmatis. Quod autem idem in hac re Theologi ac fideles sentiant omnes vel ex eo liquet, quod asserentem quemcunque animos esse mortales, statim exhorrent. Eadem quippe fide inscriptum in mente habent, angelos & hominum animas natura sua, ut intellectuales, ita quoque immortales esse. Adde quod post Augustini sæculum nemo fidelium in dubium vertit, quin animæ rationales creentur ex nihilo, & singulæ singulis corporibus infundantur, ut

con-

concilii Lateranens. verbo utar. Quod si non generantur vi naturæ animæ rationales, nec de potentia materiæ educantur, sed foris veniant, nimirum ex se subsistunt: quare non cum corpore intereunt. Illud vero testimonium: *Spiritus redcat ad Deum, quid dedit illum* (20), ne Augustinus quidem ipse expedit. Si enim foris venit spiritus hominis, consequens fit, ut nulla vi agentis naturalis propagetur. Quocirca si ingenitus natura est, natura quoque est incorruptus. Nec enim naturales causæ corrumpunt aliquid, nisi quod eædem possunt gignere. Nam quod interpretatur Augustinus, Deum primo homini spiritum dedisse, cum inspiravit in faciem eius spiraculum vitæ, in illo vero qui cæterorum hominum caput erat, cæteris dedisse spiritum, hoc (pacetanti viri dictum sit) nulla ex parte argumenti vires intrinsecit. Cum enim Moyses in principio Genesios rerum naturalium propriam vim & naturam exprimat, quod in primo homine significatum est, id de reliquis etiam intelligitur. Scriptura porro, ut ostenderet viventia reliqua viribus naturæ edi posse, ait: *Germinet terra herbam viventem*, &c. Et rursum, *Producat aqua reptile anima viventis*, &c. Et iterum, *Producat terra iumenta & reptilia*, &c. (21) Nemi ni quippe ambiguum esse potest, prima ceterum, iumentorum, serpentium, leonum individua a Deo sine media causa adiuvante condita creataque fuisse. Ob id namque adiectum est, *Creavitque Deus cete grandia & omnem animam viventem atque motabilem, quam produxerunt aqua in species suas*. Item, *Et fecit Deus bestias terra iuxta species suas*, &c. At significare scriptura voluit, sic tunc a Deo huiusmodi animantia esse edita, ut in vi tamen elementorum & corporum, quæ ex elementis conflarentur, illorum generationem sitam esse censeremus. Sed enim cum ad hominem ventum est, ne huius similis conditio crederetur, de corpore ait, *Fecit Deus hominem ex limbo terra: de animo autem, Inspiravit in faciem eius spiraculum vite*. Quod differentis conditionis varium discrimen a Moyse adeo accurate observatum manifeste indicat, cæterorum

---

(20) *Eccles. 12.* (21) *Caietan. turpiter hic lapsus est non intelligens scriptura sensum.*

num viventium animas in potentia materiæ esse, hominis spiritum, quo factus est in animam viventem, non esse, sed a Deo creari & infundi, qui solus eius & spirator, & creator est. Præterquam quod qui dicit, *Redeat ad Deum, qui dedit illum*, is non obscure docet, spiritum non perire, sed manere. Explicat enim id, quod paulo ante dixerat, *Ibit homo in domum aternitatis sua*. Alioqui, quomodo ad Deum vadit, si dissolvitur tanquam mollis aer, & sicut umbra ac finus evanescit? Quemadmodum autem corporis naturam exprimit, cum ait, *Revertatur pulvis in terram suam, unde erat*, sic naturam spiritus manifestat inquiring, *Et spiritus redeat ad Deum*, &c. Iam quod Augustinus affert, *Spiritus vadens & non rediens*, a nobis est. Non enim scriptura dicit, *Spiritus veniens & non rediens*, sed *Spiritus vadens*, scilicet a corpore, & *non rediens*, &c.

Præterea, stulti illi, quorum error Sap. cap. 2. inducitur, animum existimabant naturaliter esse mortalem. Non enim de miraculo loquebantur, sed de natura. At Sapiens, non modo cum illis aperte pugnat, verum etiam ut insipientes & insensatos reprehendit. Animos ergo sentit natura esse immortales.

3. Concl. Tertia propositio. *Erroneum est, ne dicam hæreticum, asserere, anima immortalitatem naturali ratione demonstrari non posse*. Si enim naturam habet incorruptibilem, huius rei vel a priori, vel a posteriori ratio aliqua demonstrativa erit. Nulla siquidem propositio ex natura rei, & connexionem terminorum per se ac necessaria est, quin vel ex effectu, vel ex proprietate, vel ex definitione, vel ex causa subiecti ostendi necessario queat. Sed ais: Quadratura circuli demonstrabilis est quidem, sed demonstratio adhuc inventa non apparet. Sic ergo Scotus, Iamundusque sentient, animam quidem immortalitatem ostendi posse, at non esse ostensam tamen.

4. Concl. Quarta propositio, *Periculosum ac temerarium est, ne quid amplius addam, asserere, quod nullum argumentum hætenus inventum vere demonstrat anima immortalitatem* (22).  
Quia

---

(22) Qui dixit rationes non esse nec demonstrativas nec necessarias, is videtur hanc conclusionem reprobare.

Quia argumentum, quod sumitur ex operatione propria, vel etiam ex potentia, quæ substantiam rei necessarie, naturaliterque consequitur, vere ostendit, qualis ne sit eius rei natura, atque substantia. Theologi vero tum ex propria operatione, tum ex propria potentia, intellèctione scilicet, & intellectu, animi corruptionem argumentantur: Syllogismi igitur illi veræ sunt demonstrationes. Dicit fortasse quispiam, non nego demonstrationes esse: sed nobis demonstrationes esse nego, quibus argumenta illa cerra, & clara non sunt, quamvis idonea ex se sint, ut certitudinem, atque evidentiam pariant. O insolentem temeritatem; ceteros ex tuo ingenio metiri, exque tuis aliorum oculos æstimare: asserere, mel quidem ex natura sua dulce esse, sed dulce tamen fuisse nemini, quia tibi non fuerit: nullum videre id posse, quod tu non videas: omnibus obscurum esse, quod tibi non pateat. Ait D. Thomas, ex præmissis manifeste ostendi posse, animam humanam non corrumpi cum corpore: concludit vero in hæc verba (23), *Paret igitur, quod intellectus humanus est incorruptibilis, ergo & anima humana, qua est intellectiva substantia.* Item, (34), *Necesse est dicere: animam intellectualem esse incorpoream, subsistentem, incorruptibilem.* Scotus contra, *Non sunt,* inquit, *rationes patentes & necessaria.* Affirmat Chrysostomus (25), qui philosophi de animæ immortalitate dubitent, eos addebilitare, an in meridie sit dies: & credemus nos, viros & sanctissimos, & modestissimos evidentiam, quam non habebant, fuisse ementitos? Atque Augustinus asseverat (26), philosophos quosdam naturali ratione animæ immortalitatem invenisse: quanquam pauci, ait, idque ægre invenerunt. Præ-

te-

---

(22) 2. *controv. gent. cap. 79.* (24) 1. *part. quest. 75. art. 2. & 6.* (25) *Homil. 4. de provident.* (26) 13. *de Trinit. cap. 9.* Mirum est, Scotum hunc Augustini locum citavisse, ut opinionem suam confirmaret. Resurrectionem Augustinus ait non ratione, sed auctoritate teneri, at de immortalitate anima contra dicit. Nam & libr. de civit. Dei 1. cap. 22. scribit, Platonem qua mente immortalitatem anima vidit, ne quis sibi mortem conscisceret, prohibendum iudicasse.

terea Deus non deficit in necessariis ad vitam iuxta naturæ rationem bene & constanter instituendam. At vix homo potest vitam recte & iuste instituere, nisi & Deum esse sentiat, & animos esse immortales: vix, inquam aut certe nullo modo. Qui enim vel sine Deo fuere, vel animum putarunt cum corpore interire, eos fere perditissimis moribus fuisse memoriæ proditum est. Quam omnino rem (27) sapiens sapienter expressit. Nam simulatque impii illam opinionem induerunt, animos mori, consequenter de omni bono futuræ vitæ desperantes, & nihil post mortem mali timentes, semetipsos tradiderunt impudicitiae in operationem immunditiæ omnis, in avaritiam. *Post hæc, inquit, erimus tanquam si non fuerimus. Venite ergo, & fruamur bonis, quæ sunt, &c.* Et Augustinus, confess. lib. 6. cap. postrem. *Nisi credidissem, ait, restate post mortem animæ vitam & tractus meritorum, quod Epicurus credere noluit, Epicurus palmam in animo meo accepisset.* De atheis autem cum propheta illud posuisset (28), *Non est Deus, statim subiunxit, Corrupti & abominabiles facti sunt, &c.* Sic Iustinus, in dialog. cum Tryphone, *Eorum, inquit, sententia, qui Deum me acque se curare negant, quo spectet, non est difficile cognoscere. Impunitas enim & licentia faciendi, & dicendi, quæ velint omnia, eos consequitur, qui nec supplicia mutant, nec beneficium ullum a Deo spectent.* Divinæ itaque procuracionis fuit, ut in morum & vitæ necessaria regula duces naturæ ac magistros non coniecturis & opinionibus imbueret, quæ huc acque illuc facile traherentur, sed certa, constantique ratione. Sic enim scriptum est (29), *Qui docet hominem scientiam.* Et iterum (30), *Qui docet nos, super iumenta terræ, & super volucres cæli erudit nos.* Quod si animalibus cæteris dati a natura sunt quidam instinctus, & quasi anticipatæ cognitiones non vagæ & instabiles, sed fixæ, firmæque, ut ab bonum naturæ congruens recta ferantur, retrahantur a noxiis: cur in eorum saltem mentibus, quos naturæ actor ad aliorum institutionem

---

(27) Sap. 2. (28) Psalm. 93. Job. 35. (29) Psalm. 93.  
 (30) Job. 35.

nem comparavit, inditas esse certas & constantes prænotiones inficiemur, sine quibus ad veritatem bonitatis non satis instructi, informatique fuissent? Nec enim melior est belluarum conditio, quam nostra. Nihil vero piget, eadem sæpe verba resumere (31). Hinc barbaræ etiam nationes pœnas improbos luere cum sapientibus consenserunt, atque adeo animos esse immortales. Deus enim semper ea, quæ cuique naturæ necessaria sunt, providentissime curat. Quis autem communes animi corruptiones incertas esse asseveret? Sed ais tandem. Quænam istæ rationes sunt necessariæ, & evidentes, quæ Scoto & Caietano probabiles, & obscuræ visæ sunt? Dicam, si illud prius commemoravero quod ab Aristotele prudentissime dictum est (32), stultum esse æqualem in omnibus disciplinis minor est, quam in mathematicis: in quibus quippe disciplinis minor est, quam in naturalibus. At in dispari certitudine tam stultus nemo est, quin scientiæ illis nomen impertiat. Syllogismi ergo illi & faciunt scire, & vere demonstrationes sunt, quibus & de natura, & de moribus philosophamur, quamvis in eis rationibus, non adeo magna, aut necessitas, aut evidentiâ insit. Prima igitur ratio demonstrativa, auctore Chrysostomo (33), est hæc. Qui animam esse mortalem ait, is neget necesse est Deum humanarum rerum esse, & procuratorem, & iudicem. Si enim iusti migrant affecti iniuriis, improbi rerum omnium abundantia potiti, nec post mortem aut merces, aut supplicium est: nulla certe est in cælo pietas, quæ talia curet: nulla iustitia, quæ vel malos puniat, vel tribuat præmia bonis. Et cætera, quæ capite huius libri quarto latius persecutus sum.

Respondet Scotus, argumentum hoc infirmius multo esse, quam reliqua. Non enim, ait, ratione naturæ notum est, esse unum rectorem hominum secundum leges iustitiæ retribuentem & punientem. Quæ responsio bifariam confirmari potest. Prius quia sapiens, cum hoc eodem argumento usus esset, huius rei ignorationem insipientiam esse dixit sa-

Tom. II.

Z z

cra-

(31) Vide lib. 10. cap. 4. (32) 1. Eschic.

(33) Homil. 4. de provident. vel fato.

cramentorum Dei. Quod si inter mysteria Dei censet, & Dei providentiam, & animorum immortalitatem, non est cur nos inter perspicua censeamus. Verba autem illius sic habent (34), *Et nescierunt sacramenta Dei, neque mercedem speraverunt iustitia, nec iudicaverunt honorem animarum sanctarum.* Posterius, quia Iustinus martyr, & philosophus, in lib. de Aristotelis reprehensione docet, gentes non scientia, quæ ad demonstrandum valet, de Deo creataque natura disputationes confecisse, sed probabili ratione suam explicasse sententiam. Et postea, *Hæc, inquit, satis etiam declarant, verum esse, quod a nobis de gentium philosophis dictum est, eos non scientia demonstrandi de naturis disseruisse, sed coniectura, verisimilique ratione suam explicavisse sententiam.* Adde his, quod D. Th. hoc argumentum ubique gentium prætermisit, non prætermisurus, si certum & necessarium esset.

Verum enim vero nulla me huius generis argumenta movere possunt, ut ab ea sententia discedam, quam Chrysostomus video placuisse. Habuit quippe pro re perspicua & constanti non alium negaturum, Deum esse hominum & gubernatorem, & iudicem, nisi eum qui dixisset in corde suo: *Non est Deus.* Sed quia hæc res supra (35), ut dixi, manifesto argumento nobis demonstrata est, & accuratius est postea demonstranda, satis nunc confectum esse arbitramur, si rationem illam, quæ animæ immortalitatem doceat, eo tandem ducere probaverimus, ut non possit Dei erga homines providentia, iustitiæque constare, nisi animæ incorruptio consistat. Nam quod Scotus aliter eludi hanc ratiotinationem putat, perridiculum est. Vt admittamus, ait, Deum pro meritis, & præmia bonis, & malis supplicia retribuere: non exigua tamen improborum vindicta est culpæ turpitudine ipsa, cruciatus animi, conscientiæque flagelum.

Abunde vero magna merces & præmium, fructus ipse virtutis, quò mirifice delectantur probi. In quam sententiam illud Augustini citat omnium sermone contritum, *Volvisti, Domine, & ita est, ut omnis inordinatus animus sibi ipsi sit panna.* Poterat & illud ex apostolo afferre (36), *Mercedem, quam oportuit, erroris sui in semetipsis recipientes.* Quæ cum di-



dicit, parum attente considerat, in quos laqueos incurrat. Primum enim nodum illum explicet necesse est (37), *Sic in hac vita tantum in Christo sperantes sumus, miserabiliores enim sumus omnibus hominibus.*

Deinde, propheta non existimavit quæstionem hanc expediri posse, nisi ad fines bonorum, & malorum referretur, hoc est, ad novissima, quæ probos, improbosque manerent: Ex præsentibus autem, aut bonis aut malis illarum non modo non solvi, sed etiam implicari. *Mei*, inquit (38), *moti sunt pedes, quia zelavi super iniquos pacem peccatorum videntis, &c. Existimabam, ut cognoscerem hoc: labor est ante me, donec intelligam in novissimis eorum. Quomodo facti sunt in desolationem, &c.* Nec aliter aut Hieremias, aut Abacuc huic quæstioni respondendum putaverunt (39). Quorum ego sensum libentius exponerem, nisi ad alia festinaret oratio.

Præterea valde restrictum Deum facimus, qui suis id solum in mercedis loco numeret, quod animo æquo, imo vero etiam gaudenti ac libenti servierunt. O primum singulare, quod eripit spem futuri cuiusque boni, quæ sola, ut Cicero ait, hominem in miseris consolatur. Quis enim dubitet, mortalium animos in arduis, adversisque rebus spe futurorum erigi & sublevari: frangi autem, & concidere, si cum omnium rerum desperatione confligant? Talem mihi rempubl. finge, ubi pessimi cives metum omnem pœnæ, & futuræ vindicationis abiiciant, optimi vero de spe futuræ gratiæ, ac beneficii depellantur: & cum nec probis lex adhiberit calcaria, nec improbis frænos, civitas non dico bene morata, sed ne esse quidem poterit. Ita qui eam sine præmio, pœnaque constituit, hunc tu ipse stultissimum iudicabis. Quale ergo est eius reipubl. Deo procurationem administrationemque tribuere, quam nemo vir sapiens sibi assignari pateretur? Demonstratum est igitur, animas esse immortales, tam evidenti & necessaria ratione, quæ refelli non valeat: nisi Deum facias, aut improvidum esse & negligentem rerum hominis, aut eam stulte urbem constituisse, in qua nullus supplicii timor sit, præstii spectatio nulla.

Zz 2

At

(37) *I. Corinth. 15.* (38) *Psalm. 72.*(39) *Hierem. 12. Abac. 1. 2. 3.*

At sapiens ait, animorum incorruptionem ad Dei sacramenta pertinere. Primum id ego. negare vere possum. Nec enim rem hanc ille in mysteria retulit, sed quod via impiorum prosperetur, quod ubique relinquunt lætitiæ signa, quod opprimant pauperem iustum, nec viduæ parcant, &c. & in his omnibus Deus non taceat modo, verum etiam probos duriter, & acerbè, improbos contra balde, & moliter tractare videatur. Hæc scilicet Dei sacramenta sunt, quæ humana ratio comprehendit; aut vix, aut certe nullo modo. Deinde sunt naturales res quædam in oculis omnium clare positæ: aliæ latent in occulto tenebris densissimis circumfusæ. Quæ naturæ mysteria rectissime dixeris. In his, fateor, animi immortalitas est, quæ a paucis quidem, idque difficulter, sed investigari tamen, atque inveniri potest. Iustini autem verba magna ex parte vera sunt: at universas demonstrationes philosophis eripere, tum absurdum est, tum Paulo etiam contrarium, quemadmodum refutando septimo argumento patefiet. Nam D. Thomas eiusmodi argumentationibus uti non solet, quamvis sint liquidæ & exploratæ. Cavet enim ne argumentando de genere in genus transeat, quod Aristoteles in demonstrandi arte docuit esse vitiosum. Constat vero in hac ratiocinatione a Dei providentia, & iustitia ad animi incorruptionem transiliri, quæ in eodem genere non existunt. Verum de prima demonstratione satis.

Secunda est huiusmodi, ut a protervis refelli queat, a viris recte institutis non queat. Eam vero in probatione quartæ propositionis postremam fecimus. Confirmat illam Cicero in hunc modum (40). Sicut satis probatur Deum esse, quia nulla natio tam fera est, quin Deum habendum sciat: ita apud omnes gentes communi consensu firmatum est, animos defunctorum interitu esse liberos. Quam omnino rem funeris cæremoniis testatam esse voluerunt. Nec enim eas corporibus impartirent, nisi animos sacros esse ac divinos in animum induxissent. Hinc vero, ut Cicero affirmat, & mercedem funeris, sepulturæque constitui, nefas esse putarunt, & brutis animantibus huiusmodi honores negaverunt. Quas duas rationes sapiens, ut mihi videre videor, perstrinxit

Vnam,

Vnam, cum ait: *Nec mercedem speraverunt iustitia*: alteram, cum subdit: *Nec iudicaverunt honorem animarum sanctarum*. Sane qui iudicat, unum esse interitum hominum, & iumentorum, is, cum animum suum summa ignominia, & dedecore afficiat: non hominum ritu ac religione, sed sepultura asini sepeliendus erat, ut dignum haberet sua opinione & sententia funus. Sed de secunda ratione haecenus. Tertiam significat magis scriptura, quam explicat, cum e vestigio subiicit, *Quoniam Deus creavit hominem inexterminabilem, & ad imaginem similitudinis suae fecit illum*. Hominem quippe ad imaginem Dei esse factum, eo quod natura intellectualis est, verum in dubium non potest. Ex ea ergo parte homini incorruptio convenit, qua intellectum habet. Animum igitur, unde homo intelligit, & similis Deo est, inexterminabilem esse oportet. Quae ratio, quoniam ex hominis natura, & forma propria ducitur, atque adeo non ex alienis & extraneis, sed ex propriis, aptisque principiis, diligentius nobis, & illustranda, & exponenda est. Id quod D. Thom. divinae fecit: intelligebat enim hanc esse certam, expeditamque viam, qua ad animi immortalitatem veniret.

Primum igitur fundamentum huius demonstrationis est, formam omnem intellectualem esse subsistentem, hoc est, esse eius non a materia pendere. Hanc propositionem ostendit D. Thom. 2. contr. gent. cap. 51. Quia intellectus non eget corpore sustinente, cum intellectio nec recipiatur in corpore, nec per corpus fiat. At dicis. Non eget corpore quidem tanquam subiecto, sed eget tanquam obiecto. Verum hoc duobus modis manifeste refellitur. Primum enim animal non esset per se subsistens, quia indiget ad propriam operationem externis obiectis. Deinde id, quod per accidens alicui convenit, non variat iudicium de natura rei. Ut lapis, qui in loco superiore detinetur, &c. Cum ergo anima intellectiva ex natura propriae operationis non sustentetur a corpore, consequens est, quod per se non pendet ab illo. Quia actus non potest per se a corpore pendere, nisi tanquam a materia & subiecto, in quo recipitur. Vide S. Thom. in quaest. de anim. quaest. 14. & 2. contr. gent. cap. 55. & 79. Certe si intellectio in corpore susciperetur, nec omnes res sine discrimine intellectus perciperet, nec universale cognosceret, sed

solum singulare. Quod si huiusmodi argumenta tibi evidentia non sunt, memento nec cæteros ex tuo ingenio æstimandos esse, neque hic evidentiam mathematicam requirendam. Sed iam tempus est ut obiectiones oppositas repellamus.

Prima ergo sic repellitur. Fidei quæstionem duobus modis interpretari possumus, & ex natura sua, & quoad nos. Ex natura sua illa fidei quæstio est, quæ est a Deo ecclesiæ revelata, quamvis a plerisque ignoretur. Vt spiritum a patre filioque procedere, ipse spiritus apostolis revelavit. Item, animas sanctorum, statim ut a corpore exierint, videre Deum. De quibus licuit olim varie sentire, & sine fidei discrimine, aut affirmare, aut negare, cum neutra res scilicet erat plane ab ecclesia definita. Ita quo ad nos non semper fidei quæstiones illæ sunt habitæ, sed salva fide viri quidam docti contrariam veritati sententiam tenuerunt. Quomodo asservuit Augustinus non esse fidei quæstionem, num anima rationalis ex traduce sit. Nunc autem cum post ea tempora Theologorum, fideliumque omnium consensu firmatum sit, animum non per generationem, sed per creationem existere (41), sine dubio ad fidem illa quæstio pertinet. Nec tamen si hoc fuit aliquando in controversia positum, eadem de animæ immortalitate causa subest quæ nunquam est a catholicis in dubium vocata. Sed de primo argumento satis.

At secundo nil est difficile respondere. Cum videamus, non solum sub infideli principe, quales Romani tunc erant, sed sub imperatore catholico multos in Germania nunc publice manifestas hæreses profiteri. Tantum refert principes habere & fideles, & qui hæreticorum insolentissimam temeritatem coercere tum velint, tum etiam possint. Præterquam-

---

(41) Hieronymo perpetua, constansque sententia fuit, animas in singulis corporibus creari singulas, quem post tota eccl. secuta est, de ecclesiasticis dogmatibus, cap. 14. Animas enim non creari, sed ex parentum semine esse, Luciferianorum error fuit, ut Augustinus refert de hæresibus, cap. 81. Ac certe cum Zachar. cap. 12. ait, Dixit Dominus, extendens cælum, & fundans terram, & fingens spiritum hominis in eo nihil aliud significat, nisi ea opera a Deo ipso sine causa subiecta, & subserviente parari: quemadmodum Hieronymus idem admonuit. Vide Esai. 42. & 45. cap.

quamquod ubi factiones sunt, ibi favore partium in rep. tolerantur, quid dico tolerantur? quæruntur, foventur, stringuntur homines teterrimi, ac sceleratissimi. Hoc in statu res Iudæorum publica cum esset, non est sane mirandum, si saducæos ferret carnalis populus, homines videlicet factionosos, qui & carni usque adeo inservirent, ut omnem spiritum esse negarent. Quemadmodum autem gentes tales esse volebant Deos, quales ipsi etiam essent, nempe adulteros, bellatores, raptores: sic plebs vitiiis corrupta eos vult habere religionis præsidēs, qui non religati sint, sed liberi: non spiritus servi, sed mancipia carnis. Verum in argumento facillimo refutando plura, quam necesse erat, verba consumpsimus.

Tertium vero brevissime refellemus. Nam primum illud testimonium certissime probare animorum immortalitatem ostensum est a nobis paulo ante. Secundum etiam quantum momenti habeat, nunc nunc explicabamus. At tertium nulla responsione eludi potest. Si enim homines animam non possunt occidere, corpus autem occidere possunt, certum est, animas non cum corporibus interire. Item si animas Deus mittit in gehenam, non ergo cum corpore moriuntur. Quartum denique Caietanus affirmat probare quidem simpliciter animæ immortalitatem, undè saducæos de resurrectione vince-ret, qui ideo negabant mortuos resurgere, quia credebant cum corpore animam mori. Per synecdochem autem scriptura nomina Abraham, Isaac & Iacob pro animis eorum usurpat. Quo loco Ambrosius Catharinus eum, ut sæpe alias, sine causa reprehendit. Cœarguit enim Theophilactum, imo vero Hieronymum, qui Caietano illius auctor sententiæ fuit. At D. Thom. expositio præclarior est. Non repugno. Nec D. Thom. solum illum locum sine figura intellexit, sed Chrysostomus (42), Theophilactus etiam, atque Ambrosius. At dicis. Quomodo Abraham illo tempore viveret? Respondet Chrysostomus, quomodo Adam, posteaquam de ligno vetito comedit, sententia tamen prolata, mortuus erat, sic Abraham, pollicitatione resurrectionis certissima, vivus erat. Alioqui, qui sibi ecclesia vult, cum ait: *Regem, cui omnia*

vi-

---

(42) Hom. 71. in *Matth. de fide resurrect.*

*vivunt, & cui non pereunt corpora nostra? Ac de tertio argumento haecenus.*

Quartum autem iam ante expeditum est. Diximus enim in 7. huius operis libro, sanctos veteres, non tam humanas disciplinas, quam divinas literas coluisse. Quæ causa fuit ut in rebus naturæ perobscuris ratione vulgari contenti essent, nec meliores requirerent. Conclusionum itaque naturalium a philosophis petenda demonstratio est, præsertimque a D. Thoma perfecto, mea sententia, philosopho, cuius admirabilem naturam, & ingenium cum gratia perfecisset, tum ubique alias, tum in libros contra gentes maxime quidquid expeti ab hominis ingenio poterat, id unus videtur ad miraculum præstitisse.

Sed Scoto, Ianduno, Caietano rationes probabiles visæ sunt, non item necessariæ. Scotus porro, & Iandunus, nam de Caietano dicam postea, videntur demonstrationes Mathematicas quæsiisse. Si enim sapere ad sobrietatem vellent, & rei naturam, de qua disseritur, attente perpenderent: sane intelligerent, rationes, quæ animæ incorruptionem probant, non suadere sed vincere: si non protervum, & repugnantem, at certe docilem hominem, & ad disciplinæ leges bene informatum.

*Finis duodecimi libri de Locis Theologicis.*

## AD LECTOREM.

**E**Ndamus tibi, candide lector, Rev. quondam P. Fr. Melchioris Cani, ordinis Prædicatorum, de Locis Theologicis duodecim libros, perfectos quidem, limatos, atque omnibus (ut aiunt) numeris absolutos, typisque quam fieri posuit elegantissimis elaboratos. Te tamen aduonitum velim, duos huic operi de esse libros, quos auctor morte præventus, reliquit infectos. Nec tamen hoc te moveat, & ab eius lectione removeatur: illi enim, etsi huic operi non accesserint, tamen quod ad perfectionem eius attinet, parum, aut nihil facere, quilibet etiam mediocriter eruditus facile indicare poterit. Quapropter auctoris labore fructe. Quod si feceris, quantum utilitatis inde sis reportaturus, in ipse postea libenter fateberis. **VALE.**

MEL.

## MELCHIORIS CANI,

EPISCOPI CANARIENSIS,

EX ORDINE PRÆDICATORVM,

RELECTIONES DVÆ.

VNA DE SACRAMENTIS IN GENERE,

Altera de Sacramento Pœnitentiæ.

PRÆFATIO AD LECTOREM.



Posterioribus cura, & proverbio, & experientia  
 teste meliores esse consueverunt. Cum igitur  
 in tradendis disciplinis laudabilis obtineat  
 consuetudo, ut præter quotidianam lectionem  
 aliquid accuratius elaboratum magistri re-  
 legant, quo velut adipe selecto, discipulo-  
 rum animi vegetati, avidius ad suam quis-  
 que professionem alliciantur, factum est, ut  
 sapientissimus magister noster CANVS importunis amicorum præci-  
 bus victus, posteriorum cogitationum suarum primitias nobis ederet.  
 Ea sunt duæ Relectiones Theologica tali viro profecto dignæ; altera de  
 Sacramentis in genere, altera de Pœnitentiâ. In quibus nescias, can-  
 dide lector, utrum magis in viro isto mirere acumen ingenii vere  
 Theologici, non de rebus nihili (ut fere fit) disputantis; an dicendi fa-  
 cundiam cum facilitate, & perspicuitate coniunctam. Nam in cæteris,  
 cum semper sui similis sit, nescio quo hic pacto seipsum superare vi-  
 detur, adeo ingeniose omnia dis.cuit, dilucide ob oculos ponit pro-  
 prie, & eleganter disserit. Porro si ad eum modum res Theologica,  
 nativo suo fulgore nitida tractaretur, spes esset, fore, ut omnes  
 illius candidi brevi scopum attingerent. Cæterum quid facias  
 malis, qui Theologi vocabulum digne sibi usurpare videntur, si  
 more arabiarum gladium in tenebris venilent; si artis Theo-

logica, quam petere instituerant, obliti, Iberis interim naniis implicati pro nibilo digladiantur? An qui eiusmodi sunt, non similes dices prociis Penelopes, qui pedissequarum lenociniis in ipso statim vestibulo remorati, ad arcem domina: quo iter intendunt, non perveniunt? Veritas nempe una est, qua sola vult amari, & nullo modo patitur pellicem. Sed & maiestatem, & gravitatem sibi vindicat non vulgarem: illis ad eam pedibus si quis tenter irruere, is velut alter Ixion, nubem pro throno temebit, temeritatis sua penas versatili semper rota daturus. An non apostolus noster hos tibi videtur propriis depinxisse coloribus semper discentes, & nunquam ad veritatis scientiam pervenientes? Tu vero, vir Theologe, si cupis ad Theologica veritatis desideratos amplexus compendio pervenire, neglectis ancillis, qua serviunt cum filiis suis, lege, & relege, qua tibi tradit pura, & libera veritatis amator magister noster CANYS. Et si minusculum hoc, quod tibi addicit, non magnitudine, sed pretio estimandum, placere cognoverit (placebit autem haud dubie) plura deinceps (nam totus sibi dicatus est) sperare poteris.



# RELECTIO DE SACRAMENTIS IN GENERE,

Habita in Academia Salmanticensi.

Thema Relectionis ex Lucæ cap. 10.

*Samaritanus appropians alligavit vulnera eius , infundens oleum , & vinum.*

### Prima Conclusio.

*Sacramenta omni tempore fuisse ad salutem hominibus necessaria , quemadmodum & fidem in unum Salvatorem Dominum Iesum Christum , quam eandem , diversis licet Sacramentis , & olim veteres , & nunc etiam nos exterius profitemur.*

### Secunda Conclusio.

*Sacramenta vero nulla aut naturalis , aut scripta legis sanare hominem potuisse , cum sola , qua in nova lege sunt a Christo instituta , vere , proprieque gratiam , & salutem efficiant.*

## PROOEMIUM.

**N**olle equidem , viri gravissimi , novæ a me res aliquas de rebus antiquissimis disputaturo hodiernæ die expectaretis . Nam & ubique gentium fugienda Theologo doctrinæ novitas , quæ cum semper periculosa est , tum fere ut vetustati , ita quoque veritati contraria ; & quam nunc disputationem de Sacramentis instituiamus , maiori ex parte veterum traditione consistit ; & in hoc celeberrimo to-

© Del documento, los autores. Digitalización realizada por ULPGC. Biblioteca Universitaria, 2006

to terrarum orbe Gymnasio illud magnopere conandum est, ne novitiis opinionibus aut Theologiæ dignitas, aut maiorum nostrorum auctoritas minuatur. Quocirca si in earum rerum asertione, quas hodie sum explicaturus, quorundam forte iuniorum placita refellero, idque suppressis etiam, tacitisque nominibus; quæso, ne arrogantia tribuatis: quin potius existimate, sedulo me in id incumbere, ut ne scholastica dogmata nova esse videantur, sed antiqua, & nostræ religionis auctorum ingenio, atque eruditione commendata. Quod si intellexerimus, primam hanc Relectionem laudari a vobis laudatis viris, aut certe consilium nostrum, conatumque probari, maiora & graviora deinceps, Christo iuvante, profereinus.

Locum igitur hodierna disputatione rependum magister ex decimo evangelii Lucae capite desumpsit, principium aptissimum quarto suo Sententiarum libro inde daturus; unde & nos ad vestram hanc Academiam accedentes nostrarum quoque lectionem principium dedimus. Locus autem huiusmodi verbis continetur: *Samaritanus approprians alligavit vulnera eius, infundens oleum, & vinum.*

Ac Samaritani parabola quidem iuxta germanum literæ sensum in id est a Domino composita, ut proximus, quem perinde atque nos ipsos diligere iubemur, non cognationis, aut sanguinis propinquitatem, sed humanitatis, & benevolentie coniunctione definiretur. Homini quippe sauciato, qui descendens ab Hierusalem in latrones incidérat, non aut Levita, aut Sacerdos civilitatis, generisque ratione coniunctus tulit opem, sed Samaritanus alienus a Iudæorum commercio quidem, sed non ab humanitate tamen alienus. Verum tam accurate confecta, enarrataque similitudo universis sanctis expositoribus visa est mysticum alium sensum inferre: iuxta quem descendens homo in civitatem Iericho, humanum genus intelligitur, cui vulnerato, spoliato, iacenti, semper post peccatum, Christus Iesus, se vera Samaritanus, hoc est, custos unicus ipse noster, naturæ etiam communionem propinquus effectus, medicinas adhibuerit spiritualis, quibus peccatorum omnium vulneribus mederetur. Has nos medicinas sacramenta vocamus, deque his disputationem in genere

re suscepimus, quinque præcipue partibus continendam.

Primum enim definiemus Sacramenti nomen, ut intelligant omnes, quid sit id, de quo disseritur. Mox ostendemus, sine fide unius mediatoris Iesu Christi, quam Sacramenta designant, neminem fuisse salutem consecutum. Deinde monstrabimus, sacramenta fuisse semper post peccatum homini ad salutem necessaria. Quarto loco explicabimus, quænam Sacramenta hanc salutem effecerint. Postremo colligemus id, quod explicatu difficillimum est, quo propriæ discrimine Sacramenta nova a veteribus separentur.

## P A R S P R I M A .

### *De Definitione Sacramenti.*

**P**Rincipio itaque, ut viam reliquis quæstionibus faciamus, Sacramentum a plerisque definitur esse *sacra rei signum*. Cui quidem definitioni multipliciter obiicitur; sic etiam obiectionibus expositis, facilius erit rei definite intelligentia. Definitio Sacram.

Primo coniugium in statu innocentia erat signum rei sacrae id est, coniunctionis inter Christum, & ecclesiam, quemadmodum apostolus docet (1): & tamen non erat Sacramentum, ut nunc quidem de Sacramentis loquimur, cum in illo statu nec morbus esset, nec proinde medicina. Argum. in contr.

Deinde, sacrificium Abel non fuit sacramentum, non plus certe quam oblatio Cain, fuit tamen signum rei sacrae, eius videlicet sacrificii, quod & Christus in ara crucis obtulit, & nos offerimus in altari, ut in univertum de veteribus hostiis Augustinus eradit (2): igitur definitio mala.

Præterea, serpens aeneus a Moyse in deserto suspensus, Manna item eodem loco Iudæis exhibitum, signa fuere rerum sacrarum, ut Ioannis evangelium docet (3): at certe non fuere Sacramenta.

Præ-

(1) Ephes. 3. (1) 10. de civitate Dei, cap. 20.

(3) Ioann. 3. & 6.

### 374 RELECTIO DE SACRAMENTIS.

Præterea, Agnus Paschalis, auctore Paulo (4), rei sacræ signum erat: nec magis videtur fuisse Sacramentum, quam aliæ figuræ, quæ in veteri lege præcesserunt.

Ad hæc, verba Christi apud Lucam (5): *Remittuntur tibi peccata tua*, Sacramenta minime fuerunt, cum tamen fuerint signum rei sacræ, id est, remissionis peccatorum, quam etiam eff. cere. Et confirmatur: Illa verba, *Ego te baptizo*, &c. sunt sacræ rei signum, ablutionis scilicet interioris, cuius etiam sunt causa; sed Sacramenta non sunt: nisi ita desipiamus, ut Sacramentorum formas Sacramenta nuncupemus.

Præterea aqua lustralis, quam vulgus benedictam appellat, signum est rei sacræ, signum quoque sanctificativum, at certum est tamen, non esse Sacramentum. Definitio igitur est inepta. Maior enim propositio satis probatur. Alexandri Papæ testimonio in decretis suis, ubi asserit (6), aquam sale conspersam, & divinis precibus consecratam populum sanctificare, inquinatos mundare, insidias diaboli avertere, sanitatem corporis, & animæ præstare.

Corpus denique Christi in eucharistia contentum, non est signum: signum enim, Augustino finiente (7), est quod præter speciem, quam ingerit sensibus, aliud a se cognoscere facit. Corpus autem Christi, licet invisibiliter sub specie panis contineatur, sine dubio Sacramentum est: non ergo Sacramentum apte finitur, quod sit sacræ rei signum.

Resp. ad  
arg. trib.  
fundam.  
positis.

His atque aliis argumentis definitionem hæc a magistro sententiarum approbatam, iuniores quidam facile reiiciunt: quibus nos tamen facilius respondebimus, si tria prius principia ponamus. Quæ si cuiquam non bene provisa, & diligenter explorata videantur, huic illud respondere possumus, non id nos quærere, ut omnibus probentur, quæ asserimus (nam id fieri non potest) sed ut eis, qui iuxta rei naturam, de qua disseritur, argumenta requirunt.

Primum itaque fundamentum est, Sacramenta esse quasdam .

(4) 1. Cor. 5. (5) Luc. 7. (6) De consecr. dist. 3. cap. Aqua. (7) 2. de doctrin. christ. cap. 2. de consecrat. dist. 2. cap. Signum.

dam sacras cæremonias, ad Dei cultum videlicet pertinentes. Nam ante omnia id Sacramenti nomen præ se fert: quod a sacro derivatum, Varro de lingua Latina auctor est. Sacro-  
rum autem administratio ad religionem, qua Deum colimus, pertinet. Quare & Sacramentum opus est religionis.

Rursum in Sacramentis profitemur, nos salutem a Deo Salvatore quærere: id vero ad pietatem, qua Deo cultum exhibemus, spectare manifestum est.

Peccata insuper, quæ in Sacramentorum vel administratione, vel susceptione fiunt, virtuti religionis adversantur. Sunt enim vel superstitiones, vel sacrilegia. Ergo recta ipsa Sacramentorum sive susceptio, seu administratio actus est religionis. Augustinus demum definit (8), non quodlibet signum esse Sacramentum, sed quod sit sacrum signum.

Secundum fundamentum est, non quodcumque Sacramentum esse, sed quod habeat occultam, & reconditam significationem. Nam vulgari sermone tunc sive verbis, seu rebus inesse dicimus Sacramentum, cum est significatio quædam abscondita. Mox etiam Gregorius 1. quæst. 1. cap. *Mul-ti*, ob id ait Sacramenta dici, quia sub tegumento corpora-  
hium rerum divina virtus secretius operatur salutem. Vnde à secretis sacris Sacramenta asserit appellata.

Præterea interpres novi testamenti, ubi apud Græcos habetur (9) *μυστήριον*, fere traducit Sacramentum. At myste-  
rium absconditam, & occultam habet insinuationem, ut eodem cap. Gregorius affirmat. Non igitur est Sacramentum, nisi sit occulta, & condita significatio. Hinc illa vulgata doctrina, Sacramenta rebus sensibilibus constare, quarum figura scilicet occultus adumbrentur res insensibiles: Sola namque verborum expressa significatio Sacramentum non efficiet. Sacramenta quippe sine verbis fuere quædam in lege tum naturali, tum scripta; sine rebus autem nulla fuere Sacramenta. Rerum itaque significationem ratio Sacramenti requirit. Atque eo fortasse Samaritanus hic noster oleum, & vi-  
num,

---

(8) *Libr. de civ. Dei 20. cap. 5. & refert. de consecr. dist. 1. cap. Sacrificium.* (9) *Ephes. 2. Colos. 1. 1. Timot. 3.*

## 376 RELECTIO DE SACRAMENTIS.

num res materiales, ac visibiles exhibuisse legitur, verba exhibuisse non legitur.

Hinc etiam illud est, quod Augustinus tradidit (10), oportere res, quibus Sacramenta constant, imaginem, & similitudinem gerere earum rerum, quarum signa, & Sacramenta esse dicuntur. Verbi gratia: Baptismus lavat; ideo completur in aqua, eucharistia reficit, ob idque panis & vini speciem accipit: unctio fovet, idcirco ministratur in oleo: in poenitentia demum sub aperta forma iudicii, ubi & testis, & reus, & iudex, & accusator inducitur, iudicium illud interius licet agnoscere, quo ab invisibili iudice reus vel absolvitur, vel ligatur. Ita in cæteris Sacramentis invenimus, mysticam Sacramentorum significationem quadam imaginis, & figuræ proportionem consistere.

Tertium fundamentum est: Sacramenta esse signa sanctificationis practica, quæ scilicet ipso usu adhibentur ad sanctificandum. Nam cum sit duplex signum sanctitatis, alterum speculativum, ut nomen sanctum, vel sanctificans; alterum practicum, quod non solum significat sanctificationem, verum & exhibet, ut baptismus exterior; Sacramentum non signum speculativum, sed practicum est.

Id vero ex eodem cap. *Multi, cum primis habetur, ubi Gregorius ait, Sacramenta dici, quod sub tegumento corporalium rerum divina virtus cretius salutem operetur.*

Item, nisi ita esset, plura in nova lege essent, quam septem Sacramenta, quandoquidem sacrarum rerum signa speculativa plura sunt.

Præterea, in sensu, quod scholastici disputant de sacramentis, spirituales, & sacras medicinas intelligere cogimur, quæ nisi signa practica, & sanctificativa sint, intelligi nulla ratione possunt.

*Est igitur Sacramentum (ut hæc tria simul principia complectamur) sacram & occultum signum ad sanctificandum institutum. In quem sensum illa definitio est optima: SACRAMENTUM EST SACRA REI SIGNUM.*

Qua-

Quare ad primum argumentum facillime respondetur, matrimonium nec in statu innocentiae, nec alio unquam ante evangelium tempore fuisse sanctificativum; unde nec fuit Sacramentum, nisi latissime quodlibet mysterium sacramentum vocare velis; quod ut modo diximus, interpretis novi, ac veteris testamenti saepius facit. Quo significato nunc de Sacramentis minime disputamus; sed cum concilio Florentino a sacris aliis Sacramenta distinguimus, ut peculiariter ad sanctificandum homines instituta.

Respond.  
ad argum.  
in contr.

Responderi quoque potest, matrimonium non in statu innocentiae, nec in lege naturae, aut scripturae signum fuisse sacrum & religiosum, quippe cum non opus esset divini cultus, sed magis civilis, humanusque contractus, in naturae solum vel propagationem, vel remedium institutus. At in nova simul & sanctificativum, & sacrum est, ut caetera religionis Christianae Sacramenta.

Nec in praesentia vertere in quaestionem volumus, an matrimonium, quod vel per procuratores, vel etiam ab ipsis coniugibus sine ecclesiae ministro, sineque aliqua religionis caeremonia profane contrahitur, Sacramentum sit: tametsi vocari in dubium iure fortasse potest. Nam eiusmodi contractus, quod iam insinuavimus, pure civilis est, nec aliqua ex parte opus religionis sacrum: quare non est Sacramentum. Deinde quia, cum sine sacerdote, vel per procuratores, vel per literas, vel aliter quocumque modo fideles contrahunt, non se existimant esse sacrilegos, si non sint in gratia, quo tempore contrahunt: At si Sacramentum conficeretur, procul dubio sacrilegi essent. Praeterea, quia recipere Sacramentum unus pro alio non potest: ergo quod per alios contrahitur, non est Sacramentum. Praeterea, ut concilium Florentinum definit, omnia Sacramenta tribus constant, materia, forma, ministro: quorum si aliquod desit, non perficitur Sacramentum: At cum matrimonium sine sacerdote, aut ministro ecclesiastico contrahitur, unum re vera deest: non igitur conficitur Sacramentum. Sed de huiusmodi quaestione alio loco fusius & copiosius disseremus.

Ad secundum respondeo, sacrificium fuisse duplex in lege tam naturali quam scripta: Alterum ad protestandum,

Tom. II.

Bbb

Deum

Deum rerum esse auctorem ac Dominum; & huiusmodi non erat Sacramentum, tametsi illius sacrificii signum erat, quo religio nostra Deum unice colit. Alterum verò in id factum est, ut Deus mortalium culpis infensus placaretur: quod erat utriusque sacramentum. Videtur autem sacrificium Abel prioris generis fuisse, quoniam munus solum fuisse perhibetur, sicut & oblatio Cain. Quare non fuere Sacramenta, quæ a generalibus sacrificiis concilium Florentinum discernit.

Ad tertium, serpens æreus, & manna signa sacra non fuerunt, licet rerum sacrarum fuerint significativa: Nec enim aut erectio serpentis, aut mannæ usus in id fuit, ut Deo religionis cultus exhiberetur. Vtriusque præterea rei usus erat in effectum aliquem corporalem. Serpens namque non fuit erectus ad sanctificandum animum, sed ad sanandum corpus. Nec manna præstitum Iudæis est ad sanctitatem ipsorum, sed ad satietatem carnis. Non igitur fuere signa practica sanctificationis, ac proinde nec Sacramenta. Quanquam intelligentes huiusmodi rerum futurarum mystica signa, per fidem rerum, quas credebant, iustificabantur. Omnes enim eandem escam spiritalem manducaverunt, & eundem potum spiritalem biberunt. Bibebant autem de spiritali consequente eos petra, petra autem erat, &c. ut apostolus in priore ad Corinthios epistola testatur (11).

Ad quartum, quibusdam agnus paschalis non videtur fuisse legis veteris Sacramentum, quod in illius esu nullus usus sanctificationis apparet. At Divus Thomas multo aliter intellexit (12). Quemadmodum in lege nova alia sunt Sacramenta directe parata & instituta ad mundandum, ac sanctificandum homines, ut baptismus & penitentia; alia vero supponunt iam esse mundos, danturque in usum sanctificationum: sic in veteri lege agnus Paschalis Sacramentum mundorum fuit, nempe quem nisi sanctis & mundis edere non licebat: atque idcirco non fuit opus, ut immundos sanctificaret, sed sat fuit adhiberi ad consummationem legalis sanctitatis, quam qui-

---

(11) *Cap. 10.* (12) *3. part. quest. 37. artic. 5. & 1. Corinth. 5. lect. 2.*



quidem habere nemini contingebat, nisi agnus Paschalis cederetur. Quod si cui ratio hæc subtilior videatur, quam ut communi sensui possit accomodari, credat, agnum Paschalem non in memoriam solum Ægyptianæ redemptionis immolari, sed etiam pro peccatis Israelitici populi: Sicut Eucharistiæ Sacramentum, & signum commemorativum est præteritæ redemptionis, & pro peccatis fidelium immolatur. At sacrificium pro culpis oblatum, quod retro iam diximus, sacramentum erat.

Ad quintum patet, verba Christi non pertinuisse ad ritum aliquem religionis, sed tantum explicasse divinam potestatem. Nam eadem loquendi forma Dominus dixit: *Surge & ambula; fides tua te salvum fecit*; & alia eiusmodi, quæ passim reperies apud evangelistas. Imo vero non existimaverim, verba illa fuisse quasi instrumentum, quo Dominus ad sanctificationem uteretur: quod tamen esset necessarium, ut ibi esset sacramentum. Rursum & manifestam etiam habent significationem, ne gestum ibi fuit quicquam, quod sub rerum corporalium imagine occultum mysterium insinueret, quapropter nullum fuit eo loco Sacramentum.

Atque inde confirmatio addita facile solvetur. Si enim novæ legis Sacramento sola verborum expressa significatio esset, non esse propria ratio Sacramenti. Tametsi dicere quoque possumus, signum parziale sanctificationis esse quidem partem Sacramenti non autem esse Sacramentum, hoc est, signum integrum sanctitatis, quod videlicet in nova lege materia, formaque constat, rebus & verbis. Quo fit, ut cum artificiosum compositum esse Sacramentum videatur, non pro forma verborum accipiendum sit, sed pro materia potius rerum sensibilium; quemadmodum vasis aut statuæ vocabulum non pro forma artis accipimus, sed pro materia habente formam.

Ad sextum: Aliorum solutionibus prætermissis, quæ, nisi me opinio fallit, non sunt idoneæ. Respondeo cum D. Thoma (13), aquam benedictam non esse signum sanctificativum, etiamsi non poenas culparum modo, sed, id quod mihi pro-

Bbb 2

ba-

babilius est : culpas quoque veniales remittat. Nam quemadmodum illæ cæremoniæ sacræ, quæ præparant quidem ad baptismi sanctificationem, at non sacrant tamen suscipientem, ut exorcismus, Sacramenta dici non possunt; possunt autem vocari sacramentalia, quasi Sacramentorum ipsorum sanctificantium præparationes; sic aqua benedicta, & cætera eiusmodi, quæ peccata solum venialia delent, quoniam sanctitatem præstare nequeunt, sacramentalia sunt, non Sacramenta.

Sed oïcis: ergo confirmatio non est Sacramentum, ut quæ baptismo adiuncta ipsius effectum perficit. Nego consequentiam, quia effectus proprius confirmationis sine collatione gratiæ, per quam est vera sanctificatio, præstari non potest; & idem omnino est in reliquis ecclesiæ Sacramentis. Remissio autem venialium, qui est effectus aquæ benedictæ, sine collatione gratiæ, & sanctitatis confertur. Effectus præterea aquæ benedictæ in Sacramento Pœnitentiæ est; unde sacramentale quod additur, annexum Sacramento Pœnitentiæ est, quod videlicet integrum suum effectum non habuit. At effectus confirmationis proprius in Sacramento baptismi non est, sive in alio quidem Sacramento. Quare non est sacramentale, quasi alicui Sacramento secundario coniunctum, sed est per se verum, perfectumque Sacramentum. Quæ vel maxime ratione eorum error fit manifestus, qui Sacramento unctio nis extremæ remissionem venialium, tanquam effectum proprium, assignaverunt: quod si esset, certe unctio non esset Sacramentum, sed sacramentale quiddam.

Quod autem Alexander asserit, aquam consecratam populum sanctificare, purgare, sanare; forsân intelligendum est non solum de aqua ista vulgari, quæ in remissionem venialium aspergimur, sed de aqua etiam ad baptismum populi paranda, quæ prius etiam sale conspergitur, & divinis precibus consecratur. Confert enim summus pontifex elementa, quæ christiana religio in suum usum vendicare solet cum iis, quorum fuit olim usus in veteri testamento, docetque, maiorem nostris inesse vim sanctificandi, purgandi, sanandi, quam veteribus. Quod si cui hæc nostra intelligentia displicet, quæ tamen, linum ut lino, ita facile antecedentibus consequentia necit; is tale habeat responsum,  
**aquam**

aquam sacram & benedictam sanctificare, & purgare secundum quid, eo, quod peccatorum pœnas solvit, culpas item veniales, numquam vero simpliciter & absolute sanctificat, quod ratio Sacramenti requirit. At si hinc colligas, legis veteris nulla fuisse Sacramenta, quæ videlicet neminem sanctificabant, huc nos argumento suo postea loco respondebimus.

Ad postremum vero nunc dicitur, aliud esse Sacramentum tantum, aliud esse simul & rem Sacramenti, & Sacramentum, ut cap. *Cum Martha*, de celebratione missarum Innocentius tradit. Hic igitur nos definimus Sacramentum tantum, quod oportet esse sensibile. At quod simul est res, & Sacramentum, satis habet, si sit signum intelligibile: ut character signum est spirituale, quo sumus interius consignati, & corpus Christi signum est intellectuale corporis mystici, hoc est, ecclesiasticæ unitatis, qua significatione & corpus Christi, & character appellantur Sacramenta. **D.** tamen Augustinus dicit (14), esse figuratum sermonem, cum corpus Christi vocat Sacramentum. Nam rerum similitudines nonnunquam rerum ipsarum, quarum sunt signa, vocabula accipiunt; ut in Apocalypsi Agnus (15), qui occisus est ab origine mundi, id est, Agnus signatus ab origine mundi; ut & Augustinus sive quis alius fuerit eius operis auctor, homil. 10. in Apocalypsi legit, & ad Roman. 6. *Consepulti enim sumus cum illo per baptismum.* Et ad Corinth. 10. *Petra autem erat Christus.* Eodem, inquit, modo Sacramentum corporis Christi, corpus Christi est; & sacramentum sanguinis, sanguis est. Ac de prima parte satis nobis fuerit disputatum.

---

PARS

(14) *Epist. 23. ad Bonifac.* (15) *Apoc. 14.*

## PARS SECUNDA.

*De necessitate fidei Christi ad salutem.*

2. quæst. princip. **S**equitur pars altera ubi disserendum est, an fides Christi Salvatoris nostri fuerit in omni lege ad salutem necessaria.

Argum. propart. neg. Et pro parte quidem negativa illud est præcipuum argumentum, quod in lege naturæ satis erat credere Deum esse, & esse remuneratorem inquirentium se, ut apostolus ad Hebræos videtur astruere (1). Fides igitur unius mediatoris, qui scilicet Deum placaret, salvaret homines, non erat necessaria.

Præterea, non in lege naturæ modo, verum etiam scripturæ, satis ad salutem erat servare mandata, iuxta id quod Dominus ait: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* At decem mandata legis, de quibus sermo erat, naturali ratione continebantur. Non ergo ad salutem erat fides unius mediatoris necessaria.

Pro parte vero affirmativa illud apostoli testimonium est (2): *Unus Deus, unus mediator Dei, & hominum homo Christus Iesus.*

Resolut. quæst. Volumus hic nos, quasi Troianum bellum gemino ab ovo, huius argumenti materiam exordiri, indeque disputationem inchoare, *An videlicet homines in statu innocentia, vel etiam angelos viatores contingere potuerit sine Christi fide salutem habere.* Non alienum est hoc a præsentis disputatione, & ab instituto huius diei prorsus remotum. Non enim hoc sane loco in fidei quæstionem incurreremus, nisi Sacramentorum ratio postularet. Etenim cum sint Sacramenta omnia quædam fidei in Christum protestationes: non aliter commode potuimus Sacramentorum necessitatem definire, nisi prius statuissemus, quousque Christi fides sit, fueritque mortalibus

---

(1) Hebr. II. (2) I. Timoth. 2.

bus necessaria. Nam Sacramenta mortalium sunt medicinæ.

Itaque, ut ad huius quæstionis caput recurrat oratio, dupliciter potest intelligi fides Christi, & implicita, & explicita. Nempe Christiani explicitè in Christum Deum & hominem credimus. At qui credidit olim, Deum humanæ salutis procuratorem per aliqua media mortales in vitam æternam reparaturum, is Christi fidem habuit implicitam.

Prima igitur conclusio sit. *Non fuit fides Christi explicita semper ad salutem in omni lege hominibus necessaria.* 1. concl.

Hanc & Magister 3. dist. 25. & communis tenet Theologorum consensus. Eandem habet Divus Augustinus contra Faustum, lib. 19. cap. 14. Imo & apostolus (3) eandem, nisi ego cæcutio, videtur confirmare, cum ait: *Conclusit scriptura omnia sub peccato, ut promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus.* Prius autem quam veniret fides (scilicet evangelica) sub lege custodiebamur conclusi in eam fidem, quæ revelanda erat. Satis ergo erat fides implicita Iesu Christi ad illius veteris populi salutem, populi, inquam, in eam fidem conclusi, quæ tempore gratiæ erat manifestius explicanda. Multo igitur minus fides Christi explicita in lege naturæ ad salutem requirebatur.

Secunda conclusio. *Fides Christi Redemptoris saltem implicita fuit semper post lapsum hominibus necessaria.* 2. concl. Hanc citra fidei periculum negare non licet, quam utique auctores in primis gravissimi confirmant, quorum testimonia infirmare nulla ratione possumus. Hieronymus in 2. cap. epist. ad Galatas super ea verba: *Scientes, quod non iustificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Iesu Christi: Admoneret, inquit, debemus, sanctos, qui antiquitas fuerunt, ex fide Christi iustificatos. Siquidem Abraham vidit diem Christi, & letatus est. Et Moyses maiores divitias existimavit thesauro Ægyptiorum imperperium Christi: Aspicebat enim in remunerationem. Et Esaias vidit gloriam Christi, ut Ioannes evangelista commemorat & Iudas de omnibus generaliter. Item in cap. 4. eiusdem epistolæ: Heres iste parvulus, qui nihil differt a servo, sed sub tutoribus est, usque ad præfinitum tempus a Patre, totum humanam*  
ge-

(3) Galat. 3.

### 384 RELECTIO DE SACRAMENTIS.

genus, inquit, usque ad adventum Christi significat. Quomodo enim omnes in protoplasto Adam necdum nati moriuntur; ita & omnes, & hi, qui in adventu Christi nati sunt, in secundo Adam vivificantur. Iste intellectus ecclesia Catholica convenit, qua & veteris & novi testamenti unam asserit providentiam, nec distinguit in tempore, quos conditione sociavit. Omnes edificati sumus super fundamentum apostolorum & prophetarum, continente nos angulari lapide Iesu Christo; omnes unas panis sumus, & duo consensimus super terram. Et quomodo nos super Prophetas fundati sumus, ita & Patriarcha in apostolorum fundamine constituerunt. Hactenus Hieronymus.

Præclara certe, & tali vero digna interpretatio: Quem admodum enim parvulus hæres idem est & adultus, sic populus ille antiquus, & hic novus eadem fide, & religione contentus eadem quoque ecclesia est. Ac sicut in parvulo implicite continetur, quod postea explicatur in adulto: ita fides illa antiquorum parvula fuit, & vi sua continebat implicite, quod deinde crescens habuit explicite.

Divus item Augustinus hanc sententiam frequentissime repetit, lib. 1. contra duas epistolas Pelagianorum, cap. 21. & super Ioann. tract. 45. & epistol. 157. quæ scribitur ad Optatum, ut multa alia loca prætermittam, *Illi sit fides salva*, inquit, *quæ credimus, nullum hominem sive maioris, sive parvultæ quamlibet & recentis ætatis liberari a contagione mortis anti-qua, & obligatione peccati, quod primi natiuitate contraxit, nisi per unum mediatorem Dei & hominum Christum Iesum, cuius hominis eiusdemque Dei saluberrima fide etiam illi iusti salvi facti sunt, qui, priusquam veniret in carne, in carne crediderunt esse venturum. Eadem namque fides est & nostra & illorum: quoniam hoc crediderunt, illi futurum, quod nos credimus factum: & Sacramenta quidem poterunt esse pro temporum diversitate diversa, sed ad unitatem tamcu eiusdem fidei concordissime recurrentia. Proinde cum omnes iusti, sive ante incarnationem Christi, nec vixerint, nec vivant, nisi ex fide incarnationis, sive post incarnationem Christi, profecto quod scriptum est, non esse aliud nomen sub cælo, in quo nos oporteat salvos fieri, ex illo tempore valet ad salvandum genus humanam, ex quo in Adam vitiatum est. Hactenus Augustinus.*

Gregorius quoque Hom. 16. in Ezechielem in huius rei

figuram etiam asserit, turbas, quæ precedebant & sequebantur, utrasque pariter acclamasse filio David: *Hosanna in excelsis*. Possem equidem testimonia proferre in huius rei confirmationem sanctorum aliorum: sed ne multa, proferre satius est sacrarum testimonia literarum: in quibus illud primum est, quod habetur ad Corinthios (4): *Habentes eundem spiritum fidei, sicut scriptum est: Credidi, propter quod locutus sum: & nos credimus, propter quod & loquimur.*

Secunda vero habetur alibi (5): *Patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes mare transierunt, & omnes in Moyse baptizati sunt in nube, & in mari, & omnes eandem escam spiritualem manducaverunt, omnes eundem pocum biberunt. Bibeant autem de spiritali consequntur eos petra: Petra autem erat Christus.*

Tertium ad Roman. (6) *Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem; sic & per unius iustitiam in omnes homines in iustificationem.*

Postremum idemque gravissimum ad Roman. (7) quo cætera & explicantur, & confirmantur: *Omnes peccaverunt, & egent gloria Dei, iustificati gratis per gratiam ipsius per redemptionem, qua est in Christo Iesu, quem proposuit Deus propitiationem per fidem ad ostensionem iustitiæ suæ, propter remissionem præcedentium delictorum, ut sis ipse iustus & iustificans eum, qui est ex fide Iesu Christi. Unus est enim Deus, qui iustificat circumcisionem ex fide, & præputium per fidem.*

Et causa est in promptu. Non enim possent peccatores, abiecto peccato, Deo reconciliari, nisi crederent, se peccatorum veniam gratia divina posse consequi: nec scire homo iustitiam & salutem querere, nisi, unde petenda esset, agnosceret. Semper ergo necessarium fuit credere, Deum esse hominum iustificatorem ac salvatorem, quo videlicet providente salutis remedia erant humano generi comparanda. Hac vero fide implicite credebatur in Christo, per quem Deus erat iustificaturus, servaturusque universas nationes.

Tertia conclusio. *Fides Christi explicita, post evangelii divulgationem, est ad salutem cuiusque hominis necessaria: in cuius*

Iom. II.

Cec

con-

3. Concl.  
Argum.  
con. hanc  
concl.

(4) I. Cor. 4. (5) I. Cor. 10. (6) Rom. 5. (7) Rom. 6.

confirmationem testimonia sanctorum retro citata non tam idonea sunt, quam ego desidero. Indiscriminatim enimasserunt, neminem, nec pusillum, nec magnum, aut in nova, aut in antiqua lege sine Christi fide potuisse salvari. Cum igitur veteres sine fide explicita Christi salutem fuerint assecuti; ex sanctorum testimoniis, ut videtur, confirmare non possumus, fidem explicitam esse nunc temporis necessariam. Atque hoc argumentum nonnullos omnino commovet, ut tertiam conclusionem inficiarentur. Illud etiam, quod præceptum de fide Christi potest invincibiliter ignorari, ex Ioann. 15. *Si non venissem, & locutus eis non fuisset, peccatum non haberent.* Ergo & potest quis salvari sine explicita fide Christi faciendo aliter quæcunque lex naturæ præscribit. Et confirmatur, quia potest quis in nemoribus, vel insilvis educari, quo nullus prædicator accedat (8): nec tamen fidem Christi habere potest sine prædicante: Ergo per fidem implicitam Christi, sicut in lege naturæ, salvabitur. Confirmatur deinde, quia statim a Christi passione, illi, ad quos evangelium non pervenerat, servabantur, vel in lege Moysi, vel in lege naturæ: Ergo & nunc, si, ad quos nunc pervenit evangelii prædicatio, verbi gratia, Indi. Nam eodem penitus modo, sicut illis non fuerat Christus annunciatus, ita & apud hos non est divulgatum evangelium.

His tamen non obstantibus, tertia illa conclusio usque adeo certa est, ut eam negare non periculosum modo, verum etiam erroneum sit: hæreticum dicerem, nisi modestius esset, ecclesiæ definitioni huius vocabuli notam derelinquere. Id ego statim ostendant, si prius tamen discrimen inter fidem veteris & novi Testamenti, ut videlicet illa fuerit implicita, hæc autem explicita, certis documentis declaravero. Primum igitur D. Aug. lib. 19. contra Faust. cap. 14. *Antiqui iusti, ait, Sacramentis suis intelligebant venturam præannuntiarum revelationem fidei; ex qua, licet adhuc opera & abscondita, etiam ipsi vivebant.* Et infra: *Tunc ergo occulta eras fides. Nam eadem credebam, eademque sperabant, omnes iusti & sancti etiam temporum illorum. Nunc autem revelata est fides,*

(8) Rom. 10.



in quam conclusus erat populus, quando sub lege custodiebatur. Ecce Augustinus testimonio Paulo ad Galat. 5. id probat, quod: assumpsimus discrimen esse veteris & novæ fidei.

Præterea: Idem Apostol. (9) ut ante iam vidimus, comparans fidem illius veteris populi fidei populi novi, illam parvuli vocat: hanc grandioris iam viri. Et ne longum faciam, cap. 1. epist. ad Colos. circa finem cap. 3. epistolæ ad Ephesios circa medium, toto denique cap. 3. epistolæ posterioris ad Cor. hoc discrimen insinuat.

Illud itaque iam quod instat, agamus, probemusque, fidem Christi explicitam post evangelium promulgatum esse ad salutem necessariam. Id vero primum ostenditur ex Marco (10), *Predicate*, ait, *evangelium omni creature: Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit: qui vero non crediderit: condemnabitur.* Vbi Bernardus ad Phog. epist. 77. diligenter advertit, non esse dictum, *Qui non baptizatus fuerit, condemnabitur*: sed, *Qui non crediderit*, &c. Vt maior quædam necessitas fidei in evangelium, quam Baptismi præcriberetur. Fit enim, ut sine Baptismo quis salvetur, cum scilicet Baptismi suscipiendi non est facultas; at credendi evangelio tanta necessitas est, ut omni eventu, qui non crediderit, condemnetur.

Item (11): *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam: Qui credit in eum, non iudicatur: qui autem non credit, iam iudicatus est, quia non credit in nomine unigeniti filii Dei.* Et infra: *Qui credit in filium, habet vitam æternam, qui autem incredulus est filio, non videbit vitam.* Et tamen si non est medium ad salutem necessarium, cum possit invincibiliter ignorari, ut nunc ex doctrina communi suspensimus, potest quis esse incredulus filio, hoc est credere filium non esse Deum, & in hoc errore variari. Et alibi (12): *Omnis, qui audivit a Patre, & didicit, venit ad me. Si autem quis servaverit, audivit a Patre & didicit: ergo venit ad Christum.* Et alibi (13): *Ego sum ostium; per me si quis intro-*

Ccc 2

ris,

(9) Galat. 4. (10) Marc. ult. (11) Ioann. 3. (12) Ioann. 6.  
(13) Ioann. 10.

rit, salvabitur, &c. Et cap. 14. *Vado parare vobis locum, & quo ego vado scitis, & viam scitis; dicit ei Thomas: Domine nescimus qua vadis, & quomodo possimus viam scire? Dicit ei Iesus: Ego sum via & veritas & vita: nemo venit ad Patrem, nisi per me.* Et capit. 17. *Hac est vita aeterna (14), ut conoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum.* Vtrumque igitur medium est nunc ad salutem necessarium, & cognoscere Deum, & cognoscere quem misit Deus Iesum Christum, ut scite Divus Chrysostomus interpretatur.

Præterea, referente Luca, Angelus Cornelio viro iusto ac timentem Deum ait: *Mitte, & accerse Simonem; ille dicit tibi, quid te oporteat facere.* Quæ verba tractans Augustinus de prædest. sanctor. cap. 7. Non sine fide Cornelius orabat: Nam quomodo invocabat, in quem non crediderat? sed si posset sine Fide Christi esse salvus, non ad eum ædificandum mitteretur architectus apostolus Petrus, qui videlicet illi diceret, quæ oporteret audire, *Ille, inquit, dicit tibi, quid te oporteat facere (15).* Et custos carceris quoque apud eundem Lucam, *Quid, ait oportet me facere, ut salvus fiam?* At illi Paulus & Silas dixerunt: *Credo in Dominum Iesum.*

Præterea Apost. ad Romanos (16) eandem sententiam docet in hæc verba: *Si confitearis in ore tuo Dominum Iesum, & in corde tuo credideris, quod Deus illum suscitavit a mortuis, salvus eris. Corde enim creditur ad iustitiam: ore autem confessio fit ad salutem. Dicit enim Scriptura: Quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit. Quomodo ergo invocabunt eum, in quem non crediderunt? aut quomodo credent ei, quem non audierunt? quomodo autem audient sine predicante? Et infra: Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi. Sed dico, nunquid non audierunt? Et quidem in omnem terram exivit sonus eorum, &c.* Vides, quemadmodum invocationem Domini, quæ fuit semper in omni lege necessaria, ad invocationem nominis Christi deflexit apostolus. Qua videlicet nunc opus est, cum iam in omnem terram exivit Apostolica prædicatio.

Quod si cui testimonia hæc videntur infirma, huic nos illud obiiciemus, quod Philosophus (17) quidam magni nomi-

animis sapienter scripsit, ineptum esse, exactam ubique demonstrationem efflagitare. Nam si sacrarum literarum testimonia in hanc rem essent manifesta, qui negasset, eum nos non temeritatis & erroris, sed hæresis nota inureremus.

Habemus præterea symbolum Athanasii, cui nemo sane Catholicus refragabitur, *Necessarium est, ait, ad æternam salutem, ut incarnationem Domini nostri Iesu Christi fideliter credat. Et tandem: Hæc est fides Catholica, quam nisi quis fideliter crediderit, salvus esse non poterit.*

Præterea, cap. *Firmiter, de summa Trin. & fide cath.*

Vna est fidelium universalis ecclesia, extra quam nullus omnino salvatur. Sed ille, qui vivit aut in lege Moysi, aut in lege naturæ, ignorans fidem Christi, non est pars unius ecclesie Catholice: ergo non salvatur. In concilio quoque Florent. sub Eug. IV. idem explicatius habes: *Sacrosancta Romana ecclesia firmiter credit nullos extra Catholicam ecclesiam exeuntes, nec Paganos, nec Iudaos, nec hæreticos, nec schismaticos, æterna vita fieri posse participes, sed in ignem æternum ituros, nisi ante finem vitæ eidem fuerint aggregati: tantumque valere ecclesiastici corporis unitatem, ut nemo, quantuscumque elemosynas fecerit, possit salvari, nisi in Catholica ecclesia gremio & unitate permanserit.* Idem fere habes extrav. de hæret. cap. 3. & extrav. unam sanctam, de maioritate & obe. Hunc etiam pertinet Hieronymi testimonium, 24. q. 1. cap. *Quoniam verus,* & Cypriani, cap. *Loquitur,* & cap. *Alienus,* & Augustini, cap. *Firmissime,* 15, quæst. 1. & multa alia, quæ refert Cardinalis Turrecrem. lib. 1. ecclesiasticæ summæ, cap. 21. Errant igitur, qui nova iam divulgata lege, salutem æternam cuiquam sine explicita fide permittunt. Atque hic error quam longe serpat, non vident. Concedant enim pariter necesse est sine Baptismo in re vel in voto suscepto introitum in regnum cælorum, concilio Trident. sess. 8. repugnante in decr. de iustificatione impii cap. 4. Imo repugnante Evangelio, cum ait: *Nisi quis renatus fuerit, &c.* Quod si adultis ea media nunc satis sunt, quæ erant ante legem Christi, non equidem video, qua consequentia parvulis remedia legis naturæ & scriptæ fuerint revocata. Aut fateantur igitur, parvulos, cum non adest facultas Baptismi, salvari, quod eccle-

### 390 RELECTIO DE SACRAMENTIS.

ecclesia Christi non admittit : Aut , quod nos facimus , ne-  
gant adultis sine evangelii fide salutem.

Dicant etiam mihi , quibus contraria sententia placet ,  
an Iudæi , ad quos evangelium non pervenit , servantes  
legen Moysi salventur , an non : si non , habetur id quod  
volumus ; si etiam , quid ergo præscripta concilii Florenti-  
ni definitio præstat ? quid & illa rursus , in quam Catholici  
convenimus , legalia post evangelii divulgationem sine  
interitu servari non posse , & omnes eiusmodi observatores  
a Christo alienos , & æternæ vitæ minime fieri posse partici-  
pes , nisi aliquando ab his erroribus resipiscant ?

Resp. ad  
arg. con-  
tr. 3. con-  
clusio.

Ad primum vero argumentum , que tertia hæc conclu-  
sio vertebatur in dubium , nego equidem consequentiam.  
Aliud enim est , quod excusetur quis a peccato non creden-  
di in Christum , aliud , quod sine fide Christi vitæ æter-  
næ beneficium consequatur , ut Divus Thom. 2. 2. quæst.  
10. diserte nos docuit. Condemnabuntur igitur illi , non  
quia non crediderunt in Christum , cum non sit illis Evan-  
gelium annuntiatum , sed propter alia contra legem naturæ  
peccata. Quod si fagas , eiusmodi legem naturæ servare , res-  
pondet Divus Thom. 3. dist. 25. quæst. 2. art. 1. quæst.  
1. & art. 2. quæst. 2. quod si quis faciat , quod in se est ,  
huic Deus providebit , vel per hominem , vel per angelum ,  
si opus fuerit : & si quæras , unde hæc tam extraordinaria  
providentia , certe , præterquam quod ratione constat ( nec  
enim Deus deficit in necessariis ) sacris etiam literis tradi-  
tur. In Actis cap. 8. Angelus rapuit Philippum ad Eunu-  
chum virum religiosum. Et cap. 10. Angelus apparuit Cor-  
nelio viro timenti Deum , facienti eleemosynas , & oranti.  
Et Ioann. cap. 1. cum dixisset : *Erat lux vera , qua illumi-  
nat omnem hominem venientem in hunc mundum* , Dedit , inquit ,  
*eis potestatem filios Dei fieri , his , qui credunt in nomine eius*.  
Et cap. 12. cum dixisset Dominus : *Ego si exaltatus fuero a  
terra , omnia traham ad me ipsum* ; respondissetque ei turba :  
*Quomodo dicis , oportere exaltari filium hominis ? quis est iste  
filius hominis ?* dixit eis Iesus : *Ambulate , dum lucem habetis , ut  
non vos tenebra comprehendant , dum lucem habetis , credite in  
lucem , ut filii lucis sitis : Ego lux in mundum veni , ut omnis  
qui*

qui credit in me, in tenebris non maneat. Sicut in lege naturæ facienti quod in se erat, & servanti naturæ legem Deus præsto erat ad revelandum supernaturalia, sine quorum fide salvari non poterat: Sic in nova lege præstanti, quod in se est, lux evangelii refulgebit, quam qui non habet, manet in tenebris. An videlicet iustitiæ Sol Christus Dominus non illuxit? Et hinc patet responsio ad priorem confirmationem.

Nam ad posteriorem respondetur, aliam esse rationem post evangelii plenam divulgationem, atque antea erat. Siquidem dum adhuc evangelium vulgaretur, licitum erat Paulo (18) Timotheum circumcidere, purificareque sese iuxta legis antiquæ præscriptum cum cæteris Judæis: quæ tamen eadem nunc facere, superstitio procul dubio esset. Item adhuc evangelii prædicatione currente, pueri eorum, ad quos evangelium non pervenerat, salvabantur in legis naturæ Sacramentis, at nunc temporis nihil tale Catholici recipimus. Abstinere a sanguine, & suffocato, a principio evangelicæ prædicationis non licuit modo, verum etiam necessarium fuit, ut Act. 15. dicitur. At nunc qui ea servaret, Iudaicæ superstitionis merito condemnaretur. Sic ergo & sine fide explicita a principio statim Apostolicæ prædicationis homines servari poterant, nunc servari non possunt. Quod in Actis iam coepit explicari (19), dum peculiaris illa, & nova salutis procuratio per insolita mediâ describitur. Nec tamen ego is sum, qui definire valeam, quando primum incepit illud tempus, quo evangelii plenaria prædicatione absoluta est, cum videlicet remediis antiquis penitus abolitis, sola Evangelicæ legis remedia pro utrisque & adultis, & parvulis remanserunt. Sed id tamen statuere sine dubitatione possum, neminem, cui fides Christi explicita desit, posse nunc temporis salutem adipisci.

At cum dupliciter intelligatur salus; altera æterna, ad quam iusti post hæc vitam veniant; altera, qua in præsentem sanantur homines a peccato vel originali, vel actuali; facile nobis tribuent viri docti, sine fide Christi nulli unquam mortalium æternam concessam esse salutem. Illud tamen etiam

Vtrum  
sine fide  
Christ. ho  
mo pos  
sit a cul  
pa sanari.  
Argum.  
pro par  
te affir  
mat.

etiam num a doctis hominibus in dubium revocatur, *An sine Christi fide possit homo a culpa sanari.*

Afferunt autem ad novi dogmatis confirmationem Divi Thomæ primum auctoritatem 1. 2. quæst. 89. art. 6. ubi tenet, esse non posse veniale peccatum cum solo originali. Quod idem Innocentius superius sponit cap. *Maiores, extrav. de bapt. 5. Sed adhuc queritur: Et concilium Florentinum in decreto de unione Græcorum, inquit, Illorum animas, qui in actuali peccato mortali, vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere.*

Huius vero conclusionis causam D. Thomas eam reddit, quod cum usum rationis habere puer cœperit, primum, quod illi cogitandum occurrit, est deliberare de se ipso. Et si quidem se ordinaverit ad debitum finem, per gratiam consequetur remissionem originalis peccati. Si vero non ordinet se ipsum ad debitum finem, secundum quod in illa ætate est capax discretionis, peccabit mortaliter, non faciens quod in se est. Hæc tenus ille.

Ex his Divi Thomæ verbis ratiocinantes, Fieri potest, inquit, ut primo tempore usus rationis puer non modo Christum, sed ne Deum quidem agnoscat, utpote apud barbaros sine ulla religione notivave divini nominis educatus. Isergo, ut fatiat quod in se est, satis erit, si se convertat in honestum finem naturæ ratione comprehensum. Sed tunc ille mortaliter non peccat, cum bene faciat pro ætate & institutione, quam habet; nec est in solo originali, ut D. Thoma auctore nos habemus. Ergo consequetur gratiam sine cognitione Dei, ac proinde sine fide Christi.

Præterea, quoniam hæc urgere angustius volumus, ut D. Thom. 2. 2. quæst. 10. art. 1. docet, Infidelitas nullum peccatum est in iis, qui de rebus fidei nihil penitus audierunt. Cognoscat itaque puer prima deliberatione aliquid esse honestum, aliquid contra turpe; statuaturque, sese honestam vivendi rationem sectaturum, inhonestam repudiaturum, quemadmodum de Hercule in somnio fuerunt fabulæ. Iam quæro, num ille peccet? Minime vero gentium. Non enim peccatum infidelitatis, ut ex illa q. 10. patet; nec peccatum omissionis, cum convertat se in honestum finem, quantum ei per scientiam & ætatem licet. Est igitur in gratia, si D. Thom. auctorem sequimur.

Præterea, ut urgentius instantiusque premamus, *fides ex auditu est; auditus autem non est sine prædicante*, quod apostolus ad Roman. 10. tradit. Non ergo potest puer statim a principio usus rationis fidem habere sine prædicatore. At non est præsto, ut supponimus, prædicator, qui in ipso videlicet temporis articulo credenda proponat; ergo iuxta Divi Thomæ sententiam, puer ille circa fidei actum iustificabitur. Faciamus insuper, ut primus actus pueri utentis ratione sit, velle accipere baptismum; quia scilicet vidit pueros alios a sacerdote baptizari, cuius rei exemplum habes 10. hist. ecclesiast. libro, cap. 14. referturque a Gratian. 1. quæst. 1. cap. *Spiritus Sanctus*, de pueris baptizatis ab Athanasio puero. Tunc ergo cum baptizatus non ponat obicem, recipit gratiam; recipit autem sine fide. Nihil ergo vetat, ut homo citra fidem iustificetur.

Præterea, in quocunque temporis puncto atque momento potest homo iustificari; sed non in quocunque potest cognoscere Deum secundum ordinariam, & moralem potestatem, igitur sine Dei, & Christi fide possumus a peccato separari, ac remissionem peccatorum consequi.

Adde huc, quod, ut apostolus dicit (20), *Gentes quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt; qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis*. Sed factores legis iustificabuntur, ut eodem cap. apostolus ait. Ergo sola cognitione naturali potest homini obvenire iustificatio. Vnde & Divus Thomas in commentariis super hunc ipsum locum, *Naturaliter*, inquit, *id est, per legem naturalem ostendentem eis, qui sit agendum, & tamen non excluditur gratia ad movendum affectum*. Hactenus D. Thomas. Non ergo exigitur gratia ad movendum intellectum, ut homo iustificetur; sed per solam naturæ rationem potest iustificari.

Præterea, non est necessaria alia cognitio, ut quis accedere possit ad Deum, nisi qua intelligitur Deus esse, & esse remunerator inquiringentium se: At utraq; habetur ex lumine naturali. Ergo si quis habens demonstrationem divinæ erga

Tom. II.

Ddd

ho-

### 394 RELECTIO DE SACRAMENTIS.

hominem providentiæ, atque iustitiæ, ad Deum accesserit, sine fide gratiam poterit consequi. Non enim credit, sed scit Deum esse, &c.

1. Concl. In huius rei explicationem sit prima conclusio. *Erroneum est, atque adeo forsitan hæreticum, asserere, quemquam adulterum sine actu fidei per solam naturæ cognitionem justificari.* Nam & sacri doctores unanimi consensu reclamant, & arcanae literature pugnant.

Ambrosius in primis in illud 1. ad Timoth. 2. *Qui vult omnes homines salvos fieri: Conditio, inquit, later, si accedant ad eum; Fides est enim, qua dat salutem, quam nisi mens tota susceperit voluntate, non solum nil proderit, sed & oberit. Eidei enim gratia hæc habet potestatem, ut devotis sibi divinam infundat medelam, indevotis vero conferat morbum, per quem totus homo intereat.* Et primo libro offic. cap. 29. fidem, ait, esse iustitiæ fundamentum. Et ad Demetriadem, epist. decimi libri 84. quod scientia naturali, ingenio, & industria comparata non sufficiat ad animi salutem, ostendit ex illo *Vbi sapiens, ubi scriba? Nonne stultam fecit Deus sapientiam huius sæculi? Et ex illo ad Roman. 2. Quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, sed evanuerunt, &c.*

Quod autem scientia, quæ ad salutem animi satis est, a Dei gratia, & munere proveniat, ostendit idem ex Proverbiis: *Dominus dat sapientiam, & ex ore eius prudentia, & scientia: tunc intelliges iustitiam, & iudicium, æquitatem, & omnem semitam bonam.* Et ad Cor. (21) *Nemo potest dicere Dominus Iesus nisi Spiritu Sancto, divisiones vero gratiarum sunt, &c.* Et (22), *Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* Et Hierem. 9. *Non gloriatur sapiens, &c.* Et Psalm. 88. *Domine in lamina vultus tui ambulabunt, & in nomine tuo exultabunt tota die, quoniam gloria, &c.* Et ne quis possit refragari, legat librum primum de vocatione gentium, ubi hæc sententia manifestissimè comprobatur. *Fides, inquit cap. penult. quæ bonæ voluntatis, & iustæ actionis est genitrix, quo ipsa fonte*

nas-



*Mascatur, apostolus Paulus exponit, &c. Probat autem multis ex locis, fidem esse donum Dei, &c. Et cap. ultim. Abunde, ait, demonstratum est, fidem, quam iustificatur impius, nisi ex Dei munere non haberi, & ad hoc donori, ut principium possit esse meritorum. Subdit deinde illud ex Psalm. 42. Emitte lucem tuam, & veritatem tuam, ipsa me deduxerunt, &c. Et Proverb. 8. Meum est consilium, & equitas, mea est prudentia, mea est fortitudo. Hierem. 10. Scio, Domine, quia non est hominis via eius, nec viri est, ut dirigat gressus suos. Dirigere autem gressus, ad intellectum deliberantem pertinet, vel, ut verbis Ambrosii utar, ad rectam sapientiam. Et Hieremias 24. Dabo eis cor, ut sciant me. Et Ioanis 6. Erunt omnes docibiles Dei: Omnis, qui audivit a Patre, & didicit, venit ad me, &c. Libro denique 2. de votat. Gent. cap. 1. Dubitandum, inquit, non est, ad ipsam cognitionem veritatis, & perceptionem salutis neminem, nisi ope divina gratia pervenire. Et cap. 2. cum nemo nisi gratia Dei iustificatus fuerit per spiritum Fidei, quis ambigat, eos, qui de quibuscumque nationibus quibuslibet temporibus Deo placere potuerunt, spiritu gratia Dei fuisse discretos? &c.*

*Chrysost. homil. de fide, & lege naturæ, Ante opera primum, ait, fides inducenda est. Eum enim, qui operatur iustitiam sine fide, non possum probare virum fuisse. Nullus sine fide vitam habuit, &c. Et homil. 3. 2. in Ioann. Ubique fide nobis opus est honorum matre, salutis medicina, sine qua nullam magnarum rerum doctrinam percipere quisquam potest. Id ipsum in commentariis, quidem super epistolam ad Roman. sæpe tradit, sed homil. 2. vel maxime. Div. Augustinus dissertissime eandem sententiam profitetur libro 83. Quæstion. quæst. 67. libr. de corrept. & grat. cap. 2. & 7. de grat. & liber. arbit. cap. 7. de spiritu & lit. cap. 29. 30. 31. lib. 1. retractat. cap. 23. & super Ioann. tract. 25. & 26. in illud: Nisi manducaveritis, &c. Et super Psalm. 133. 1. & 67. ne epistolæ ad Obstatum verba etiam atque etiam resumamus.*

*Hieronymus ad Ephes. (23) in illud, Habitare Christum per fidem in cordibus vestris: Habitatio, inquit, ista per exor-*

Ddd 2

dium

## 396 RELECTIO DE SACRAMENTIS.

*dium Fidei fabricatur.* Et ad Galat. in illud (24), *Itaque lex pedagogus noster fuit in Christo*, &c. *Omnes enim filii Dei estis per fidem: Deo nos generat, ait, non lex abolita, sed mater fides.* Præter testimonia vero ea, quæ retulit Ambrosius ex sacris literis multa.

Primum, conclusio hæc demonstratur ex tota epistola ad Romanos, cuius præcipuum argumentum, atque adeo scopus & finis est ostendere, nec naturæ, nec scripturæ legem iustitiam Dei præstitisse, sed solam fidem. Vnde & primo capite adducitur illud Habacuc 2. *Iustus es fide vivit: quod si subtraxerit se, non placebit anima mea* (25). At si quis sine fide iustificaretur, iam iustus aliquis non ex fide viveret, sed ex naturali ratione, quod cum apostolo, prophetaque pugnat. Et cap. 3. Iustitia autem Dei per fidem Iesu Christi, in omnes, & super omnes qui credunt in eum, non enim est distinctio, ut retro citavimus. Et cap. 4. Quid enim dicit scriptura? Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam. Ac protinus subdens illud, *Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum*, docet apostolus, beatitudinem hanc, sive in circumcissione, sive in præputio per fidem hominibus obvenire. Inde vero capit. 5. colligit: *Iustificati ergo ex fide pacem habeamus ad Deum per Dominum nostrum Iesum Christum.* Et cap. 8. *Quos prædestinavit, hos vocavit; & quos vocavit, hos etiam iustificavit; quos iustificavit, hos & glorificavit.* Primus ergo prædestinationis effectus vocatio est, quæ videlicet iustificationem antecedit, ut glorificationem iustificatio. At vocatio ad aures refertur, quibus fides percipitur. Certe Paulus, ut in summa dicam, nullos in epistolis suis Dei filios nisi per fidem agnoscit, nullos, nisi ex fide semen Abrahæ, & secundum promissionem hæredes admittit: non aliam quam iustitiam fidem concedit, siquidem iustitia apud Deum sit, non apud homines. Nam per naturalem, aut scriptam legem apud homines iustificari homines possunt, apud Deum, si Paulo credimus; non possunt.

Deinde hæc conclusio probatur ex eodem apostolo ad He-

Hebr. 11. ubi fides definitur esse substantia, id est, fundamentum rerum sperandarum. Quod si naturalis cognitio ad iustificationem satis est, iam profecto aliud fundamentum ponitur præter id, quod positum est. Et præterea cum apostolus eo capite docere vellet, omnes iustos antiquos per fidem operatos esse iustitiam, *Fide*, inquit, *Enoch translatus est: Testimonium enim habuit placuisse Deo; sine fide autem impossibile est placere Deo. Accedentem enim ad Deum oportet credere.* Quo ex loco certissimum sumitur argumentum. Nam Enoch in sacra scriptura fidem habuisse non legitur, sed solum placuisse Deo. Monstravit igitur apostolus, Enoch etiam fidem habuisse, quia placuit Deo, cui sine fide placere est impossibile. Quod vero sermo de actu fidei sit, manifestum est, cum e vestigio causam apostolus reddat: *Accedentem enim ad Deum oportet credere.*

Quamobrem parum apta eorum expositio est, qui tradunt, apostolum hic loqui regulariter, & in communi, quasi plerumque ita contingat. Verba namque aliena nobis sæpe permittimus, ne in scholastica disputatione eloquentiæ laudem affectare videamur: puerile quippe est res theologicas ornate dicere velle. Eorum itaque interpretatio parum concinna est, si argumentum Pauli cohæret. Etenim si vel raro id accidere potest, ut quis sine fide placeat Deo (cum interim persolam naturæ scientiam possit) dicitur Enoch ex illis esse, qui naturali ingenio ducti iustificati sunt; ita vel apostoli ratiocinatio nullius penitus est momenti; vel assertio, quæ fingit aliquem sine fide placere Deo, est erronea.

Præterea Sapientiæ 9. *Da mihi, inquit, sodium tuarum assistentem sapientiæ meæ, & noli me reprobare a pueris tuis. Quoniam homo infirmus sum, & exigui temporis, & minor ad intellectum iudicii & legum. Nam & si quis eris consummatus inter filios hominum, si ab illo absueris sapientia tua, in nihilo computabitur.... Mitte illam de caelis sanctis tuis, ut mecum sit, & mecum laborer, ut sciam quid acceptum sit apud te omni tempore.... & deducet me in operibus meis sobrie.... & erunt accepta opera mea.... Quis enim hominum poterit scire consilium Dei? aut quis poterit cogitare, quid veli Deus? cogitationes enim mortalium timida, & incerta providentia nostra. Corpus enim quod corrumpitur, eggerat*

ani-

*animam, & deprimit sensum multa cogitantem terrena inhabitatio. Et difficile estimamus, qua in terra sunt, & qua in prospectu sunt, invenimus cum labore. Qua autem in caelis sunt quis investigabit... nisi tu dederis sapientiam, & miseris Spiritum Sanctum tuum de altissimis.... Nani per sapientiam sanati sunt, quicumque placuerunt tibi, Domine, a principio. Estne igitur, qui post adeo clarum, irrefragabileque veritatis testimonium audeat veritati refragari? Ecce sapiens, quod nos asseruimus, manifestissime docet, non sat esse mortalium cogitata, humanaque consilia ad animi salutem, nisi Spiritus Sancti dono caelestis homini scientia conferatur, scientia videlicet illa salutis plebi Dei data in remissionem peccatorum ipsius.*

*Quid? si illud adiciam, quod a concilio Milevitano, capit. quarto refertur in hæc verba: Quiunque dixerit, gratiam Dei, in qua iustificamur, ob hoc nos iurare ad non peccandum, quia per ipsam nobis datur, ut sciamus quid appetere, quid fugere debeamus; non autem per illam nobis prastari, ut quod faciendum cognoveribus, etiam diligere, & facere valeamus, anathema sit. Cum sit utrumque donum Dei, & scire quid facere debeamus, & diligere, ut faciamus. Non ergo iuxta conclusionis definitionem gratia Dei solum requiritur ad movendum in affectum, sed ad movendum etiam intellectum. Quod ex Psalm. 83. concilium probat, qui corripit gentes, non arguet, qui docet hominem scientiam? Dominus scit cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt. Beatus homo, quem tu erudieris, Domine, & de lege tua docueris eum; ut mitiges ei a diebus malis, donec fodiat peccatori fovea.*

*Concilium vero Carthaginense in epistola ad Innocentium refert in huius rei confirmationem illud ex 2. ad Corinth. 3. Fiduciam autem talim habemus per Christum ad Deum, non quod sufficientes sumus cogitare aliquid a nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.*

*Item, Cælestinus Papa in epist. ad omnes Galliarum episcopos, cap. 9. ubi de fide contra Pelagianos decernit: Ita Deus in cordibus hominum, atque in ipso libero, inquit, operatur arbitrio, ut sancta cogitatio, pium consilium, omnisque motus bona voluntatis ex Deo sit. Ad hanc enim professionem Papa Zosimus nos instituit, inquiens: Quod tempus intervenit, quo Dei*

*non*

*non egeamus auxilio? In omnibus igitur actibus, causis, cogitationibus, motibus adiutor, & protector orandus est. Superbum est enim ut quicquam sibi humana natura præsumat. Et cap. 12. Ecclesiastici ex divina sumptis auctoritate documentis, omnium bonorum affectuum, & omnium studiorum, quibus ab initio fidei ad Deum tenditur, Deum fatemur auctorem, & non dubitamus, ab ipsius gratia omnia hominis merita præveniri. Quo utrique auxilio non aufertur liberum arbitrium, sed liberatur, ut de tenebroso lucidum, de pravo rectum, de languido sanum, de imprudente sit providum.*

Igitur catholicum non est, ut cap. 13. eiusdem epistolæ concluditur, quod præfixis sententiis apparuerit esse contrarium: & ratio, nisi me coniectura decipit, palmaria est. Nam vel homo cum primum ad usum rationis pervenit, de naturali deliberat, vel de supernaturali; si de naturali, certe, ut est verum proportionatum intellectui, ita est quoque bonum voluntati proportionatum. Quare voluntas naturæ bonum appetere potest naturaliter, quemadmodum intellectus naturale verum potest naturaliter intellegere. Cum igitur puer ille recte de fine naturæ deliberans, eamque ducem sequens velit quod natura præscribit, non peccat, sed facit quod in se est. Quare iuxta adversariorum opinionem iustificabitur, primamque gratiam ex puris naturalibus consequetur; quod sine dubio erroneum est. Sin vero deliberatio de fine supernaturali sit, cognitio erit supernaturalis, quam nos fidem appellamus.

Præterea, si cognitio naturalis posset esset primum iustificationis exordium, iam ex nobis esset primum nostræ iustificationis initium, quod Pelagiani docuerunt. Quod si hæc antiqua præsidia non haberemus adversum nostram commentitiâ sententiâ, Synodus tamen Trident. abunde nobis & auxilium, & præsidium ferret, sess. 6. cap. 5. 6. 7. & 8. decret. de iustificatione impii. Nam cap. septimo expresse definit, sine fide nulli unquam iustificationem contigisse, & cap. octavo addit hæc verba: *Cum vero apostolus dicit, iustificari hominem per fidem, ea verba in eo sensu sunt intellegenda, quem perpetuus ecclesia Catholica consensus tenuit, expressitque; scilicet, ut per fidem iustificari dicamur, quia*

fi-

#### 400 RELECTIO DE SACRAMENTIS.

*fides est humana salutis initium, fundamentum, & radix omnis iustificationis, sine qua impossibile est placere Deo, & ad filiorum eius consortium pervenire. Hactenus Synodus Trident. Cum christiana igitur fide pugnat, qui salutem, vitamque animi cuiquam sine fide tribuit. Omnibus enim apostolus innotat (26) Gratia estis salvati per fidem, & hoc non ex vobis, Dei nunquam donum.*

2. Conc. Secunda conclusio. *Ad peccati sive originalis, sive mortalis remissionem fides in Christum explicita, vel implicita est necessaria. Non est autem hæc secunda tam certa, & explorata quam prima; sed eam negare, non video, qua ratione possit esse tutum; certe, ne quid amplius dicam, periculosum & temerarium est.*

Primum enim Augustinus ita definit, cum aliis locis plurimis, tum maxime epistol. illa 157. ad Optatum, cuius verba quoniam retro posuimus, non sunt hoc nobis loco resumenda. D. etiam Thomas ad Hebr. 11. lect. 2. *Post peccatum primi parentis nemo potuit, inquit, salvari a reatu culpa originalis, nisi per fidem mediatoris explicitam, vel implicitam.* D. quoque Chrysostomus homilia illa de fide, & lege naturæ idem tenet.

Id etiam testimoniis sacrarum literarum corroborari potest. Ad Colossens. 1. *Dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine, & eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filii dilectionis sue: in quo habemus redemptionem per sanguinem eius, remissionem peccatorum, qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creatura. Et infra: Quia in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliare omnia pacificans per sanguinem crucis eius, sive qua in terris, sive qua in caelis sunt.* At sanguis Christi non communicatur hominibus, nisi per fidem, vel sacramenta fidei. Ergo, &c.

Præterea, ad Galatas tertio, *Omnes filii Dei estis per fidem, qua est in Christo Iesu.* Et cap. 2. *Scientes, quod non iustificatur homo ex operibus legis, sed per fidem Iesu Christi, & nos in*

*Chri-*

Christo Iesu credimus, ut iustificemur ex fide Christi. Item ad Roman. 5. *Iustificati ergo ex fide pacem habeamus ad Deum per Dominum nostrum Iesum Christum, per quem habemus accessum per fidem in gratiam istam, in qua stamus.* Et cap. 4. *Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam..... Non est autem scriptum tantum propter ipsum.... sed & propter nos, quibus reputabitur credentibus in eum, qui suscitavit Iesum Christum Dominum nostrum a mortuis, qui traditus est, &c.* Et cap. 3. *manifestius, Iustitia Dei per fidem, inquit, Iesu Christi in omnes, & super omnes, qui credunt in eum, non enim est distinctio. Omnes enim peccatorum, & egei gloria Dei, iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, qua est in Christo Iesu, quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius propter remissionem precedentium delictorum.* Et ratio est in promptu: Sicut enim est mediator Dei & hominum Deus & homo Christus Iesus ad glorificationem; ita quoque mediator est ad iustificationem. Quare sicut per fidem in Christum glorificamur, ita per eandem oportet iustificari.

Verum ex inde magna quæstio nobis oritur, *An evangelio promulgato fides explicita Christi sit ad iustificationem hominis necessaria.* Nam si testimonia, quæ nunc retulimus, exponi de fide explicita, vel implicita possunt, a qua ratione cum afferuntur eadem, aliaque similia, ut probetur Christi fides post evangelii divulgationem ad æternam salutem necessaria, de fide explicita, vel implicita poterunt explicari. Quod fiet, ut argumenta, quæ retro fecimus ad eam conclusionem corroborandam, per hanc expositionem eludantur. Augetur vero quæstionis huius difficultas ex eo, quod habetur Ioannis 8. *Si non credideritis, quia ego sum, in peccato vestro moriemini.* Nemo igitur a peccato iustificabitur, nisi credat Christum esse Deum.

Item ut filii Israel a serpentum morsibus sanarentur, oportebat eos in statuam serpentinam aspicere. Ergo ut a peccatorum vulnere quis sanetur, opus est credere in Iesum Christum, ut habetur Ioann. 3.

Præterea 1. Ioann. 5. *Qui habet Filium Dei, habet vitam; qui non habet Filium Dei, vitam non habet. Habere autem Fi-*

Verum  
post ev-  
promulg.  
sit neces-  
sar. fides  
Chr. ex-  
plic. ad  
iust.  
Argum.  
pro part.  
affirmat.

lium est credere in Filium, ut in eo cap. dicitur: Nemo itaque sine fide Christi in evangelio vivificatur.

Præterea Bonifacius VIII. in extrav. *Vnam sanctam. Vnam*, inquit, *sanctam ecclesiam Catholicam, & Apostolicam firmiter credimus, extra quam nec salus est, nec remissio peccatorum; in qua unus est Dominus, una fides, unum baptisma.* Non ergo sine fide explicita Christi homini extra ecclesiam constituto, scilicet Iudæo, vel Pagano peccata remitti possunt.

Adde huc illud 1. Corinth. 3. *Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id, quod positum est, quod est Christus Iesus, id est, Christi fides, per quam Iesus habitat in cordibus*, ut gloss. ibidem exposuit. Et Gregor. 1. quæst. 1. cum Paulus dicat *fundamentum aliud*, &c. consequenter probatur, quod ubi Christus non est fundamentum, nullius boni operis potest esse superædificatio.

Adde rursus & Chrysostomum homil. de fide & lege naturæ, hisce verbis disserentem: *Sicut hominibus opus est primum, ut præcedat vita, deinde sequatur alimentum, ita necessarium, ut præcedat vitam nostram spes in Christum, qua pascenda bonis operibus.* Et vis plane videre, quod opera sine fide non vivificant? *Testimonium bonum habuit Cornelius de elemosyna & precibus, sed Christum ignorabat, Deum quidem credens; sed quia bona quidem erant opera, sed mortua, eo quod fidem scilicet Christi non habebant, mittitur Angelus, &c.*

In concilio tandem hoc Trident. sess. 6. decreti de iustificatione impii, cap. 4. videtur esse definitum in hæc verba: *Translatio a statu, in quo homo nascitur filius primi Adæ, in statu gratiæ, & adoptionis filiorum Dei, post evangelium promulgatum, sine lavacro regenerationis, aut eius voto fieri non potest.* Quod etiam cap. 6. declaratur apertius. In primo etiam decreto 5. sess. eiusdem concilii ita dicitur. *Ut fides nostra Catholica, sine qua impossibile est placere Deo, &c. Fides autem nostra Catholica, sine controversia Christi fides explicita est.* Et inferius, *Si quis originale peccatum vel per humana natura vires, vel per aliud remedium asserit, tolli, quam per meritum unius mediatoris Domini nostri Iesu Christi; aut negat ipsum Christi Iesu meritum per baptismi Sacramentum tan adultis, quam parvulis applicari, anathema sit.* Quia



*non est aliud nomen sub celo datum hominibus, in quo oportet nos salvos fieri. Vnde illa vox: Ecce agnus Dei, ecce qui tollis peccata mundi. Et illa: Quicumque baptizati estis, Christum induistis. Haecenus, Synodus.*

Quod si post adeo firma testimonia ratio quicquam confirmare valet, illa certe non est omnino pessima, quod sicut parvulis post evangelii promulgationem protestatio fidei in Christum implicita nil est ad salutem, & remissionem peccati originalis, sed fidei christianæ explicita professio requiritur, qualem baptismus continet; sic ad remissionem peccati in adultis, iam evangelio promulgato, non sat erit Christi fides implicita. Explicatiora sunt siquidem remedia salutis in evangelia lege, quam erant in lege aut naturæ, aut etiam scripturæ.

His tamen non obstantibus (salva semper ecclesiæ Romanæ auctoritate, cuius censuræ nostræ omnia scripta, & dicta volumus esse subiecta), sit tertia conclusio.

*Ad remissionem peccati vel originalis, vel actualis ante baptismum non requiritur etiam nunc fides evangelii explicita. Cornelius namque iustificatus erat, antequam Christi fidem acciperet. Id autem quoniam a quibusdam proterve negatur, ostenditur in primis D. Thomæ testimonio 2. 2. quæst. 10. art. 4. ad 3. Deinde sacra scriptura testatur, eum ante fidem Christi fuisse virum religiosum, ac timentem Deum: quæ verba de inimicis Dei nullo modo dicerentur. Petrus quoque ait (27), in veritate comperio quod non est personarum acceptor Deus, sed in omni gente qui timet Deum, & operatur iustitiam, acceptus est illi. Appellatus vero Cornelius ante fuerat vir iustus, ac timens Deum. Ergo acceptus erat, gratusque Deo, priusquam in Christum explicite crederet. Atque idem fere argumentum est de Eunuchis, & Lydia purpuraria, ut in eisdem Actis apostolorum legitur. Idem ergo nunc etiam evenire poterit, ut per solam fidem in Deum homo iustificetur, & quærat mox a Deo salutem, quæ est per Christum Iesum.*

Ecc 2

Præ-

#### 404 REFLECTIO DE SACRAMENTIS.

Præterea, fidem explicitam Christi Deus in nova lege non communicat sine prædicante, ut patet ex epist. ad Roman. (28) Sed in quodlibet momento homo, qui credit in Deum, potest iustificari; non autem in quolibet potest habere prædicatorem, qui de fide Christi instruat eum; ergo &c.

Præterea . D. Thomas id tenet 3. part. quæst. 69. art. 4. ad 2. in hæc verba, *Remissionem peccatorum aliquis consequitur ante baptismum, secundum quod habet baptismum in voto vel explicitè, vel implicitè. Ita ante baptismum Cornelius, & alii similes consequuntur gratiam, & virtutes per fidem Christi, & desiderium baptismi explicitè, vel implicitè, &c.* Ac re vera inter auctores nullum equidem legi, qui huic conclusioni refragaretur, nedum illam tanquam aut hæreticam, aut erroneam, aut scandalosam exploderet. Ego vero & opto redargui me, & ea quæ disputo, disserere malo, quam iudicare. Cumque nec studio certandi, nec ostentandi ingenii gratia, sed causa veri reperiendi disputationem hanc, aliasque suscipiam, si quis melius sentiat, huic ego libenter & aures & animum accomodavero.

Ad argumenta igitur, quæ in hanc tertiam conclusionem facta sunt, ordine suo respondemus.

Resp. arg.  
contra 3.  
concl. al-  
latis.

Ad primum non esse eandem rationem, etiam evangelio promulgato, de remissione peccatorum, & æternæ, finalique salute. Non enim omnia, quæ ad hanc consequendam exiguntur, ad illam alteram sunt necessaria. Eo quod illa, ut modo dicebamus, in temporis puncto cuique adest facienti quod in se est, hæc vero secundum divinæ procuratoris ordinem per media quædam temporaria, & successiva administratur. Quocirca nil mirum est, si eadem etiam testimonia ad iustificationem huius vitæ momentaneam relata, de fide in Christum implicitè intelligantur, relata vero ad futuræ æternæ vitæ salutem, intelligantur de fide explicita.

Ad secundum, posteaquam evangelium Christi fuerit annunciatum, ut illis erat, quibus Dominus loquebatur, fa-

te-

temur prorsus, sine evangelii fide nec peccata quidem posse remitti; secus tamen, priusquam homini Christus Dominus fuerit prædicatus.

Ad tertium, perfecta sanatio vulnerum, quæ a serpente accepimus, tunc erit, cum alligaverit Dominus vulnus populi sui, & percussuram plagæ eius sanaverit, ut Esai. 30. dicitur, hoc est in resurrectione. Fluius autem resurrectionis gloriam, & salutem nemo sine Christi fide explicita consequitur.

Quod autem de hac consummata, perfecta que salute Dominus loqueretur, patet ex Ioann. 3. *Sicut Moyses*, &c. ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Et eadem penitus intelligentia quartum argumentum facile diluitur. *Vitam æternam*, inquit, *dedit nobis Deus, & hæc vita in Filio eius est*, &c.

Ad quintum, prius dico, quod extra sanctam ecclesiam tradit Bonifacius non esse remissionem peccatorum, quia nullum est sacramentum aut naturalis, aut scripturæ legis, sive pro parvulis, sive pro adultis, in quo peccata remittantur. Constat siquidem, Hæreticos, Iudæos; atque Paganos, qui in forma ecclesiæ baptizant parvulos suos, peccatum originale remittere, salutemque conferre; sed quoniam hoc per sacramentum ecclesiæ fit, licet illi sint extra ecclesiam, non proinde extra ecclesiam salus est, remissione peccatorum.

Posterius respondetur, quod Bonifacius loquitur de remissionem peccatorum, quæ per ecclesiæ sacerdotes auctoritate clavium exhibitur. Nulla est enim extra ecclesiam iurisdictio, nulla facultas remittendi peccata, sed ubi primum quis ab ecclesia egreditur, hanc potestatem amittit. Div. Augustinus, in Enchirid. cap. 65. Vbi etiam aliam expositionem insinuat, ut videlicet extra ecclesiam non sit remissio peccatorum perfecta, per quam vitam æternam consequamur. Sed priores responsiones præstabiliores sunt.

Ad sextum, qui implicite credit in Christum, Christum habet fundamentum, quale habuerunt Cornelius, & Eunuchus. Habitabat enim Iesus per fidem in cordibus eorum, priusquam in Christum explicitè crederent.

## 406 RELECTIO DE SACRAMENTIS.

Septimum argumentum sententiam nostram non modo non refellit, verum etiam confirmat. Nam Chrysostomus de vita æterna expresse loquitur, ideoque mortua Cornelli opera vocat, quia sine fide Christi explicita æternam vitam præstare non poterant; alioqui viva opera erant, quæ, ut idem ait, placebant Deo.

Ad octavam, vel ex eo liquet, concilium de æterni vita, translationeque in filios Dei perfectæ sermonem facere, quod adducit in proprie sententiæ confirmationem illud ex evangelio, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto non potest intrare in regnum Dei.* Et hinc patet, quid ad alia eiusdem concilii testimonia respondendum sit.

Ad rationem ultimo loco adiectam respondeo, adultorum ac parvulorum non per omnia currere similitudinem. Quæ in eo quidem par est, quod sicut parvuli sine sacramento baptismi non salvantur; ita nec adulti sine baptismi saltem desiderio. At iustificatio, sive remissio peccatorum non æque obvenit parvulis atque adultis, ut sæpe iam diximus.

Resol. ad  
Arg. alla-  
ta cont.  
1. & 2.  
concl.

Nunc vero ea sunt argumenta refutanda, quæ contra primam, & secundam conclusionem conformavimus, scilicet ut ostenderemus, sine fide Christi, imo sine fide Dei posse hominem iustificari.

Et quidem cum D. Thomæ primum auctoritas nobis opponitur, id nos statuimus, D. Thomæ commentum hoc novum assignari nec debere, nec posse; sententiam quippe contrariam multis locis apertissime docuit, ut 1. 2. quæst. 113. art. 4. 2. 2. quæst. 10. art. 4. ad 3. ad Rom. 10. lect. 3. ad Hebr. lect. 4. &c. cap. 11. lect. 1. Quo postremo loco Caietanus nobiscum sentit, & in commentariis super epist. ad Rom. cap. 3. ne quis eum existimet in hac re aut a D. Thoma, aut a veritate potius catholica disidere.

Igitur illa opinio D. Thomæ, quam 1. 2. quæst. 89. tenet, probabilis quidem est. Adultum enim cum solo posse originali decedere, communi fidelium sensui videtur adversum. Limbum namque puerorum admittimus, non adultorum. Sed non est tamen usque adeo certa, ut non sit in proclivi eam infirmare, cum adversum certam, firmamque veritatem adducitur.

Deinde argumentum, quo D. Thomas utitur illa opinione suadenda, consentaneum, & congruum est, non demonstrativum: congruentia vero argumenta, si ad vivum resecantur, sæpe reperiuntur infirma, Quare nec D. Thomas accipit illud antecedens tanquam firmum, scilicet, facienti quod in se est pro naturæ viribus, Deum in eodem illico momento conferre gratiam gratum facientem, per quam homo iustificatur. Posset enim cum Durando verisimiliter dici, 4. dist. 4. quæst. 7. non oportere, statim ut puer rationis naturalis dictamen sequitur, per gratiam Dei iustificari; sed sat esse si proxime, vel etiam post aliquam moram temporis secundum divinæ providentiæ moderationem iustificetur; quo quidem intervallo egregie poterit de rebus supernaturalibus erudiri, easque tenere per fidem.

Ad hæc, quod paulo ante dicebamus, nec resumere modo piget. Sicut ad iustificationem voluntas boni naturalis non sufficit, ob id namque auxilio speciali indiget; ita quoque cognitio veri naturalis non est idonea. Nempe inter actus voluntatis, & intellectus proportio est. Quoniam enim voluntas non fertur in cognitum, ut eliciat actum naturalem, cognitio naturalis antecedit: ut autem actionem habeat supernaturalem, requiritur ante notitia supernaturalis, quod D. Thom. 3. contr. gent. cap. 152. dissertissime tradit. Non igitur Div. Thomas secum ipse pugnans gratiam solum requirit ad movendum affectum in iustificatione impii; verum etiam ad movendum intellectum. Quare in hunc sensum, facienti quod in se est, per naturæ dumtaxat vires, Deus non denegat gratiam, quia præsto adest gratuitum Dei auxilium moventis hominem, & ad cognoscendum, & ad amandum finem supernaturalem.

His ita constitutis, ad primum argumentum dupliciter responderi potest. Prius, quod Deus puero deliberanti etiam circa vitam honestam accurret non solum movendo affectum, verum illustrando quoque intellectum. Nam quemadmodum naturalis ratio in illo principio, Deus est remunerator inquirentium se, eam certitudinem non præstat, quæ videlicet opus est ad statuendum, continendumque in officio hominis animi: cogitationes enim mortalium timidæ, & incertæ pro-

videntiæ nostræ : ita profecto, ut puer recte, firmiterque deliberet de honesta vita ducenda, pueriles illæ naturæ cognitiones non sufficiunt. Sed confirmatur, & illustratur puer maiori quodam lumine ab eo, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Atque id est, quod Paulus ait: *Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis, &c.* ut D. August. de gratia, & libero arbitrio cap. 7. docet. Id demum est, quod propheta dixit: *Qui docet hominem scientiam, Dominus scit cogitationes hominum quoniam vanae sunt.*

Vnde etsi D. Thomas intelligatur de ordinatione ad debitum finem naturalem, ut de veritate quæst. 14. art. 11. ad 1. sentire videtur; intelligendus tamen est non de ordinatione, quæ per naturam fit, sed quæ fit per gratiam, ut loc. cit. 1. v. dicitur, *Si ordinaveris se, inquit, ad debitum finem per gratiam.* Etenim licet fidei lumen per se loquendo detur propter supernaturalia, quæ non videntur: tamen etiam est necessarium propter quædam naturali lumine cognoscibilia, ut ea scilicet firmitate teneantur, quæ ad rectam vitam confirmandam exigitur. Ob id quippe scriptum est: *Da mihi intellectum, ne discam mandata tua.* Iuxta hanc vero priorem solutionem puer ille iustificaretur sine fide explicita Dei, non tamen sine fide.

At nos multo sanius credimus, ad iustificationem fidem Dei explicitam esse necessariam. D. Thomas prima secundæ quæst. 113. art. 4. Augustinus in illud Psalm. *Dixi in corde suo: non est Deus,* Concilium Tridentinum sessio sexta, in decreto de iustificatione impij, cap. 6. adducit in hoc apostolum ad Hebræos (29), *Sine fide impossibile est placere Deo.* Cuius rei causam reddens, *Accedentem enim ad Deum, inquit, oportet credere, quoniam est, & quod remuneratur est inquirentium se.* In secunda item conclusione nos ostendimus, fidem saltem implicitam Christi ad iustificationem esse necessariam: quæ intelligi non potest, nisi credatur Deus per gratiam suam hominum iustificator.

Item, peccatum mortale sine contritione nulli remittitur: contritio autem, hoc est, dolor de peccatis propter Deum, sine

sine Dei cognitione nulla est: remissio igitur mortalis saltem peccati Dei notitiam prærequirit.

Commodior est itaque solutio posterior, qua dicimus, eiusmodi puero deliberanti fidei lumen protinus affulgere. Sicut autem lumine naturæ nil prius ostenditur, quam primum naturæ principium, scilicet, quodlibet est, vel non est, ita Fidei lumen statim omnino demonstrat Deum esse, quod primum Fidei principium est. Nec talis illuminatio miraculosa est, imo regularis est divinæ providentiæ, cum scilicet movet homines ad finem supernaturalem. D. Th. 3. dist. 25. q. 2. articulo primo ad primum, & secundum, Sapientia per rationes universas in animum se transferre, & amicos Dei ac Prophetas constituit. *Attingit enim a fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter.*

Quod si obiicias, cognitionem Dei non advenire hominibus, nisi magno, & longo tempore, atque discursu: respondeo, virum esse, si de notitia Dei naturali sermo sit. Nam ad supernaturalem tempus non exigitur: certe non illud adeo longum, quod argumentum fingit. Nam, ut ex Durandi sententia retro diximus, puer ille, qui natura duce se convertit ad debitum naturæ finem, consequetur quidem peccati remissionem, non in eodem e vestigio puncto, sed brevi tamen iuxta divinæ providentiæ dispositionem. Et si arguas: Ergo interea poterit peccare venialiter, quod Divus Thomas réicit, respondeo, nihil quidem repugnare, si ad normam Dialecticorum disseramus. At si, quod Theologos decet, divinæ & legis, & providentiæ in homines rationem habemus, sicut divinæ curæ est providere, ne interim excedat, ut non detur contra communem legem homo adultus in limbo, sic ad procurationem Dei spectat, ne peccatum veniale peccet ante mortale. Quemadmodum Adam non poterat ante peccare venialiter, quam peccasset mortaliter, idque Deo specialiter procurante, ne contra communem legem in statu innocentiae cum culpis admittamus & pœnas.

Ad tertium argumentum, quoniam secundum ex iis, que iam diximus, facile solvitur, respondeo, Paulum apostolum de Fide explicita in Christum debere sermonem. Hanc enim statuit Deus per homines ministros hominibus impartiri.

## 410 RELECTIO DE SACRAMENTIS.

Vnde & subdit apostolus: *Nunquid non audierunt? & quidem in omnem terram, &c.* Ex his itaque colligit; *Ergo fides ex auditu, audicus autem per verbum Christi.* Cæterum fides, quæ in lege naturæ erat cuicumque ætati ad iustitiam necessariam, homine extrinsecus docente non egebat, sed interius, vel invisibiliter, vel visibiliter per angelos administrabatur.

Ad quartum, Adrianus de Baptismo quæstione prima, articulo tertio tenet, eiusmodi puerum non recipere gratiam, nec satis esse non ponere obicem, sed requiri convenientem dispositionem fidei in adultis. Vnde Act. 8. cum Eunuchus Philippo dixisset: *Quid prohibet me baptizari?* Philippus ait: *Si credis ex toto corde, &c.* Iuxta quam sententiam datur accessus neuter ab Baptismi Sacramentum. Puer enim ille nec recipit gratiam, nec peccat mortaliter, dum sic baptizatur. Sed cum huiusmodi eventus non sint frequentes, imo adeo disputationis gratia fingantur, satius fuerit ad Dei providentiam referre, quæ non deficit in necessariis, quale est illuminare hominem, quem sit per Christi sacramentum iustificaturus.

Ad quintum, negatur propositio minor, si de cognitione Dei gratuita, & supernaturali sermo est, nam de naturali nos concedimus, ac libenter quidem.

Ad sextum, Div. August. de spiritu, & litera cap. 26. & 27. exponit: *Naturaliter quæ legis sunt faciunt, &c.* id est, per naturam, gratia tamen perfectam. Quia enim peccatum contra naturam est, gratia, quæ naturam perficit, secundum naturam esse dicitur. Loquebatur autem apostolus de gentibus conversis ad Christum, quæ sine lege scripta, qualem Iudæi habebant, legis præcepta servaban. Et hanc responsionem sequitur D. Thom. 1. 2. quæst. 109. art. 4. ad 1.

Respondere quoque possumus, præcepta legis naturaliter cognosci a gentibus, & singula naturaliter etiam fieri, licet omnia sine auxilio Dei speciali impleri non valeant. Ob quam causam D. Th. dixit, opus esse gratia ad movendum effectum: nec enim voluntas perficere naturalia omnia præcepta potest, quæ naturæ luminæ intellectus ante cognoverit. Quæ quidem expositio cum apud nostros maxime sit aperta, miror ego, viros doctos hoc testimonio moveri potuisse ad novam, communitiamque sententiam inferendam, D. etiam Thom. referente.

Ad



Ad postremum argumentum, Caietanus in commentariis, super illum locum apostoli, *Accedentem enim ad Deum*, &c respondet, quod doctrina Pauli in communi datur, ac proinde in communi dicitur oportere credere, quia est Deus, *Longe autem melius esset*, inquit, *si non crederet, sed sciret Deum esse*. Addit rursus, quod Deum esse remuneratorem inquirentium se, oportet fide teneri, quoniam nulla speculativa scientia hoc attingere potest. Quod utique si verum est, argumentum illud facile diluitur. Non enim utraque cognitio habetur ex lumine naturali, quod altera parte antecedentis assumitur.

At qui Divum Chrysostomum homilia quarta de providentia, vel fato legere voluerit, sane intelliget, Philosophos, qui supplicia peccatorum negant, præmiaque justorum post hanc vitam, in media luce penitus aberrare. Nam si iusti, qui Deum rite colunt, migrant affecti iniuriis ex hoc mundo, pessimi contra immerita felicitate potiti, omni certe ratione concluditur, Deum nec iustum esse, nec curam habere rerum humanarum. Quod si Deo providentiam tollis, atque iustitiam, *omne* vocabulum inane fit, qui circa cœli cardines ambulet, nec nostra consideret. Qui igitur negat alterum, utrumque tollat necesse est. Nam si non est remunerator inquirentium se, ne Deus quidem est. Vnde & barbaræ omnes gentes pœnas improborum, præmiaque iustorum admiserunt. Crediderim igitur, opus esse, ut fides concurrat ad assensionem utriusque principii, quo tam firmiter, ac constanter teneantur, quam necessunt est, ut hominis vita in honesto, & officio confirmetur. Nam alterius modi cognitionem ad Roman. 1. ostendit apostolus, idoneam minime fuisse ad bene, beatæque vivendum.

Adde huc, Deum dupliciter cognosci posse, ut finis naturæ est, causaque rerum naturalium, & ut finis est hominis supernaturalis, cuius etiam gratuito beneficio homo supernaturalem illum finem consequatur. Ad placendum vero Deo non sat est cognoscere ipsum esse principium, auctoremque naturæ, sed oportet in Deum ferri, quatenus finis est naturæ vires excedens. Sic autem Deum esse, & esse remuneratorem sola fide creditur. Quocirca simpliter, atque in universum cum

## 412 RELECTIO DE SACRAMENTIS.

apostolo fateamur, accedentem ad Deum finem utique supernaturali, oportere credere, quia est. Nam scire quod naturalis ratio docet, ad hunc supernaturalem accessum non sufficit. Quippe habemus accessum ad Deum per fidem. Qua de re D. Thomam 2. 2. quæst. 1. art. 8. ad 1. & quæst. 2. art. 4.

**Resp.** Hinc vero iam primum argumentum solvitur eorum, quæ  
**oblect. a** a principio statim huius controversiæ proponebamus. Prius  
**princ. q.** enim falsum est, non alterius rei fidem necessariam esse tunc  
**allatis.** temporis ad salutem. Oportebat namque etiam credere Deum esse iustificatorem, cuius videlicet gratia peccata hominibus remitterentur. Oportebat item credere, mortales a cœlesti regno peregrinos, & alienos effectos, patriam illam quam sperabant, non aliter adepturos, quam per aliquod divinæ providentiæ remedium præparatum.

Posterius quoque, ut nihil aliud credere opus esset, sed ibi tamen fides Christi implicite continebatur, ut sæpe iam diximus: per quem Deus iustificavit omnes mortales, quos prædestinavit in regnum. Hic est enim Samaritanus ille, qui homini vulnerato curationem attulit, iacentem erexit, superque suum ipse iumentum imposuit, ut iuxta Esaiæ vaticinium portaret in corpore suo nos, & iniquitates nostras. Hic est ille, qui in stabulum, id est, fidelium consortium nos induxit: qui etiam curam stabulario dedit, hoc est ministro fidei, sacramentorumque suorum. Hic denique sumptus suppeditavit, ut per omnia salutem nostram illi ferremus acceptam, qui salvator est omnium hominum, maxime fidelium.

In secundo vero argumento, quod additur, non est mihi consilium disserere, an præcepta decalogi naturali ratione contineantur. Sed tenendo quod D. Thom. sæpe tradit, & Caietanus diserte in comment. super. Matth. explicat, legis decem mandata moralia, & naturalia esse, respondetur prius, quod quemadmodum decem generibus, quæ prædicamenta Philosophi vocant, res omnes continentur non formaliter semper, sed **reductive**: punctum enim principium quantitatis, materia principium substantiæ ad prædicamenta ea reducuntur, quorum principium sunt: sic ac decalogi mandata referuntur universa, quæ a Deo præcipiuntur, ea vel maxime, quæ prim-

cipia sunt cæterorum. Ita præceptum de honoratione parentum observantiam principum, ac maiorum continet: ita in præcepto inœchiæ omnem fornicationem, abusumque naturæ per luxuriam interpretantis comprehendimus: ita denique fidei præceptum ad illud de cultu unius Dei referendum est. Nec enim sine recta fide Deus recte collitur. Qui ergo voluerit ad vitam ingredi, mandata servet, non ea solum, quæ explicitè in Decalogo præscribuntur, sed etiam quæ continentur implicite: quale est de fide in Deum hominis conditorem, iustificatorem, glorificatorem, &c.

Posterius dicere quoque possumus, servantem præcepta naturalia vitam habiturum. Qui enim fecerit ea, vivet in eis; ad non ex eis, sed ex fide, iuxta sententiam apostoli ad Galatas tertio. Nam quod iam retro docuimus, servantem naturæ præcepta Deus non denegat gratiam, per quam ea etiam servet, quæ naturæ lumen excedunt. Excessimus autem modum fortasse nos ac secunda relectionis parte disserenda; sed eo tamen venia digni, quod absque huius rei copiosa traditione reliquæ partes aut vix, aut certe nullo modo intelligerentur.

## PARS TERTIA.

### *De necessitate Sacramentorum ad salutem.*

**I**N quibus tertia, ac difficilis illa quidem quæstio erat, *An post primum Adæ peccatum Sacramenta fuerint in omni lege ad salutem necessaria.* Pars enim negativa suadetur in primis Divi Gregorii testimonio 4. lib. Moral. cap. 2. referturque a Gratiano de consecr. dist. 4. cap. Quod autem apud nos valet aqua Baptismi, hoc egit apud veteres vel pro parvulis sola fides, vel pro maioribus virtus sacrificii, vel pro his, qui de Abrahæ stirpe prodierunt, mysterium circumcisionis. Vbi Gregorius solam fidem in lege naturæ docet fuisse satis ad salutem parvulorum: At sola fides non est Sacramentum, cum non sit sensibile signum: non ergo fuerunt omni tempore necessaria Sacramenta.

Præterea, iuxta communem Doctorum sententiam, lege

#### 414 RELECTIO DE SACRAMENTIS.

naturæ durante, parvuli salvabantur in fide parentum: at fides parentum non erat Sacramentum.

Præterea de Sacramentis nihil ratione naturali statuere valemus, sed id solum, quod divina revelatione traditum est. At ante Abraham utrum aliquo visibili Sacramento iusti, vel eorum salvarentur infantes. Scriptura non exprimit. Sacramenta igitur tunc temporis fuisse, non nisi temere definiemus.

Postremo, Sacramentum nullum est, nisi quod a Deo fuerit institutum: sed in lege naturæ nullum signum instituit Deus ad remissionem peccati vel originalis, vel actualis: non ergo fuit ullum in lege naturæ Sacramentum.

Partem vero affirmativam D. Augustinus videtur astruere 19. lib. contra Faustum cap. 11. in hæc verba: *In nullum nomen religionis seu verum, seu falsum coadunari homines possunt, nisi aliquo signaculorum, seu Sacramentorum visibilium consortio colligantur.*

Resolut.  
quest.

In hac ergo controversia non existimo nobis adeo esse laborandum. Minimo enim negotio probare possumus, *Sacramenta fuisse post Adæ lapsum omni tempore ad salutem necessaria.* Corde siquidem creditur ad iustitiam: ore autem confessio fit ad salutem. Omnis enim quicumque invocaverit nomen Domini salvus erit (1). Vbi sub insigni oris professione quæcumque professio etiam operis intelligitur: cum non ore solum invocemus Dominum salvatorem, verum etiam opere. Quemadmodum igitur credere oportet Deum iustificatorem, atque ab eo interiori iustitiam salutarem quærere; ita exterius hanc fidem profiteri. Quod fit sane per Sacramenta, quæ ut ante scripsimus, cæremoniæ sunt sacræ, quibus Deo exterius nos subiicimus, ut in nobis salutem interiori operetur.

Præterea, cum animo corporeque constemus, non sat est Deum interiore fide colere, nisi corporeo etiam cultu interioriorem protestemur. Etenim debet utrumque tributum humana natura Deo pendere; unde utramque partem suæ constitutionis accipit; & cum ambærum partium spiritus, & carnis,

pec-

---

(1) ROMAN. 6.

peccatum commune sit, consentaneum erat, ut esset remedium quoque commune, totusque homo interius sese subiicere Salvatori.

Addit huc Chrysostomus, antequam Dionysius, eam esse hominis conditionem atque naturam, ut ad spiritualia capessenda non nisi corporis rebus posse aptari. Salutem igitur, quam Deus in humano spiritu secretius operatur, necesse fuit rerum sensibilium imaginibus designari; quo beneficium curationis ad suum homo modum non solum perciperet verum etiam intelligeret, gratiam debitam suo benefactoris relaturus.

Præterea, gentium omnium consensu firmatum est, non aliter quam oblati Deo sacrificiis divinam iram mitigari. Atque haud secus etiam Barbari facinora expiari arbitrabantur. At sacrificium in id paratum, ut Deus placeretur, vere erat Sacramentum. Sacramenta igitur semper fuere apud omnes necessaria.

Lex & religio tandem nulla est sine sacerdotii munere atque functione. Hæc enim tria ita sunt fuereque coniuncta, ut nequeant a se aliquando separari: cum ablato uno, reliqua simul auferri necessum sit, ut apost. ad Hebr. scribit. At sacerdos sine Sacramentis, quæ administrat, esse nullo modo potest. Omnis enim pontifex pro hominibus constituitur in his, quæ sunt ad Deum, ut sacrificia offerat pro peccatis: quem admodum ad eodem idem apostolus ait: Ergo sicut lex, religio, sacerdotium fuerunt omni tempore necessaria; ita quoque Sacramenta: quod erat nobis in tertia parte huius disputationis breviter absolvendum.

Sed prius tamen quam exordiamur quartam, ea debemus argumenta diluere, quæ in contrarium obiciebamus. Ad primum, quamvis Div. Thomas utrumlibet probabile existimaverit; nunquam ego tamen ea potui opinionem inducere, ut crederem, sola interiore fide parentum infantium filiorum peccata mundari. Videmus enim, Sacramenta minus esse adultis, quam parvulis necessaria, cum sine Sacramentis actu susceptis solo Sacramentorum voto adulti salventur. Quare si parvulis non essent in lege naturæ necessaria Sacramenta, non video equidem, cur essent adultis necessaria; cum tamen esse, retro nobis fuerit demonstratum. Id quod

Satisfit  
arg. allat  
latis pro  
part. neg.

Di-

## 416 RELECTIO DE SACRAMENTIS.

Divus etiam Gregorius apertissime in præscripto testimonio fatetur.

Item cum in lege veteri pro fœminis legis naturalis remedia duraverint, consequens fieret apud Iudæos puellas sine Sacramento salvari, pueros non salvari, nisi suscepto Sacramento: quod non video qua ratione cohæreat.

Præterea, cum peccatum originale carnis propagatione contractum esset, non erat consentaneum, nisi ut corpora quoque remedio ac medicina sanaretur.

Præterea, cum parvuli in lege gratiæ, & scripturæ sine Sacramentorum ope salutem minime consequantur, non est cur eos in lege naturæ sine Sacramentorum auxilio salvemus.

Igitur ad argumentum respondeo, Gregorium non ibi distinguere fidem internam ab exteriori professione fidei; nec enim id assertuit, adultis non remitti peccata sine exteriori Fide, parvulis vero remitti: sed distinguit potius fidem a sacrificio, asserens, sacrificium pro adultorum peccatis fuisse necessarium, ut videlicet actualis culpa peculiari Sacramento aboleretur; sed propter generale peccatum erat etiam generale remedium, nempe Fidei quæcumque professio. Quam fidem interim appellari, Augustinus auctor est, *Sacramentum*, inquit, *fides est. Ac pro his, cum respondetur parvulum credere, qui Fidei nondum habet affectum, respondetur fidem habere propter Fidei Sacramentum.* Hactenus Augustinus.

Eadem loquendi forma est de spon. cap. *Cum apud*, & cap. *Tue fraternitati*, & 27. quæst. 2. cap. Sufficit ad matrimoniam solus consensus, scilicet quibuslibet signis expressus. Distinguitur ergo ibi consensus non interior contra exteriorem, sed generaliter expressus contra expressum per verba.

Ad secundum eodem modo respondetur, fidem, hoc est, professionem & Sacramentum fidei salvare filios in lege naturæ. Nunc autem cum certa & definita sint Sacramenta, nec arbitratu parentum per fidem pueri iustificentur, non admittimus, in fide parentum Christianorum pueros servari, sed in Sacramento Baptismi a Deo peculiariter instituto. Quamvis alia etiam sit huius ratio discriminis, quemadmodum in fine huius disputationis explicabimus.

In tertio vero argumento gravis error eorum est, qui de Sacramentis nil discernit posse credunt, nisi quod sacris literis traditur. Multa enim verbo tenus & in nova, & in antiqua lege tradita sunt; quæ scripto non fuere mandata ut uberius alia forsitam Relectione, si vita suppetet, declarabitur.

Quod si in lege Mosaica & Evangelica, quæ literis exarata fuerunt, non est opus ad expressam omnia scripturam expendere, multo minus oportebit, cum de Sacramentis legis naturæ disputatur, ubi traditiones divinæ scriptæ non sunt, dogmata nostra in sacris haberi literis expressa: sed satis erit, si clarissimorum virorum testimoniis confirmentur, aut certe magnis alioqui persuadeantur argumentis.

Ac re vera nulla ratio patitur, ut divina providentia ullo unquam tempore defuerit hominibus in necessariis ad salutem. Non possent autem filii parvulis remedia parentes applicare, nisi per Dei revelationem cognovissent, & parvulos originali peccato teneri, & aliquod remedium ad eos servandos idoneum esse: quod licet scriptum non sit, non est tamen minus exploratum, quam si fuisset scriptum. Et cum scriptura exprimat, ante Abraham fuisse religionem ac sacerdotium, ex consequenti tradit fuisse Sacramenta, sine quibus nec religio, nec sacerdotium est. Cumque etiam in lege naturæ sacrificia pro peccatis fierent, ut Iob. 1. cap. dicitur, profecto negari non potest, quin in lege naturæ fuerint aliqua Sacramenta.

Ad postremum poterat facile dici, non pertinere ad generalem rationem Sacramenti, ut sit signum instutum a Deo. Nec qui id affirmant, idoneo probant argumento. At dico, etiam antiqua omnia sacramenta ex Dei institutione fuisse signacula, atque figuras futuræ redemptionis per Christum. Neque enim humano ingenio, sed divino placito tan apposite omnia in figura contingebant illis; neque homo usquam vitulos, & arietes cruenta manu in Dei cultum, & obsequium iugularet, nec Deum tentaret hircorum placare sanguine, nisi Deo revelante cognovisset, eiusmodi animantium irrationalium sacrificia mysterium aliquod sacrum portendere, cuius ratio remittendis peccatis haberetur. Fateor, tamen, non fuisse Sacramentum sub definitis rebus verbisque præscriptis in lege naturæ a Deo traditum. Sed rerum Sacramentalium definitio,

## 418 RELECTIO DE SACRAMENTIS.

ac determinatio certa in veteri lege incepta, in Evangelica perfecta, & consummata est: nisi forte quis sentiat, oblationem Melchisedech in pane, & vino ex divina & revelatione & institutione fuisse: qua peculiariter ex causa sacerdos Dei altissimi fuerit inter reliquos appellatus. Cui equidem opinationi non admodum refragarer, si Anacletus Papa non fuisset adversus in epistola de ordinatione episcoporum. *Vbi initium, inquit, sacerdotii Aaron fuit licet Melchisedech prior obtulerit sacrificium, & post hunc Abraham, Isaac, & Iacob: sed ii spontanea voluntate, non sacerdotali auctoritate ista fecerunt; ceterum Aaron primus iubente Domino victimas obtulit.* Hactenus Anacletus. Huic igitur finem tertiæ Relectionis parti dederimus, iam pergamus ad reliquas.

## PARS QUARTA.

### *De Sacramentis causantibus gratiam.*

4. quæst.  
princip.

Arg. pro  
part. neg.

**Q**uarto itaque loco vertebatur in quæstionem, *An Sacramenta vetera fuerint causa gratiæ atque salutis, an potius ea sola, quæ in nova lege sunt a Christo Salvatore instituta.* Et quidem suadet in primis nulla Sacramenta posse salutem spiritualem efficere. Quia res corporea non potest esse causa efficiens charitatis & gratiæ, cum sint qualitates supernaturales a solo Deo infusæ atque creatæ: & consequenter quia nullum corpus potest in animum hominis agere, nisi prius agat in eiusdem hominis corpus. Sed Sacramenta non oportet, quicquam in humanum corpus operentur, ut patet de absolute Sacramentali surdo collata; talis igitur absolutio nil producit in anima.

Confirmatur rursus, quoniam aliqua Sacramenta eorum etiam quæ vel maxime causa gratiæ dicerentur, non immediate contingunt hominem, quem iustificat; ergo vel immediate producunt gratiam, ubi non sunt, scilicet in anima, vel aliquam qualitatem efficiunt aere medio: quorum utrumque videtur esse absurdissimum.

Præterea, si aliqua Sacramenta gratiam efficere mini-

stri



stri quoque talium Sacramentorum gratiæ causa essent, ac vere peccata remitterent. Quod tamen Hieronymus in quartum caput Esaïæ refellit. Vbi adducens illud Matth. 3. *Ego baptizo vos aqua, &c. Ex quo, inquit, discimus, quod homo tantum aquam tribuat, Deus autem Spiritum Sanctum, quo & sordes abluuntur, & sanguinis peccata purgantur.* Et super Matth. cap. 16. *Comparans sacerdotes novæ legis sacerdotibus veteris, subiicit; Quomodo ibi leprosum sacerdos mundum vel immundum facit; sic & hic alligat, vel solvit episcopus, aut presbyter.* At sacerdos vetus non erat causa leprosum efficienter emundans; ergo neque sacerdos legis novæ vere peccata remittit.

Item, Augustinus 15. de Trinitate, cap. 26. *Nullus discipulorum Christi dat Spiritum Sanctum: orabant quippe, ut veniret in eos, quibus manus imponebant.* Et libr. 83. QQ. quæ 53. asserit, quædam Deum facere per se ipsum sine media causa, ut illuminare animas. At si minister esset causa gratiæ, per eum Dominus animas illuminaret. Et Ambrosius lib. 4. epistolarum, epist. 33. ad Demetriadem, &c. *Aliud est, inquit, quod visibiliter agitur, aliud quod invisibiliter celebratur. Nec idem est in Sacramento forma, quod virtus. Nam forma cum humani ministerii adhibetur obsequio, virtus autem per divini operis præstatur effectum. Ad cuius usque potentiam referendum est, quod dum homo exterior abluitur, mutatur interior.* Eandem sententiam apertioribus etiam verbis expressit Cyprianus in sermone de baptismo Christi, & manifestat. Trinit.

At vero contra suadetur, omnia cuiusque legis Sacramenta causas fuisse gratiæ ac salutis. Primum, quia omnia Sacramenta sunt signa sanctificationis practica & effectiva quemadmodum a principio constituimus, &c.

Arg. pro  
part. affirmat.

Præterea, Iob. 1. *Sanctificabat Iob. filios suos, offerens holocausta pro singulis.* Et Levit. 16. dicitur, sacerdotem aspersione sanguinis expiare prævaricationes, & peccata filiorum Israel.

Præterea Augustinus super Psalm. 77. adducens illud 1. Cor. 10. *Sed non in pluribus eorum beneplacitum est Deo, sic ait Et cum essent communia omnia Sacramenta, non communis erat omnibus gratia, qua Sacramentorum virtus est. Sic & nunc omni-*

## 420 RELECTIO DE SACRAMENTIS.

*bus baptizatis commune lavacrum regenerationis, sed ipsa gratia non communis est omnibus. Et glossa ordin. in illud eiusdem capituli decimi: Omnes in Moyse baptizati sunt in nube, & in mari, id est, per visa illa signa purgati, vel signum baptismi acceperunt, quod credentibus idem valuit. In nube baptizati sunt, quia per eam mundati ab ignorantia Dei, & preparati ad accipiendam leg. m.*

Præterea Gregorius 4. lib. moral. cap. 2. referturque de consecr. dist. 4. cap. *Quod apud nos valet aqua baptismi, &c. ut supra.*

Tum etiam sic argumentor: Parvulis sine merito cuiusquam operantis conferebatur gratia, Sacramento suscepto: ergo, &c. Consequentia videtur esse nota, quoniam id vocamus causam, qua applicata sequitur effectus. Cum ergo puer vel circumcisis in lege Moysi, vel suscipiens aliquod Sacramentum in lege naturæ eo ipso a peccatis iustificaretur, consequens fit, eiusmodi Sacramenta causas fuisse iustificationis & gratiæ. Ac de circumcisione quidem apertum est testimonium Bedæ super Lucæ secundum caput. Idem salutifere curationis auxilium circumcisio in lege contra originalis peccati vulnus agebat, quo baptismus agere revelatæ gratiæ tempore consuevit.

Augustinus etiam citari solet in hoc libro 2. de nuptiis & concupiscentia, cap. 11. & habetur de consecr. dist. 4. cap. Ex quo instituta est circumcisio in populo Dei, ad purgationem valebat magnis, & parvulis originalis veterisque peccati, sicut baptismus ex illo valere cœpit ad invocationem hominis, ex quo institutus est. Et 4. lib. contra Donatistas, cap. 24. Cur, inquit, *Abraham præceptum est, ut omnem deinceps infantem masculum octavo die circumcideret, qui non poterat corde credere, ut ei deputaretur ad iustitiam; nisi quia & ipsum per se Sacramentum multum valebat?*

Denique in cap. *Maiores, extrav. de Baptismo*, distinguens Innocentius a circumcisione baptismum, quod aperit ianuam regni cœlorum, quam circumcisio non aperiebat, asserit, quod sicut per baptismum, ita per circumcisionem originale peccatum remittebatur. At propositio per causam significat, qua mediante res efficitur; ut ibi: *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis.*

In contrarium est Augustin. super Psalm. 73. ubi ait, Sacramenta novæ legis dare salutem, veteris autem promittere Salvatorem. Sed & Samaritanus noster oleo vinoque, ac denariis duobus superadditis sanavit vulneratum, quem ne sacerdos Aaraon, nec Levita Moyses, sive per Sacramenta, sive per legem sanare potuerunt.

In hac explicanda quæstione, quæ inter omnes difficilissima est, omnes ego nervos intendere debeo, ut magna tum veritate, tum brevitate in absolutas quasdam conclusiones totius rei summa redigatur. Quapropter vos oro, ut disse-  
Resol.  
quæst.

Prima igitur conclusio est, quam a Catholicis non arbitror aut debere, aut posse negari. *Sacramenta nova legis sunt causa gratiæ, & vere salutem animæ conferunt.*  
I. Concl:

Cyprianus hanc habet in sermone de baptismo Christi, & manifestatione Trinitatis, inquit: *Veniebat Christus ad baptismum non egens lavacro, in quo peccatum non erat, sed ut Sacramento perennis daretur auctoritas, & tantæ virtutem operis nulla personarum acceptio commendaret.* Quoniam remissio peccatorum, sive per baptismum, sive per alia Sacramenta donetur, proprie Spiritus Sancti est, & ipsi soli huius efficientiæ privilegium manet. Verborum solemnitas, & sacri invocatio nominis visibile celebrant Sacramentum; rem vero ipsam Spiritus Sanctus format & efficit, & consecrationibus visibilibus invisibiliter manum totius divinitatis auctor apponit, & plenitudinem gratiæ unctionis divini pinguedo sanctificationibus officialibus infundit, & rem Sacramenti consumit, & perficit.

Item, in sermon. de unctione chrismatis, *Hodie, inquit, in ecclesia ad populum acquisitionis sanctificandum sacrum chrisma conficitur, in quo mixtum oleo balsamum regie, & sacerdotalis gloria exprimit amicitiam.* Et infra, *Non hæc medendis corporibus est unctio instituta, quia sanctificatis elementis iam non propria natura præbet effectum, sed virtus divina potenter operatur: sed adest veritas signo, & Spiritus Sacramento, ut & ipsis rerum efficientius gratia dignitas pateat, & interiori homini, quanta & his detur auctoritas deiformi conversatione, & celestibus innotescat.* Et infra, *Ex huius unctionis beneficio & sapientia nobis & intellectus divinius datur, consilium cali-*

tus illabitur, scientia, & pietas, & timor inspirationibus supernis infunditur. Hoc oleo uncti cum spiritualibus nequitiis colluctamur, nec fœtoribus spuris imbui possumus, qui balsami spiritualis odore fragramus.

Gregorius quoque Nazianzenus orat. 3. in sanctum lavacrum, *Generatio ex baptismate passionum est solutiua, omnes sordes abscondens, atque ad supernam vitam perducens.* Et infra dicit, quod in baptismate tanquam in unda peccata pariter sepeliantur. Et postea, *Ipsa baptismatis, inquit, gratia ac vis uniuscuiusque peccati continet purgationem: & omnimodam fœditatum, & iniquationum reiectionem, qua a prauitate ingressæ sunt.* Proinde cum duplices simus, ex anima dico, & corpore; ita duplex est purgatio, per aquam, in quam & spiritum: & hæc quidem visibiliter ac corporaliter suscipitur, at illa incorporaliter, & invisibiliter concomittatur.

Chrysostomus præterea homil. 25. in Ioann. Ex quo autem, inquit, Iordanis alveum ingressus est Christus, non amplius reptilia animarum viventium, sed animas rationales, & spirituales aqua producit. Et homil. 35. in eundem, *Futurum erat baptismata plenum maxima potestatis & gratiæ, purgaturum peccata, pro mortuo vivum effecturum.* Et infra, *In nobis non simplex aqua operatur, sed cum spiritus gratia accidit, omnia abluit peccata.* Et infra, *Per aquam piscina, ait, morbos corporis sanari, ut facilius homines crederent, per aquam anima morbos curari posse.* Et homil. de resurrectione circa finem, cum multis exemplis resurrectionem per vim supernaturalem futuram esse demonstrasset, subdit: *Verum nec tu gratia spiritus factus es expertus.* Etiamnum multa sunt donationis illius symbola, atque his, qua enumerata, multo maiora, & magis admiranda. Non enim æquale est corpus mortuum, & animam a peccatis occisam ab interitu liberare, quod per baptismum fit; & statim corpus etiam, & sanguis mysticus non fuit absque spiritus gratia, nec sacerdotes habuissemus, nec has ordinationes sine tali visitatione fieri possibile, &c.

Cyrillus libro secundo in Ioannem, cap. 24. *Spiritum, qui ex Deo procedit, per baptismum acquirimus, quo in pristinam pulchritudinem reformati, & ad novam vitam renati a Deo in filios adoptamur.* Et in fine, *Quemadmodum enim viribus ignis intensius aqua calefacta non aliter quam ignis urit; sic Spiritus Sancti ope-*

*operatione ad divinam aqua reformantur virtutem, qua baptizati corpus abstergunt.*

Ambrosius item in libro primo de sacramentis, cap. 5. de baptismo loquens (de consecr. distinct. 4. cap. *Per aquam*), *Non aqua omnis sanat, inquit, sed aqua sanat, qua habet gratiam Christi.* Et libro quarto, cap. 2. de eucharistiæ Sacramento, *Deposuisti peccatorum senectutem, sumsisisti gratie iuventutem: hoc prastiterunt tibi Sacramenta caelestia.* Et lib. 6. cap. primo, *In similitudinem quidem accipis Sacramentum, sed vera natura gratiam, virtutemque consequeris.* Et infra, *Tu quia accipis panem divina eius substantia, in illo participaris alimento.* Et in libro de iis, qui mysteriis inicianur, cap. 9. *His igitur Sacramentis pascit ecclesiam suam Christus, quibus anima firmatur substantia.*

Augustinus insuper 19. libr. contra Faustun, cap. 16. de visibili Sacramentorum administratione loquens, *Hac omnia, inquit, fiunt, & transeunt, sanant, & transeunt: virtus tamen, qua per ista operatur, ingiter manet, & donum spirituale, quod per ista insinuat, aeternum est.* Et tractatu 80. in Ioannem, *Vnde ista tanta virtus aqua, ut corpus tangat & cor abluat?* 1. quæst. 1. cap. *Detrahe.*

Ecce etiam ait, quod Dominus tactu suæ mundissimæ carnis vim regenerativam contulit aquis. Quam eandem sententiam Gratianus Chrysostomo tribuit, de consecrat. dist. 4. cap. *Nunquam.* Eandem habes apud Augustinum sermone primo de Epiphania.

Sed in concilio Florentino sub Eugenio Quarto, in decreto super unione Armenorum manifeste definitur in hæc verba, *Nova legis septem sunt Sacramenta, qua & continent gratiam, & eam digne suscipientibus conferunt.*

Hanc eandem sententiam concilium Tridentinum modo probavit sessione septima de Sacramentis in communi, canone sexto, cuius verba eiusmodi sunt, *Si quis dixerit, Sacramenta novæ legis non continere gratiam, quam significant, aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre, quasi signa tantum externa sint accepta per fidem gratia, vel iustitia, anathema sit.*

Ex sacris literis Augustinus adducit illud Ioannis secundo, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto,*  
 &c.

## 424 RELECTIO DE SACRAMENTIS.

&c. Non, ait, ex parentum fide, aut offerentium, vel ministrantium, sed ex aqua, & spiritu Sancto. Aqua igitur regenerat hominem in Christo ex uno Adam generatum. Hæc enim Augustinus.

Secundum testimonium citat. idem ex epistola ad Ephesios, cap. 5. Christus dilexit ecclesiam, & seipsum tradidit pro eâ, ut illam sanctificaret, mundans eam lavacro aqua in verbo. quidquid ergo, (infert Sanctissimus Augustinus) ab hominibus quovumcunque culparum contrahitur, propter ipsum lavacrum dimittitur.

Tertium refert idem Augustinus ex prima epistola Petri, cap. 3. Salvos vos facit baptisma, non carnis depositio sordium, sed conscientia bona interrogatio in Deum.

Quartum, quo triumphat Ambrosius, habetur in Ioann. cap. 6. Caro mea vere est cibus: & sanguis meus vere est potus. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me vivet, & ego in illo. Sicut misit me vivens Pater, & ego vivo propter Patrem; & qui manducat me, & ipse vivet propter me. Ego sum panis vivus. Vnde concilium Ephesinum colligit, quod in Sacramento accepimus non communem carnem, sed vere vivificatricem, qua & sanctificamur, participes sancti corporis, & pretiosi sanguinis effecti.

Quintum de eodem Eucharistiæ Sacramento habes in priori ad Corinthios capite decimo, *Vnus panis, unum corpus multi sumus. Omnes quidem de uno pane participamus.* Vbi particula *quidem*, loco Græcæ particulæ *γάρ*, causam sine dubio reddit sententiæ antecedentis. Quare participatio Sacramenti eucharistiæ ecclesiasticæ unitatis causa est, atque adeo charitatis, & gratiæ, sine qua unitas ecclesiæ non constat.

Sextum testimonium de Pœnitentiæ Sacramento Domini est apud Ioannem, cap. 20. *Quorum remisistis peccata, remittuntur eis.* Quod si remissio peccatorum per gratiam est, & Sacerdotes possunt peccata remittere, gratiam quoque subministrare queunt administratis Sacramentis.

Huc adde Martini Quinti definitionem in concilio Constant. sess. 45. pronunciantis, quod sacerdos vere absolvit. Ministri ergo Sacramentorum novæ legis vere conferunt gratiam, sine qua nullus peccator esse potest absolutus.

Et

Et confirmatur, quia vel qui baptizat, abluit proprie, ac vere maculas animæ, vel non abluit. Si abluit, conficitur, quod molimur; sin autem non abluit, forma igitur baptismi falsa est, quia significatur non ablutio corporis modo, verum etiam animæ, ut facile ex concilio Milevitano capite secundo colligitur. Inde enim Patres argumentantur, parvulos originale peccatum, atque animi maculam habere, quoniam alias forma Baptismi falsa efficeretur; cum parvuli baptizentur, scilicet in ablutionem spiritualem, ac proinde in remissionem peccatorum.

Sacramenta igitur novæ legis gratiam, & iustitiam animæ conferre, his profecto argumentis adeo irrefragabiliter ostenditur, ut negare id vel hæresis, vel proximum hæresi sit. Quamobrem in conclusionem hanc primam scholastici auctores universi conveniunt.

Sed enim quem in modum Sacramenta novæ legis sint causa gratiæ, id tantum abest, ut explicent, ut etiam opinionum varietate confundant. Res quippe nulla est, de qua tantopere non solum indocti, sed etiam docti dissentiant. Nam quidam asserunt, *Sacramenta esse causas dispositivas gratiæ ex eo, quod producunt characterem, vel ornatum nescio quem, videlicet qualitates interioris dispositivas.* Nam Sacramenta gratiam ipsam efficere, iudicant impossibile.

Varie opinion. circa hanc.

Alii affirmant, *Sacramenta esse quidem causas dispositionis, sed extrinsecus appositas, ut anulum, aut sigillum regum, quibus ostentis atque exhibitis, id nobis prastatur, quod ex regis beneficio quarimus.*

Opinantur alii, *Sacramenta non esse causas per se gratiæ, sed per accidens, sine quibus videlicet effectus non sequitur; quatenus nihil agant vere, atque producant.*

Sunt contra qui existimant, *Sacramenta, virtute supernaturali recepta, ipsam etiam qualitatem, qua gratia est, attingere, instrumentalique actione facere.*

Ac demum alii, qui proprius accedunt ad veram rei huius intelligentiam, *Sacramenta censent causas esse gratiæ veluti motivas divina voluntatis. Sunt enim ratio, propter quam Deus gratiam confert; ut quia puer baptizatus est, Deus illum salvat; quia est confirmatus, datur ei spirituale robur. Quorum opiniones*

## 426. RELECTIO DE SACRAMENTIS.

cum tam variæ sint, tamque inter se dissidentes, alterum profecto fieri potest, ut earum nulla, alterum certe non potest, ut plus una vera sit. Quod si pace vestra dicere mihi licet (licebit autem quod modestissimum est) aut fallor ego, aut nulla earum opinionum vera est. Qua quidem causa, ac controversia non aliis iudicibus opus est, quam auditoribus viris clarissimis, atque doctissimis, quorum gravissimo iudicio si nostra hæc sententia fuerit explosa, nihil erit posthac, quod nos illi adhærescamus; sin fuerit approbata, non vereor, quin sit doctis omnibus placitura.

2. concl. Sit igitur secunda in hac disputatione conclusio: *Sacramentum novæ legis non ideo gratia causa definitur, quod disponat intrinsecus ad gratiam, producens characterem, vel ornatum, gratiæ videlicet ipsius dispositionem.*

Primum, quia ornatus ille in Sacramentis non imprimen-  
tibus characterem fictitius est, & qua facilitate ponitur, eadem quoque reicitur. Deinde quia sicut gratia est qualitas spiri-  
tualis supernaturalis, ita character & ornatus ille supernatura-  
lis qualitas est, omnemque naturæ vim excedit.

Præterea, producens dispositiones ad animam rationalem non est causa animæ rationalis, *Nec enim ego spiritum & animam donavit vobis (1), sed mundi creator.* Et tamen constitutum nobis est certis Sanctorum, Conciliorum, & Scripturæ sacræ testimoniis, novæ legis Sacramenta gratiam continere, conferre, efficere, &c.

Præterea, character nec est ultima dispositio ad gratiam introductiva, nec conservativa: imo & sine gratia imprimi-  
tur, & sine gratia in subiecto perseverat; gratia tamen ipsa a characterem non pendet. Quare etiamsi Sacramenta charac-  
terem efficiant, non proinde sunt gratiæ causa dispositiva. Character etiam in intellectu est, gratia vero in essentia ani-  
mæ, iuxta Divi Thomæ opinionem, cuius hi se discipulos profitentur. Non est igitur character propria gratiæ dis-  
positio.

3. concl.

Tertia conclusio. *Sacramentum non propterea gratia causa di-*

---

(1) 2. Macch. 7.



*dicitur, quod extrinsecus disponit ad efficiendam gratiam.* Probat-  
tur primo, quoniam alias solum esset signum certum, non  
causa; quemadmodum anulus mihi datus, in signum regie  
voluntatis; quod alterius opinionis sectatores concedunt vel  
inviti. Explicant enim, Sacramentum novæ legis gratiæ cau-  
sam existere, id est, signum certum, & infalibile. At osten-  
dimus retro, Sacramenta novæ legis esse non solum signa, sed  
causas.

Deinde, quia nihil plus Sacramentis Christi hæc opinatio  
tribuit, quam Sacramentis maleficorum, qui adhibent ipsâ  
quædam verba, sed dæmon operatur adhibitis signis.

Præterea, quoniam iuxta hanc quidem expositionem di-  
cta Sanctorum, aut Conciliorum, aut sacræ etiam Scriptu-  
ræ non salvantur, ut facile videre licet, si loca ipsa confe-  
ramus.

Postremo, quoniam ad eundem sensum circumcisio gra-  
tiam conferret, eiusque esset causa, non aliter ac novæ le-  
gis Sacramenta. Quod quamprimum ostendemus esse falsis-  
simum.

Quarta conclusio. *Sacramentum novæ legis non est causa,* 4. concl.  
*sine qua non, sive per accidens.* Tum quia sine Sacramento gra-  
tia sepe producitur; tum quia non lavaret aqua maculam  
animæ; sicut nec albedo infrigidat, cum nix infrigidat, eo  
quod album illius effectus per accidens causa est. Næque id  
concilia definirent, Sacramenta esse causas per accidens, quod  
præter artem, & definitionem est. Tum quia vere non essent  
nisi signa: omnia enim signa certa effectus cuius que talia sunt,  
sine quibus effectus non sequitur; tum quia Sacramentum cir-  
cumcisionis ad eandem normam gratiæ causa fuisset. Tum  
denique quoniam testimonia in confirmationem primæ con-  
clusionis citata sane interpretari non queunt, si Sacramenta  
solum esse causas per accidens asseramus.

Quinta conclusio. *Sacramentum novæ legis non attingit vè* 5. concl.  
*sua instrumentali, & supernaturali qualitate, qua est gratia,*  
*vel fides, aut charitatem, aut alio habitu infusor, ac terra*  
*attingit figuram rei artificiosa actione re. li.* Volo dicere, quod  
non est imaginandus hic modus agendi, qui intervenit in cau-  
sis naturalibus, quo pacto scilicet aqua infrigidat per frigus in-

existens, lavat per humorem innatum, acuta etiã dolabra per aciem dividit lignum.

Probatur primum, quia ridiculum est, concilium velle definire, aut etiã sanctos id asserere, quod Sacramenta attingant sua actione illam qualitatem. Si enim circumcisio, & reliqua Sacramenta vetera non efficiebant quidem gratiam, sed Deus dabat eandem in illis, illis tamen non concurrentibus, non admodum refert, quod hæc nova realis actio sit addita novis Sacramentis. Et cum ad salutem nostram nihil omnino spectet, quod Sacramenta contactu reali suæ virtutis qualitates supernaturales efficiant, certe supervacaneum est, istam vim agendi in Sacramentis admittere: eoque magis quod gratiam esse qualitatem, non est in ecclesia certum. Quare nec fides, nec concilium docet, eo modo Sacramenta gratiam efficere.

Deinde quia eodem modo creatura posset concurrere ad productionem animæ rationalis, scilicet agendo propria actione in corpus, & vi supernaturali in animam: quod tamen non conceditur ab illis, qui eam opinionem defendunt.

Tertio, quia vel producit nova qualitas in Sacramento ad attingendum hunc effectum, vel non: primum est ridiculum, secundum est absurdum, sine nova virtute addita Sacramenta id efficere, quod ante non poterant.

Ea etiã argumenta, quæ inter dubitandum a principio fecimus, probant huius quintæ conclusionis veritatem.

6. concl. Sexta conclusio. *Sacramenta nova legis non solum sunt causa vel ratio motiva salutis, & gratiæ: quo pacto dicimus, matrem diligere filium, quia genuit eum, me tibi benefacere, quia studiosus, vel pulcher es. Quem etiã in modum causalis illa est (2): Quia vidisti me, Thoma, credidisti. Et illa rursus (3): Quia fecisti hanc rem, faciam te crescere.*

In primis enim pari ratione concederetur, hominem esse causam animæ rationalis. Hæc enim nostra caro est animata anima rationali, quia habebat tales dispositiones ab homine generante productas.

Item,

Item, fides in lege antiqua erat in hunc modum causa iustificationis. Quia enim credidit Abraham Deo, reputatum est ei ad iustitiam; & quia ex fide parentum parvulus offerebatur Deo, iustificabatur. Iustus namque ex fide vivit etiam nunc, & tamen fides non est causa gratiæ, & Sacramenta novæ legis esse gratiæ causa definiuntur.

Præterea, causa motiva non est instrumentum, quo mediante effectus producitur. Baptismus autem est instrumentum, quo Deus lavat animam. Et confirmatur: nam aqua lavans corpus non est causa motiva, sed vere efficiens instrumentalis; at aqua baptismi cor abluit.

Item, Sacramentum eucharistiæ cibus est animæ; ergo non solum est causa motiva. Esset enim ridiculum, si definiremus, cibum corporalem esse causam augmenti, quod hæc causalis vera sit; ego augeor, quia comedi: quin potius, cum particula causalis importet causam, iam de rebus ipsis oportet inquirere, cuius generis sit illa causa, quam important, finalis, an efficiens, an formalis, an materialis; nam ad hæc quatuor causarum genera reducuntur omnes. Cum igitur Sacramenta non sint gratiæ causa finalis, aut materialis, aut formalis, colligimus esse causas efficientes. Quo vero modo efficiant, id est, quod querimus, id profecto hæc opinio non explicat. Quam equidem eodem consilio ut cæteras refelli, non ut veritatem tollerem (quid enim Theologorum minus conveniens est?) sed ut alios nihil de hac re explicare convincerem.

Cum igitur certo credendum sit, Sacramenta nova causas esse gratiæ atque salutis, aliquem sanum sensum, & modum oportet assignare, quo causæ sint, dignum scilicet, definitione concilii, dignum Sanctorum omnium auctoritate, dignum tandem fide nostra, & sacrarum testimoniis literarum.

Pro huius itaque rei explicatione, quæ adeo magnum & vobis, & mihi negotium fecit, intelligatis primum, causas esse in duplici differentia, alteras naturales, alteras morales. Morales autem appellamus causas liberas, quæ scilicet libere movent: ut qui consulit, qui imperat, eius rei causa est, quæ per eius aut imperium, aut consilium efficitur. Iuxta quam distinctionem cum actio peccati dupli-

Quomodo  
Sacramen-  
ta sint cau-  
sa grat.

## 430 RELECTIO DE SACRAMENTIS.

citer consideretur, & in ordine effectuum naturalium, & in ordine effectuum moralium, Deus quidem causa naturalis dicitur actionis, quæ peccatum est; concurrat siquidem ad brachii motionem, qua hominem interficit, quemadmodum & cælum, motorque angelus simul etiam concurrat. At concursus hic naturalis est, non tamen illius actionis Deus est causa moralis; neque enim aut consultat, aut præcipit, quin potius prohibet.

Inter has autem causas discrimen est. Nam naturales suos effectus attingunt per vim a natura inditam, ut ignis calefacit per calorem. Morales vero non attingunt actione physica effectus suos, nec influunt, aut producant qualitates aliquas. Neque enim oportet, ut qui consultat homicidium, actione aliqua physica & naturali quicquam efficiat, quemadmodum natura efficere consuevit.

Eadem quoque forma distinguendum est de movente, & virtute motiis. Nam movere dupliciter contingit, & moraliter, & naturaliter: ut qui homicidium consultat (ne ab exemplo proposito discedamus) moraliter quidem & libere movet; acramens, qui apprehensam manum cuiusquam per vim applicat ad vulnera, movet naturaliter.

Virtus item duplex, altera qua movens moraliter movet, altera qua naturale agens movet naturaliter; ut in priori exemplo, virtus motiva est auctoritas consulentis, vel ratio, qua persuasit; at in posteriori virtus sunt ipsæ vires corporales.

Ad eundem quoque modum de effectibus supernaturalibus philosophandum est, de gratia, de charitate, de fide, de vita æterna, qui a duplici causa proficisci possunt, vel ab ea que habet modum agendi similem naturali, influendo, attingendoque vi & efficacia activæ potentie effectus eiusmodi: quo sensu sine controversia Deus est causa virtutum infusarum; vel a causa morali, qualis oratio fuit, & meritum Christi, cum oravit pro Petro, ne d. fic. ret. fid. s. eius.

Vtrumque autem cause genus distribuitur, in principalem, & instrumentalem; ut qui daret pecuniam captivis redimendis, causa esset principalis redemptionis, moralis tamen; pecunie vero, vel etiam minister destinatus ad redi-

dimendum, causæ sunt redemptionis instrumentales.

Deinde magnopere considerandum, omnia quæ de Sacramentis novæ legis asseruntur, eadem & de sanguine Christi in sacris literis affirmari. 1. Ioann. 1. *Sanguis Iesu Christi emundat nos ab omni peccato.* Apocal. 1. *Lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo.* Et cap. 12. *Vicerunt eum propter sanguinem Agni.* Et ad Roman. 3. *Quem proposuit Deus propitiationem in sanguine ipsius.* Eodem ergo sensu Sacramenta dici poterunt lavare, mundare, causæ esse nostræ victoriæ ac remissionis peccatorum, quo sanguis Christi lavat, mundat, peccataque remittit.

Postremo & illud advertendum, Christum quidem Iesum sua nobis & merita, & iustitiam contulisse. Nam factus est nobis iustitia, sanctificatio, & redemptio, ut apostolus in priore ad Corinth. cap. 1. docuit. Sed iustitiam suam tamen, & sanguinis effusi pretium potissimum nobis communicat per Sacramenta. Virtus enim & valor sanguinis Christi Sacramentis susceptis applicatur; quæ si Christus voluisset, sine medio aliquo Sacramento, & communicari possent, & applicari.

His documentis acceptis, quæ negare non nisi impudentissimus poterit, fides sana atque catholica docet duo. Alterum est, Deum per Christi humanitatem redemisse genus humanum, remisisse peccata, contulisse gratiam, & gloriam. Item humanitatem Christi instrumentum fuisse, quo Deus operatus est mirabilia hæc in medio terræ. *Gratia & veritas (4) per Iesum Christum facta est. Et, vidimus eum plenum gratia.* Et, *de plenitudine eius nos omnes accepimus.* Et, *ecce agnus Dei, qui tollis peccata mundi.* Et *hic est, qui baptizat in Spiritu Sancto.* Quo testimonio ad id probandum utitur Augustinus lib. contra Petilianum 3. cap. 45. Et ad Ephes. 5. dicitur, Christum: sanctificasse ecclesiam suam, atque mundasse. Alterum: (quod fides quoque sana docet) Sacramenta novæ legis instrumenta esse Christi ad hanc redemptionem, gratiam, gloriamque complendam. Quemadmodum ergo esset erroneum asserere, sanguinem Christi, vel passionem, vel hu-

ma-

(4) Ioann. 1.

## 432 RELECTIO DE SACRAMENTIS.

manitatem non esse veras causas nostræ iustificationis, & gratiæ (inde enim sequeretur, Christum hominem non fuisse causam, per quam hominum redemptio facta est, quod est hæreticum) ita quoque error est manifestus negare, Sacramenta esse causas efficientes instrumentales nostræ salutis, gratiæ, & iustitiæ, loquendo de causa morali. Id enim perinde est, ac si quis neget, suscipientes Sacramenta Christi consequi remissionem peccatorum ex virtute sanguinis eiusdem Christi, cuius pretium eis Sacramentis suscipiendis communicatur; quod sine grandi errore negari non queat. Quemadmodum, si ego essem apud Turcas captivus, & eum qui daret pecunias redemptionis; videlicet pretium, & manum qua pecunias porrigeret, & pecunias etiam ipsas, quæ sunt instrumenta ad redimendum, redemptionis causas esse, non naturales quidem, sed morales, nemo sanæ mentis ibit inficias.

Atque hæc omnia ne videamur e sensu nostro colligere, facile vos invenietis apud Divum Thomam, 3. part. quæst. 48. art. 6. & quæst. 49. art. 2. & quæst. 56. art. 1. & quæst. 62. art. 5.

Quibus expositis, facile (ut opinor) intelligi potest, quam longe a veritate absint, vel qui dicunt, *Sacramenta qualitates infusas efficere*: nam per nominis ambiguitatem elapsi, a morali causa ad naturalem, vel quasi naturalem declinavere: vel qui dicunt, *Sacramenta esse causas per accidens, vel dispositivas, vel signa etiam certa*, qui si ad eandem normam, sanguinem Christi esse causam nostræ iustificationis exponerent, risu digni essent Catoniano.

Nos vero Theologica gravitate, & dignitate servata, cum concilio Florentino pronunciamus, *Nostra Sacramenta, & continere gratiam, & eam suscipientibus digne conferre*. Continere (inquam) non ut causa naturalis continet suum effectum, sed ut causa morali. Crumena siquidem continere dicitur captivi redemptionem, quoniam pecuniam continet, & Sacramenta, quæ continent sanguinem Christi, continere dicuntur gratiam, & remissionem peccatorum: & sicut crumena pecuniam administrans redemptionem confert; ita Sacramentum confert gratiam, pretium sanguinis aplicans; & hæc est illa Sacramentorum virtus, quæ adeo multorum ingenia  
tor-

torsit. Virtus enim redemptionis in martupio est, in quo pretium redemptionis servatur; & virtus sacramentorum sanguis Christi est, qui in Sacramentis adhibetur.

Hinc denique postrema huius disputationis conclusio manifestissime conficitur, *Sacramenta vetera nullas prorsus causas fuisse gratiæ, atque salutis. Quæ quidem primum definita est in Concilio Florentino per hæc verba: Nova legis septem sunt Sacramenta, quæ multum differunt a Sacramentis antiquæ legis. Illa enim non causabant gratiam, sed eam solum per passionem Christi dandam esse figurabant.* 7. Concl.

Tum etiam apostolus ad Galat. 4. Sacramenta veteris legis infirma vocat, & egena elementa. Si autem contineant pretium sanguinis Christi, gratiamque præstarent hominibus egena utique, & infirma minime dicerentur.

Nec potest ab hoc Pauli testimonio excipi circumcisio, de qua præcipua erat cum Galatibus controversia, cuiusque causa tota illius epistol. disputatio textitur.

Præterea, in epist. ad Roman. apostolus aperte docet, circumcisionem acceptam, non in iustitiæ causam, sed in signum. *Et accepit Abraham,* inquit apostolus, *signaculum circumcisionis, signum iustitiæ fidei.* Vnde & Ambros. epist. ad Constantium 77. quæ est libri noni postrema, id ipsum ex eo probat, quod Gen. 17. legitur: *Circumcideris in volis omne masculinum, ut sit in signum fœderis inter me, & vos: in signum,* ait, *non in causam.*

Præterea, sacerdotium totum veteris legis, aut ministri eiusdem legis non fuerunt causa remissionis peccatorum, ut apostolus ad Hebr. 9. monstrat. At sacerdotium autem veteris legis spectabat omnia Sacramenta etiam circumcisionis administrare. Sacramenta ergo veteris legis non erant causa gratiæ, ac remissionis peccatorum.

Præterea, ut Augustinus epist. 19. ad Hieronymum ait: Si lex non iustificabat, quanto magis illa, quæ significationis gratiæ præcepta sunt, circumcisio, & cætera quæ, revelatione gratiæ latius innotescente, necesse fuerat aboleri, iustificare neminem poterant? Adde huc Hieronymum in commentariis super epistolam ad Galat. in illud cap. 5. *Nec circumcisio aliquid valet, nec prapucium, sed fides. Circumcisio,* inquit, *idcirco utilis fuit iis qui in lege vixerunt, non quia cir-*

*camitisi etant, set qui uereditis sunt illis loquix Dei, qua in ope-  
ra uertentes a salute extranei non fuerant. Circumcisio uero  
runc, ut caetera quoque legis, ualuit, quando, & benedi-  
ctiones carnales legem seruansibus spontebantur. Hæc Hiero-  
nymus.*

Præterea ut Div. Thom. 3. p. quæst. 62. art. 6. irrefra-  
gabiliter argumentatur: Si Sacramenta ueteris legis erant  
causa gratiæ, aut id erat ratione sui, secluso merito Chri-  
sti: & hoc non nisi Christus gratis mortuus esset, quod  
apostolus ad Galat. 2. collegit: Vel erant causa uirtute pas-  
sionis Christi futuræ: quod affirmari non potest. Nam causa  
efficientis, sive instrumentalis seu principalis, semper præ-  
cedit effectum. Quare humanitas Christi, eiusque sanguis,  
priusquam in rerum natura essent, causæ efficientes esse non  
poterant. Quamobrem Sacramenta ueteris legis salutem, &  
gratiam in uirtute passionis Christi efficere non ualebant.

Respond.  
ad arg. in  
p. nec. po-  
sua habet  
tur in fin.  
5. p. ro.

PARS QUINTA.

*De discrimine inter noua, & uetera Sacramenta.*

1. discrimen.

**I**D ergo (ut ad postremam relectionis partem nostra decur-  
rat oratio) primum est, idemque præcipuum discrimen  
inter noua, & uetera Sacramenta, quod concilium Florenti-  
num aperte lucideque docuit in hæc uerba: *Noua legis sep-  
tuor Sacramenta a ueteribus a Sacramentis differunt antiqua legis.  
Ueterum enim non consistunt gratiam, sed eam per passionem Christi  
adandam esse figurabant: hæc uero noua & concilium gratiam, &  
eam digne suscipientibus conferunt.* Et concilium Tridentin-  
session. 7. de Sacramentis in continuatione §. can. 2. *Si quis dixerit,  
noua legis Sacramenta a ueteribus a Sacramentis antiqua legis non differre,  
sed eam per passionem Christi adandam esse figurabant: hæc uero noua &  
eam digne suscipientibus conferunt.* Quod in eadem sit. inter utraque Sacramenta discrimen,  
declarat Trident. concilium §. can. 6. §. 2. & 8.

2. discrimen.

**A**liud est, quod noua conferunt gratiam aliquam  
adultis sine merito operantium; sed ueteribus suscepcis  
sine imperantium meritum, nulla adultis gratia conferer  
batur.

Prior



Prior pars patet ex Concil. Trident. sess. 7. canon. 8. *Si quis dixerit, nova legis Sacramenta ex opere operato, non conferre gratiam, anathema sit.* Vsus etiam Sacramentum veteris legis erat gratiæ meritorius, si a charitate proficis eretur. Si ergo Sacramenta novæ legis non conferrent gratiam, nisi ratione usus meritorii, certe non plus essent causa gratiæ, quam legis antiquæ Sacramenta.

Item, si solus usus Sacramentorum novæ legis esset gratiæ meritorius, tunc per Sacramenta non plus applicaretur nobis sanguis Christi, quam per reliqua opera charitatis, quod est erroneum: nec in concilio Florentino definirentur Sacramenta novæ legis gratiam conferre, sicut alia opera charitatis. Eset enim ridicula definitio, nec in hoc differret a Sacramentis veteribus, esset enim definitio falsa.

Posteriorem vero partem vel ex eo tenere convincimur, quod si circumcisio, vel alia Sacramenta veteris legis conferrent aliquam gratiam citra meritum susipientium, illa vere causa gratiæ & iustificationis existerent, quod paulo ante argumentis certissimis refellebamus. Ratio autem huius differentiæ est, quia meritum Christi nobis communicatur per sacramenta nova. Vnde, præter id quod nos memur suscipiendis sacramentis, aliqua nobis gratia datur ex merito Christi. At cum passio Domini causa esset finalis Sacramentorum veteris legis, non operabatur quicquam nisi per actionem intendentis illam; finis enim non habet alium effectum præter effectum agentis, qui moventur ad finem. Inde ergo si adultus circumcidebatur, non maiorem gratiam accipiebat ex circumcissione, quam per actum Fidei in Christum merebatur. Ad Rom. 3. *Vnus Deus iustificat circumcisionem ex fide, & præputium per fidem.*

Tertium discrimen est, quod Sacramenta novæ legis conferunt gratiam attritis: Sacramenta vero legis antiquæ, si a non contritis accipiebantur, nihil efficiebant. Prior Pars suadet, tum quia conferre, id insinuat, dare scilicet quod non habebas. Ostensum est autem nobis gratiam conferri per novæ legis Sacramenta: tum etiam, quia alias Sacramenta nova non essent gratiæ causæ, sed augmenti eiusdem gratiæ.

Præterea Ioann. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua.* Præstat

## 436 RELECTIO DE SACRAMENTIS.

ergo baptismus vitam spiritualem etiam illi, qui antea non habebat. Et ad Ephes. 5. *Mundans eam lavacro aqua.* Et ad Tit. 3. *Servos nos fecit per lavacrum regenerationis, non ex operibus iustitiae, quae fecimus nos.* Item Leo Papa epist. 56. discernit, parvulis per Baptismum remitti originale, adultis & originale & actuale. Et Ioann. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Ergo per Sacramentum absolutionis potest remitti mortale peccatum, etiam quod alias non erat remissum. Nam si effectus baptismi & absolutionis non est remittere culpam mortalem, sed poenam; ergo non conferunt haec Sacramenta gratiam. Siquidem effectus proprius eorum, hoc est, remissio poenae, sine gratia conferri potest. Et ratio huius est, quam saepe resumpsimus, quod meritum Christi applicatur nobis per Sacramenta nova. Quare sine nostro proprio merito, per meritum Christi applicatum iustificabimur.

Hinc vero posterior pars confirmatur. Quia enim in Sacramento veteris legis non erat aliud meritum nisi Fidei: ex fide quippe erat tota iustitia: idcirco sicut non dabatur plus gratiae, quam fides mereretur, ita nec gratia conferebatur nisi habenti dispositionem, quae alioqui ipsa per se esset idonea ad remissionem peccatorum: quam dispositionem, contritionem appellamus.

4. discrimina.

Quartum discrimen, quod per Sacramentum baptismi remittitur tota poena, & per alia Sacramenta novae legis aliqua saltem pars poenae sine merito proprio, ratione ipsius Sacramenti: sed per Sacramenta veteris legis poena peccatis debita non remittebatur, nisi pro quantitate Fidei, & meriti accipientis illa Sacramenta. Huius vero differentiae eadem quoque ratio est. Applicatur enim nobis satisfactio Christi per baptismum ad poenae remissionem; sed per circumcisionem non applicabatur, nisi propria circumcisi satisfactio, & meritum. Et hinc etiam sumitur argumentum pro tertio discrimine. Nam quemadmodum ex eo quod applicatur nobis satisfactio Christi per baptismum, remittitur poena circa nostrum opus, ita ex eo quod applicatur nobis meritum Christi, remittitur culpa non ponentibus obicem.

5. discrimina.

Quintum discrimen: Sacramentum novae legis, a quocunque etiam infideli conficiatur & administretur, iustificat; Sa-  
cra-

cramentum vero antiquum, sive naturæ, sive scripturæ, non iustificabat parvulos, nisi a fidei administraretur. Verbi gratia Filii Ismael non iustificabantur, quamvis parentes circumciderent eos ad imitationem Abraham. Et ideo parvuli dicebantur salvari in fide parentum. Nisi enim exterius Sacramentum esset protestatio Fidei interioris in Salvatorem, non remittebatur peccatum parvulo. Cuius rei argumentum est, quia vetera Sacramenta remittebant parvulis originale ex pacto misericordiæ divinæ, non ex iustitiâ. Pactum autem & conventio erat, ut Sacramentis protestantibus fidem Salvatoris homines salvarentur. *Signum enim (1) accepit Abraham circumcissionis, signaculum iustitiæ Fidei; Circumciderur (2) in vobis omne masculinum, ut sit in signum fœderis inter me, & vos.* At Sacramenta novæ legis conferunt gratiam ex iustitiâ, & merito Christi. Vnde etiamsi paganus sit, qui baptizat, dummodo applicet meritum Christi, conficiens verum Sacramentum, sive credat, sive non credat, iustificat suscipientem. Et propterea vocat apostolus Sacramenta vetera, infirma & egena elementa, quia ratione sui nihil efficiebant, sed solum ratione fidei vel propriæ, vel alienæ, a qua proficiscebantur. Nec id vacat in præsentia discutere, an parentes ministrantes Sacramenta parvulis oporteret esse in gratia, ut pueri iustificarentur: An satis esset prestatio Fidei quamlibet mortuæ. Vtraque enim pars suos habet assertores. Sed illa tamen ut pia magis, ita quoque probabilior est, quæ tenet, in fide parentum salvari parvulos, sive illa fides viva esset, seu esset mortua.

Sextum discrimen, quod Sacramentorum novæ legis Christus Dominus fuit auctor & proximus & immediatus: at Sacramenta vetera per Angelos & Moysen mediatores a Deo sunt condita. Atque illud quid. in concil. Trident. sess. 7. de Sacramentis in communi can. 1. definitur his verbis: *Si quis dixerit, Sacramenta novæ legis non fuisse omnia a Iesu Christo Domino nostro instituta, anathema sit.* Et videtur suaderi ex eo, quod apud Ioann. 1. *Lex per Moysen data est gratia & veritas per Iesum Christum facta est.* Sacramenta antiquæ legis,

6. discrimen.

(1) Rom. 4. (2) Genes. 7.

umbræ scilicet, & figuræ gratiæ, & veritatis per Christum efficiendæ, a Moyse sunt instituta: at Sacramenta gratiæ & veritatis ab eo sunt condita, per quem gratia & veritas facta est.

Item 1. Corinth. 1. *Numquid Paulus pro vobis crucifixus est? Aut in nomine Pauli baptizati estis?* Vbi beatus apostolus ex eo colligit, non alterius, quam Christi nomine, & auctoritate baptismum conferri posse, quod sola mors Christi, quæ per Sacramentum applicatur, idonea esse potuit ad remissionem peccatorum. Atque ex consequenti solius Christi erat baptismum condere, cui vim sui sanguinis applicaret. Sic enim explicatur hic locus a Cypriano in sermone quem paulo ante citavimus: *Proprie omnipotentia Dei sibi retinet hunc effectum, scilicet remissionis peccatorum. Nec enim Paulus pro nobis crucifixus est, aut nos gloriamur in Paulo, sed in cruce Domini, cuius virtus omnia peragit Sacramenta, sine quo signo nulla consecratio mereatur effectum.*

Idem quoque August. tract. 5. in Ioannem. Potuit autem Dominus noster Iesus Christus, si vellet, dare potestatem alicui servo suo, ut daret baptismum suum tanquam vice sua, & transferret a se baptizandi potestatem, & constitueret in aliquo servo suo, & tantam vim daret baptismum translato in servum, quantam vim haberet baptismus datus a Domino. Hoc noluit, ideo ut in illo spes esse baptizatorum, a quo se baptizatos agnoscerent. Noluit ergo, servum ponere spem in servo. Ideoque clamabat apostolus, cum videret homines volentes ponere spem in se ipso: *Numquid Paulus pro vobis crucifixus est, aut in nomine Pauli baptizati estis?*

Item 1. ad Corinth. 4. *Sic nos existimet homo, ut ministros Dei, & dispensatores mysteryum eius: non conditores, inquit, sed dispensatores.*

Præterea, D. Ambrosius lib. 4. de Sacrament. cap. 4. *Auctor Sacramentorum, ait, quis est, nisi Dominus Iesus? De celo ista Sacramenta venerunt.*

Cyprianus etiam sermone de ablutione pedum, quantum equidem intelligo, idem tradit, summum ipsum sacerdotem Christum suorum Sacramentorum fuisse institutorem, & auctorem.

Præterea, quia alias posset ecclesia Sacramenta, quæ instituit-

tuisset, abolere, aliaque rursum inducere: atque ex consequenti Christianam religionem, quæ Sacramentis maxime constat, invertere atque innovare.

Præterea hæreticus est, qui de Sacramentis novæ legis aliter sentit, quam Romana tenet ecclesia, ut cap. *Ad abolendam, extra. de hæreticis*, dicitur. Sed nisi essent ex revelatione tradita a Christo, non esset hæresis ea negare; cum fides circa ea sola versetur, quæ ex Christi traditione ab apostolis accepta ad nos usque pervenerunt. At re vera quod universa tenet tenuitque semper ecclesia, nec conciliis institutum est, non nisi ad eas traditiones pertinere potest, quas ex divina revelatione verbo tenus ab apostolis accepimus. Ita ait August. 4. lib. de baptismo, cap. 24. Maxime cum Sacramenta novæ Legis gratiam conferant, quam, sicut & gloriam conferre, solius Domini est, & Christi sui, qui pretium sui sanguinis, quibus maluit ignis, applicuit. Sed Sacramenta vetera, quoniam signa vacua erant, per hominis medios institui commode potuerunt.

Ultimum discrimen est, quod Sacramenta nostra aperiunt ianuam regni cælorum, quam aperire vetera nequeverunt. Quod eleganter tradit Innocentius cap. *Maioris, extra. de baptismo*. Nam ut apostolus docet ad Hebr. 9. nondum erat propalata sanctorum via, quousque sacerdos Christus ingressus est viam novam, & introivit semel in sancta, æterna redemptione inventa.

7. discrimen.

Quia igitur agnus occisus dignus est habitus; qui aperiret librum, & solveret septem signacula eius, quoniam redemit nos Deo in sanguine suo, fecitque nos Deo nostro regnum & sacerdotes; sanguis autem communicatur nobis per Sacramenta nova, non item per vetera: conficitur utique, Sacramenta hæc nostra (quod illa minime faciebant) regnum nobis aperire cælum.

Argumenta vero, quibus priori loco suadere nitentur, eiusmodi effecta, quæ Sacramentis novæ legis tribuuntur, a nulla re corporea proficisci, ostendimus retro esse vanissima. Interest enim nihil ad presentem disputationem, ut Sacramenta illam qualitatem efficiant. Quod si interesset id a Theologo disputari, facillime solvitur. Nam solus Deus producit illam qualitatem, si de productione loquamur ad modum.

Resp. arg. pro. neg. positus in princ. p. 4.

## 440 RELECTIO DE SACRAMENTIS.

dum agentis naturalis. Sed si de eadem qualitate, quatenus gratos nos reddit Deo, sermonem facimus (sic enim ad mores; & morales causas comparatur) habet præter Deum causas instrumentales, humanitatem Christi, sanguinem, sacramenta, sacramentorumque ministros. Nam quod Sancti negant, sacerdotes dare Spiritum Sanctum, habet intelligi per auctoritatem, non per ministerium; de consecr. dist. 4. cap. *Aliud est*, &c. Commodo. Illud vero Hieronymi contra illos sacerdotes dicitur, qui pro suo arbitratu potestatem solvendi, ligandique sibi arrogabant: cum tamen clavis scientiæ (3) clavem potentiæ debeat antecedere. Ambrosius vero asserit, nullam causam mediam effectum iustificationis attingere, quoniam gratia a solo Deo producti potest, qui solus dat gratiam, & gloriam.

Satisfac.  
Obi. pro  
part. affi.  
positis in  
princ. par-  
te 4.

Ad primum autem eorum, quæ obiiciebantur, ut omnia Sacramenta sanctificationis, & gratiæ esse causa probarentur, respondeo, non opus esse, Sacramentum quodcumque sic esse practicum signum, ut vere efficiat sanctitatem: sed sat est, ut practica a nobis nuncupentur, quod Deus in illorum signorum applicatione, usuque sanctificet: id enim commune est omnibus Sacramentis. Vel distinguenda est duplex sanctitas, altera legalis, altera spiritualis: Vtriusque enim apostolus ad Hebræos nono meminit. Omnia igitur Sacramenta efficiunt, aliquam sanctitatem, & mundiciam, vel legalem, ut vetera, vel spiritualem ut nova. Vide 1. 2. quæst. 103. art. 2.

Et eadem facilitate reliqua dilues, præter Augustini testimonium ex libro secundo de nupt. & concup. quod sine dubio pro nobis facit, si fide, qua oportet, referatur. Legit enim Erasmus, nec aliter commode potest, in hunc modum, *Ex quo instituta est Circumcisio in populo Dei, quæ erat tunc signaculum iustitiæ fidei, ad significationem purgationis, valebat in ignis, & parvulis originalis, veterisque peccati. Quod si Beda, aut quisquam etiam alius dixerit. Circumcisionem eandem peccati curationem præstitisse, quam baptismus; id sane interpretandum est, sensusque potius sequendus, quam verba, quæ nos plu-*

(3) *Matth. 16.*

plura, quam erat in voto, fecimus; sed non plura fortassis, quam opus erat, ad argumenti varii, atque perplexi expositionem. Quo quidem explicando non usque adeo sumus arrogantes, ut ne vereamur ex his, quæ tam multa diximus, quædam ut falsa reprehendi forsitam iure posse: alia, vera licet, pro rei tamen ipsius, vestraque omnium dignitate tractari potuisse tum accuratius, tum elegantius. At concedendum nonnihil occupationibus, erratisque nostris interim conivendum, ut vestra humanitate studia nostra sublevata recreentur. Quæ videlicet omnia vestris obsequiis addiximus, discipulorum nostrorum commodatibus adiudicavimus, Servatoris Iesu Christi gloriæ, atque honori consecravimus in sæcula sempiterna. Dixi. Deo gratias.

# RELECTIO DE POENITENTIÆ SACRAMENTO.

THEMA RELECTIONIS.

*Nisi pœnitentiam habueritis, omnes peribitis.*

Luc. 13. cap.

Prior Conclusio.

*Pœnitentiam infusa virtutis actum, his qui mortaliter peccaverunt  
semper fuisse necessariam, non ad salutem modo, sed ex præ-  
cepto quoque seculari.*

Posterior Conclusio.

*Pœnitentia vero Sacramentum, peccatoribus post baptismum ad  
vitam æternam consequendam, necessarium esse. Quo fieri, ac  
& mortalia peccata omnia sacerdotibus confiteri, & ad eorum  
arbitrium satisfacere, divino iure tenemur.*

## PROËMIUM.



Quocum hodierna mihi disputatione tractan-  
dum, viri gravissimi, qui de summa facie  
(quod aiunt) spectaverit, apertiolem fortas-  
se existimabit, quam ut nostram in expli-  
cando diligentiam desideret, aut laborem.  
Qui vero introspicere curiosius velit, com-  
periet sane, multas in profundo veritates  
delitescere, plusque habere in recessu, quam in fronte pro-  
mittit. *Nisi Pœnitentiam* (inquit apud Lucam Dominus) *ha-  
bueritis, omnes peribitis.* Qui quidem locus quæstionem li-  
cet simplicem continere videatur, multiplicem tamen dis-



serendi materiam subministrat. Nam cum duplex in Pœnitentiæ nomine significatio sit & virtutis & Sacramenti, mox animadvertitur, disputationem meam in duas esse partes dividendam, quarum altera versetur circa pœnitentiæ virtutem, altera circa Pœnitentiæ Sacramentum. Hæc enim tractandi forma, atque partitio a Magistro Sententiarum dist. 14. primum accepta, universis deinde Theologis usurpata est. Cumque de utroque partitionis membro infinitas propemodum quæstiones auctores Scholastici præsequantur; at ego sex mihi præcipuas ex intimis huius loci visceribus eruendas putavi, quibus omnino expositis, nihil esse video, quod amplius ad thematis intelligentiam desideretur.

Ac principio statim controversia illa veniet in medium, quæ fundamentum est cæterarum: *An pœnitentia sit dolor de peccatis, quia ratione contra Deum fuere commissa.* Et vestigio sequetur altera: *Sitne pœnitentia virtus.* Succedet suo ordine tertia: *An sine pœnitentia virtute salus peccantibus esse possit.* Quarto loco id quæremus: *An sit de pœnitentia virtute peculiare præceptum.* Quinto in dubium vocabitur: *Non etiam pœnitentia Sacramentum sit ad salutem necessarium.* Postremo: *An hoc idem Sacramentum Evangelico iure præceptum sit.* Has controversias tantisper dum definire contendo, vos viros ornatissimos, nostræ consultationis & auditores, & iudices, quæso, diligenter attendite.

## PARS PRIMA.

### *De Definitione Pœnitentiæ.*

**P**Rinceps igitur quæstio ea erat: *An Pœnitentia sit dolor de peccatis, quia contra Deum fuere commissa.*

Vbi investigare compellimur, quidnam pœnitentia sit, quidque sua definitione, & natura contineat: id quod in hac materia difficillimum est, egetque disquisitione non parva. Et quamvis controversiæ omnes sine discrimine apud Scholasticos soleant in utramque partem disceptari, ego tamen hanc primam (quoad per adversarios licebit) sine ar-

gumentis ultro citroque iactatis exponere cupio : quod (nisi me mea fallit opinio) res alioqui explicatu difficilis, hoc servato tenore, facilius explanabitur.

Pœnitentiam ergo definituris, ut a facillimis ordiamur, tenenda primum est ipsius vocis origo. Nam sine huiusmodi notione rem, de qua disserimus, probe tenere non possumus. *Pœnitentiam* itaque a *pœna* derivari, nemo est qui possit ambigere. *Pœna* autem *vindicta* quædam est præteritæ culpæ. Vnde & prisci auctores verbum, *pœnio*, pro eo quod *punio*, usurpare. Sed, & cum rerum male gestarum, quasi, vindicante natura, ipsi intra nos de nobis supplicium sumimus, tum, pœnitere proprie dicimur. Pœnitentiæ autem vocabulum tametsi latius pateat, usu tamen doctissimorum, in bonam partem deflecti solet : ut non nisi quæ iuste pro culpis assumitur, Pœnitentia nuncupetur.

Iustæ autem vindictæ duo sunt genera : alterum publicum, in quo alius est reus, alius iudex, accusator, & testis : alterum privatum, in quo & reus, & vindicationis administer idem est. In illo, aliena culpa vindicatur : in hoc propria. Illa vindicta involuntaria patienti est : hæc contra voluntaria. Pœnitentię igitur nomen, non quamlibet culpæ vindictam, sed illam voluntariam designat, qua reus ipse sponte pœnas eligit, ut in proprias culpas animadvertat. Augustinus (sive quis alius eius operis fuit author) in libro de vera & falsa pœnitentia cap. 19. *Pœnitere*, inquit (1), *est pœnam tenere, ut semper puniat in se ulciscendo, quod commisit peccando* ; & cap. 8. *Pœnitentia est quædam dolentis vindicta, voluntarie punientis in se, quod commisisse se dolet*. Quo & Ambrosius videtur alluisse, super Psalmum 27. concione 1. dicens : *Plena est definitio pœnitentia, commemoratio delictorum, ut unusquisque peccata sua, velut quodam quotidiani sermonis flagello castiget, & commissa sibi flagitia condemnnet*. Literæ quoque sacrę passim admonent pœnitentiam agere, ad quam profecto non exhortarentur, nisi spontanea esset : nec pœnitentiam ab alio inflictam, agendam esse mernerent, sed potius patiendam. Quod nostro in themate etiam in-

(1) De pœnit. dist. 3. cap. Pœnitentia est.

intelligitur si verba diligentius expendantur. *Nisi penitentiam habueritis*, ait. Id autem habere dicimur, quod in nostra potestate est, ut Divus Thomas annotavit 1. part. quæst. 38. art. 1.

At vero, cum nemo in malum aspiciens operetur, ut Dionysius 4. cap. de divin. nomin. scite tradit; qui volens prudensque pœnam eligit, eum alicuius boni gratia, tamquam finem sibi præstituat, hoc facere necessum est.

Finis autem primus iustæ vindictæ, is habetur ut qui læsus per culpam est, ei per pœnam satisfiat. Eatenus quippe iudex nocentem plectit, quatenus opus esse censet, ut iniuriæ, & privatæ & publicæ faciat satis. Sic igitur & pœnitens, ob eam causam vindicat culpam, quam admisit, ut Deo, quem offendit, debitam satisfactionem impendat.

Finis pœnitent. triplicis.

Sed enim, per offensam culpæ, non solum iustitia legislatoris, sed & amicitia violatur: quapropter alter finis pœnitentis est placere Deum, quem offenderit, eumque sibi conciliare. Inde enim vindictam, compensationemque delicti, oportuit in pœnitente ultroneam esse, quoniam oportebat amicam esse. Nam neque apud homines, rediategratur amor, per coactam satisfactionem offendentis.

Cum autem amicus pœnis amici non delectetur, & alioqui etiam (Aristotele auctore) pœnæ medicamenta sint, quæ velut per contrarium dolorem, morbum pellunt e voluptate progenitum: tertius pœnitentiæ finis est salus animi. Dolet namque pœnitens, lacrymatur & gemit, ut per huiusmodi quasi antidotum, morbo spiritali medeatur, ut Divus Thomas tertia parte, quæst. 90. art. 3. docuit, & Augustinus tract. in Psalm. 57. Sed & Hieronymus in Ecclesiastes caput septimum, inquiens: *Novit hirundo pullos de succo oculare chelidonia, & dictamnium capra appetunt vulnerata; cur nos ignoremus medicinam pœnitentiæ propositam esse peccantibus?* Eandem quoque sententiam eisdem fere verbis Tertullianus dixit in libro de pœnitentia. Et Chrysost. homil. 7. ad populum Antioch. *Iudices*, inquit, *cum latrones ceperint, ac sacrilegos, non quomodo ipsos meliores reddant considerant, sed quomodo ad ipsos peccatorum pœnas exigant: Deus autem contra: quum aliquem ceperis peccatorem, non considerat quomodo supplicium sumat, sed quo modo ipsum*

*corrigat. Itaque & iudex, pariter & medicus, &c. Paulus denique 2. ad Corinth. 7. Tristitia, ait, quæ secundum Deum est, pœnitentiam in salutem operatur. Quamobrem, pœnitentiæ iudicium ut amicum, ita quoque salutare est, plusquam vindicativum; cuius scilicet finis, non tam vindicta, quam vindicta salutaris est.*

Igitur (ut quæ tam multis diximus, in brevem summam redigamus) pœnitentiæ dolor de peccatis est, alias & in beatis esset, nec esset iuxta nomen suum, pœna. Et dolor est sponte pro peccatis assumptus, ut sit, vindicta culparum voluntaria, nec vindicta solum satisfactoria, sed etiam amica & salutaris. Ac poterant hæc apud omnes, inconvulsa ratione consistere, nisi ab iis, qui linguarum eruditione, proprioque sensu iactantur (vana licet fiducia) quaterentur.

Ostendit ex  
Luthero &  
Erasmio.

Obiicit tamen nobis Lutherus apud Roffens. art. 5. Imo & Erasm. in annotationibus super tertium Matth. caput, quod apud Græcos *μετάνοια* non pœna aut dolor est, sed resipiscentia, & *μετάνοια* resipiscere. At ubi interpretis novi testamenti usurpat pœnitentiæ vocabulum, græco in fonte *μετάνοια* est: ubi *pœnitentiam agite*, Græca lectio habet *μετάνοια*: non ergo in usu scripturæ sacræ pœnitentiæ dolor aut pœna est, sed mutatio consilii & mentis, & pœnitere, sapere post erratum, instituereque animum ad vivendum recte. Scilicet hoc irrefragabili argumento, in illam hæresim incidere Germani, ut crederent, veram pœnitentiam nihil aliud esse, quam novam vitam. Iuxta quod Ambrosius apud Magistrum 14. dist. ait, veram pœnitentiam esse, cessare a peccato. Hinc vero nos, paucis extricare possemus, si veteris interpretis, & Christianorum omnium latine loquentium auctoritate contenti, latini nominis notionem & originem sequeremur: quæ satis (ut arbitror) ante nobis explicata est. Quin etiam, si rerum ordo fuerit diligenter inspectus, resipiscentia atque tristitia, usque adeo sibi vicissim hærent, ut, si alteram tollas, utramque necesse sit esse sublatam. Etenim si sapis, protinus incipit displicere quod placuit. Imo, si erratum tuum semel intelligis, tu ipse incipis tibi illico displicere. Cum vero, quicquam displicet, quod placebat, id quemadmodum quo tempore pla-

Respons.

placuit, delectabat: ita necesse est contristare, dum displicet. Ac me hunc quidem resipiscentiæ tristitiæque nexum, arcanae litteræ tacuerunt. Genes. 6. *Videns Deus quod multa malitia hominum esset in terra, pœnituit eum, quod hominem fecisset, & tactus dolore cordis intrisecus.* En post pœnitentiam dolor cordis apponitur. Et Hierem. 31. *Postquam convertisti me egi pœnitentiam, & postquam ostendisti mihi, percussi femur meum.* In quæ verba Hieronym. *Dolentis, inquit, & plangentis & super errore pristino plorantis iudicium est, ut femur manu percussat, & stultum se ante fuisse fateatur.* Dolor itaque, comes individuus est resipiscentiæ.

Quod si latinæ vocis nullam rationem haberemus, si rerum item consequentiam & ordinem negligercmus, etiamnum, Luthero, Erasmoque ostenderemus Græcam μετανοίας vocem, pœnam quoque, ac vindictam designare. Cuius rei testimonia si quis a nobis requireret, nihil esset profecto, quod tam facile expedire possemus, nisi ad alia properaret oratio. Certe Paulum 2. ad Corinth. 7. pro pœnitentia μετανοίας usurpasse, vel protervus inficiari non poterit. Habent enim græca in hunc mundum ἡ γὰρ κατὰ βίωσιν, μετανοίας ἢ αὐτορίας ἀμεταμέλητον χαρακτηρίζεται, hoc est, quæ enim secundum Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem non pœnitendam operatur. Quo loco si resipiscentiam vertas, sententiam in apostolo falsam efficies, non enim tristitia resipiscentiam operatur, sed e diverso resipiscentia tristitiam: at tristitia quæ secundum Deum est, pœnitentiam, hoc est voluntariam pœnam, vindictamque culpæ. Noster item Ausonius (2) loquentem pœnitentiam inducens, *Sum, inquit, dea, quæ facti, non factique exigo pœnas, nuncpe ut pœniteat, sic mesanœa vocor.* Non igitur sive latine pœnitentia, sive græce metanœa, novam solummodo, vitam, sed & veteris odium vindictamque significat. Sed ais: si verbum verbo reddas, μετανοία mutatio cogitationis & mentis est, transmentatio, si in hunc modum loqui latina consuetudo permitteret. Fateor equidem. At mentis mutatio esse non potest, nisi mens divertat a malo, contraque ac-

ce-

(2) In Epigrammate in occasionis statuum.

cedat ad bonum. Quod quia non fit gressibus corporis, sed affectibus animi, veterem vitam animus aversetur oportet, cum elegerit novam: sic enim animi mutationem recta philosophia interpretatur: quam si haberent Lutherani, nihil ad illis præterea exigeremus, si modo haberent eam, non quam sibi fingunt ipsi, sed quam & vere & graphice describit Ambrosius 2. lib. de pœnitentia cap. 10. inquires (3), *Facilius inveni qui innocentiam servaverint, quam qui congrue egerint pœnitentiam.* An quisquam illam pœnitentiam putat, ubi requirendæ ambitio dignitatis, ubi vini effusio, ubi copulæ coniugalis usus? Renuntiandum, sæculo est, somno ipsi minus indulgendum, quam natura postulat, interrumpendus est gemitibus, interpellandus est suspiriis, sequestrandus orationibus: vivendum ita, ut vitali huic moriamur usui. Se ipsum sibi homo abneget, & totus mutetur, sicut quendam adolescentem fabulæ ferunt, post amores meretricios peregre profectum, & amore abolito regressum, veteri postea occurrisse dilectæ, quæ ubi non interpellatam mirata, putaverit non recognitam, rursus occurrens dixerit ego sum responderit ille, sed ego non sum ego. Hanc mihi cogitationem atque animi transformationem, si præstiteris, iam ego de nomine nihil moror, Illa re vera pœnitentia est, de qua nos in præsentia disputamus.

Vtrum ad rationem pœnitentiæ præter detestationem vitæ veteris necessario requiratur proposit. vitæ novæ.

Sed illud tamen catholici quidam, contrario penitus sensu atque ratione, in dubium vocant: *An ad veram pœnitentiam, præter dolorem de peccato præterito propositum, exigatur, deinceps futura vitandi?* Ita ut quemadmodum pœnitentem, vitam veterem detestari (4), sic & novam animo concipere, ac proponere necessum sit. Et quidem iuniores nonnulli, existimant hoc propositum non esse in pœnitentia necessarium. Tum quoniam, ut vox ipsa præ se fert, pœnitentia, culpas præteritas respicit, non prospicit futuras: quod & Div. Thomas animadvertit 4. dist. 17. quæst. art. 2. quæst. 4. ubi asserit, pœnitentiæ proprium obiectum esse peccatum commissum: quare ait, secundum suam speciem respicit tantum.

(3) De pœnit. dist. 1. cap. sunt qui. (4) M. ioris 4. dist. 14. quæst. 1. & alma in eadem dist. & quæst.

tum peccatum præteritum. Tum etiam, quoniam ventura mala cavere, prudentiæ actus est, non penitentiæ. Non igitur animus futura vitandi ad veram pœnitentiam necessarius est.

Nos vero, recentem hanc Theologiam paulisper facessat rogemus, & disputationis nostræ perturbatricem exoremus ut sileat; veterumque auctorem sententiam amplectentes, intelligamus mutationem mentis, quam nomen græcum designare certum est, in pœnitentia quoque latina voce comprehendî. Nisi enim mutetur totus (ut paulo ante referebamus ex Ambrosio.) vere pœnitens esse non potest: at hæc pœnitentis mutatio, in eo sita est, si non vitam modo priorem respuat, sed & novam animo complectatur, seseque informet atque animet ad recte iusteque vivendum, sit ergo (ut amore scholastico non discedamus) prima conclusio.

Sententia  
vet. & com-  
mun.

*In Pœnitente semper hæc duo coniuncta sunt, detestatio vite veteris, & propositum vite novæ.* Hanc Magister dist. 14. & 15. tenet, & Albertus 14. dist. art. 11. & Durand. dist. 17. quæst. 2. art. 2. & Alexand. quarta parte quæst. 69. membr. 9. & Adrianus quolib. 5. art. 3. Caietanus in additionibus 3. part. quæst. 1. art. 1. & D. Thom. 3. part. quæst. 85. art. 3. & 86. art. 2. & 3. contra gentes cap. 198. & 4. contra gentes, cap. 72. Quæ quidem probatur, ex apostolo ad Ephesios 4. *Deponite, inquit, vos veterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria erroris, renovamini autem spiritu mentis vestrae, & induite novum hominem, &c.* non ergo satis est veterem exuere, nisi novus homo induatur, quod certe voluntate fit, non manibus corporis.

I. Concl.

Hoc præterea insinuat Gen. 6. *Pœnituit eum quod hominem fecisset, præcavens in futurum & tactus dolore cordis intrinsecus.* &c. ambo igitur illa in eo, quem vere pœnitet reperiuntur.

Ezechiel item 18. cap. *Si autem, inquit, impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, & custodierit omnia præcepta mea, omnium iniquitatum eius non recordabor.* Custodire autem omnia præcepta, ad animi propositum sine dubio referendum est, quoniam non omnia simul præcepta custodienda occurrunt, cum homo pœnitentiam agit: utrumque igitur pœnitens simul præstat, & quod dolet de omnibus peccatis suis, & quod

## 450 RELEGIO DE POENITENTIA.

omnia præcepta custodire proponit. Et infra eodem capite. *Convertimini, ait, & agite poenitentiam, proiicite a vobis omnes præviationes vestras & facite vobis cor novum & spiritum novum, quod est, novam vitam animo & concipere & velle.*

Præterea (ut recte Divus Augustinus lib. de vera & falsa poenitentia, cap. 17. ratiocinatur) *Nam solum peccatore ut gemat, sed etiam ut convertatur. Convertimini, inquit, & agite poenitentiam, &c.* Et Ioel. 2. *Convertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio & fletu, &c.* Conversio autem ad bonum est: non ergo satis est, malam vitam antecedentem aversari, nisi ad bonam poenitens animo convertatur.

Id insuper annotavit Ambros. in illad 2. ad Corinth. 7. *Ecce enim hoc ipsum, secundum Deum contristari vos, quantum operatur in vobis sollicitudinem & desiderium: desiderat enim, inquit, reformari, qui per peccatum scit se factum esse deformem.*

David quoque in Psalm. 50. postquam veniam petivit inquiring, *Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, &c. Cor mundum, ait, crea in me Deus & spiritum rectum in nova in visceribus meis.*

Præterea, primum quod ab eo qui fecit iniuriam postulamus est, huiusmodi propositum. Cum ergo finis proprius poenitentiae sit, emendare Deo iniuriam, certe vere poenitens omnia ea exhibet, per quæ iniuria compensatur. Inter hæc autem (ut diximus) illud unum est, ut homo habeat animum, alias deinceps iniurias non faciendi.

Ad hæc, quemadmodum parentes cum liberos puniunt, emendationem, propositumque melioris vitæ in futurum, ab illis per poenas extorquent: ita & hoc a nobis vel maxime Deus exigit in hac vindicta voluntaria, ut velimus in melius corrigere, quæ peccavimus.

Præterea in omni motu non est recessus a termino aliquo, sine accessu ad oppositum: ergo, nec a versio a peccato erit sine conversione ad iustitiam. Quare sicut poenitens detestatur vitam injustam antecedentem, ita voluntate complectitur futuram iustam consequentem.

Præterea vera poenitentia non est sine actu charitatis, ut mox definiemus: sed per actum charitatis, volumus Deo in omnibus placere & in nullis displicere: igitur, animus in fu-



turnum bene vivendi, vero pœnitenti qui ad Deum convertitur, deesse non potest. Quod & nunc in concilio Trident. sess. 6. cap. 5. & 6. definitur, & in concilio Florentino fuerat ante declaratum videlicet ad contritionem (quæ pœnitentiæ primus actus est) pertinere, ut doleat de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero. Nec potest dici, concilium loqui, de proposito implicito. Pari enim ratione statuerat, ad contritionem cordis spectare propositum ieiunandi tempore quadragesimæ. Præterquam quod vana esset talis determinatio, & explicatio contritionis, si de implicito proposito intelligeretur. Et simili quoque ratione interpretaremur, ad contritionem cordis pertinere, implicite dolere de peccato commisso.

Secunda conclusio. *Huiusmodi propositum est de ratione pœnitentiæ.* Hanc tenet Div. Thom. expresse, & eam persuadere nititur 3. part. quæst. 90. art. 4. & 4. contra gentes cap. 27. quia actus morales, ex fine recipiunt speciem. At, finis pœnitentiæ & doloris de peccato, est nova vita: ergo illum finem intendere, est de ratione pœnitentiæ: quemadmodum enim, expulsio dispositionis contrariæ, suapte natura paratur ad convenientem formam inducendam, & propulsatio humoris corrupti, ab arte naturaque instituitur, ut nova sanitatis forma proveniat: ita & peccata antecedentia destruere, atque aversari, ad vitam novam instituendam ordinatur. 2. Concl.

Præterea ad pœnitentiam id potissimum pertinet, ut Deo veteris vitæ compensatio fiat. Id autem, vel maxime a nobis Deus exigit, pro compensando delicto veteri, ut ei deinceps placere velimus, iuste recteque vivendo: id igitur est de ratione pœnitentiæ.

Hoc item probat Magister sententiarum, dist. 14. ex definitione pœnitentiæ, quam nobis Ambrosius (5) & Gregorius tradidere in hanc formam. *Pœnitentia est, præterita mala plangere, & plangenda iterum non committere*, de pœnitentia dist. 3. cap. *Pœnitentia*, & cap. *Pœnitentiam*.

Nec ego aliud intelligo Florentinum Concilium indicare

(5) *Homil. 43. cuius initium, in æstivum tempus.*

## 452 RELECTIO DE POENITENTIA.

voluisse, cum astruit, ad contritionem cordis pertinere, ut doleat de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero.

Respond.  
arg. modern.

Ad argumentum vero in contrarium, respondet Div. Thom. dist. 14. quæst. 1. art. 1. quæst. 6. ad 4. quod quamvis ad pœnitentiam iuxta primam nominis originem, non pertineat respectus ad futurum, at, quatenus habet pro fine præcipuo, emendare Deo culpam commissam, & illi pro ea satisfacere, huiusmodi propositum est de ratione pœnitentiæ, nec sine illo Deus aut placatur aut conciliatur, cum id (quod sæpe iam diximus) a nobis maxime requirat.

Hæc de priore definitionis particula satis sunt dicta. Nunc circa posteriorem ea quæst. est a nobis pertractanda. *An dolor detestatioque peccati, quia est contra Deum, sit de ratione pœnitentiæ?* Cui breviter quæstione eodem omnes ore respondent, de ratione pœnitentiæ esse Divus Thomas 3. part. quæst. 86. art. 3.

Quæstio.

Quippe si quem peccata contristant, vel quod turpia sunt vel quod infamiæ notam inusserunt, aut aliud damnum dedere peccanti; huius dolor idoneus non est nec delicto adversus Deum commisso pensando, nec in senso Deo placando & conciliando. Nam ne homo quidem iustus placaretur, cum is qui læsit nullam ipsius haberet in dolore rationem: nec redintegraretur amicitia dum qui eam violavit, iacturam propriam sentit, non amici offensionem, 2. ad Corinth. 7. *Gaudete non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad pœnitentiam. Contristati enim estis secundum Deum, qua enim secundum Deum tristitia est, &c. Tristatur, inquit Ambrosius, secundum Deum, quia dolet, quod fecit, quod odit Deus: Idem Chrysostomus homilia 15. in hanc secundam epistolam: sed expressius homilia 4. in eandem.*

Item nisi hac ratione & fine, peccator pœnitentiam ageret ad Deum minime per suam pœnitentiam converteretur: cum tamen Christiani pœnitentem, & conversum ad Deum, eundem prorsus intelligamus. Quoniam & arcanæ literæ pœnitentiam sine peccatoris ad Deum conversione penitus ignorant. Ioel 2. *Convertimini ad me in toto corde vestro, &c. Ezech. 18. Convertimini & agite pœnitentiam. Esai. 35. Dere-*

lin.

*linguat impius viam suam, & revertatur ad Dominum.* Et Psalm. 118. *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodie-  
runt legem tuam.* Vbi que igitur ratio finisque pœnitentiæ  
Deus ipse describitur.

Sed existit hoc loco questio non parva, *An illa ratio* **Questio.**  
*formalis & motiva pœnitentia sine dilectione possit haberi?* Quod  
in hanc formam alii quærunt, *An in pœnitentiæ finitione oporteat  
contineri, quod sit dolor de peccatis quia sunt contra Deum  
super omnia dilectum.*

Et suadetur non oportere, quia dilectio est actus suffi-  
ciens ad remissionem peccatorum: quare si semper cum pœ-  
nitentia interveniret, aut neutra esset, idonea, aut altera  
superflueret.

Deinde, si actus charitatis necessario in peccatoris con-  
versione inveniretur, tunc charitas diceretur secunda ta-  
bula post naufragium, potius quam pœnitentia: quod tam-  
men inauditum est.

Præterea, puer fugit ignem tanquam malum, etiam si  
oppositum bonum actu non velit: ergo & homo potest fugere  
peccata, quamvis Deum actu non amet.

Quarto, quia si dilectio esset pœnitentiæ coniuncta, di-  
lectio pœnitentiam antecederet, quoniam attingit finem ra-  
tionemque formalem pœnitentiæ: at consequens est falsum,  
ut videtur.

Primo, quia contritio præcedit gratiam habitualem, cum  
sit eius dispositio: ergo & charitatem: quia gratia prior  
est charitate, ad quam se habet gratia, ut anima ad po-  
tentias suas. Nam dat gratia esse & vivere, charitas opera-  
tionem.

Item secundo consequens probatur esse falsum, quia si di-  
lectio contritionem præcederet, iam prima pœnitentis contri-  
tio esset meritoria, cum a charitate proficeretur, referreturque  
ab eadem charitate in Deum super omnia dilectum. At  
contritio prima, meritoria esse non potest, quia vel meretur  
gratiam, vel gloriam: non gratiam, quia prima gratia sub  
merito non cadit: gratiam vero simul fieri & augeri impos-  
sibile est. Quare, prima contritio, nec primam gratiam, nec  
augmentum eius promeretur: sed ne gloriam quidem: quia  
vel meretur gloriam quæ respondet primæ gratiæ, puta ut  
qua-

## 454 RELECTIO DE POENITENTIA.

quatuor, si gratia prima erat ut quatuor; vel meretur augmentum illius gloriæ: si primum, iam gloria quæ respondet primæ gratiæ, non daretur gratis, contra apostolum ad Roman. 6. inquentem, *Gratia Dei vita æterna*. Et contra rationem, quæ dicitur, gratiam nihil aliud esse, quam acceptationem ad gloriam: unde si quis accepit gratiam primam sine meritis, ergo & acceptatus est ad gloriam correspondentem sine meritis. Augmentum vero gloriæ, si prima contritio mereretur, pariter quoque & augmentum gratiæ, quod iam reprobatur est.

Denique consequentiæ falsitas ostenditur ex Divo Thoma, quarto, distinctione decimaquarta, quæstione prima, articulo secundo, quæstione secunda cuius verba sunt. *Quandoque aliquis fugit malum propter desiderium boni, quandoque autem e diverso: & hic motus est frequentior in reversione peccatoris ad Deum per pœnitentiam. Unde pœnitentia est prior charitate, & cum metus amoris pœnitentiam precedit, non est amor charitatis, quia charitas amissa, non recuperatur nisi per actum pœnitentiæ virtutis*. Hactenus ille. In contrarium est, quod omnis dolor in amore fundatur eo enim quod aliquid amamus, de eius amissione dolemus.

I. Concl.

Hic sit prima propositio. *Primus actus pœnitentiæ nunquam est sine actu charitatis*. Magist. dist. 15. cap. 4. idem, Gra. in. de pœnit. dist. 3. cap. ultim. & cap. *Fugeat*, & dist. 2. cap. *Charitas est*, & D. Thom. 12. quæst. 113. art. 4. ad 1. & art. 5. & 8. & de veritate quæst. 28. art. 4. Durand. dist. 17. 4. quæst. 1. & 4. Capreo dist. 14. quæst. 2. & Gabr. ea dist. & quæst. contra Palud. dist. 14. quæst. 3.

Primum probatur hæc conclusio testimonio D. August. 14. de civit. Dei cap. ultimo ubi asserit, neminem pertinere ad civitatem Dei nisi per amorem Dei, usque ad contemptum sui: sed omnem vere pœnitentem ad Dei civitatem pertinere nemini dubium est: ergo. Et lib. de vera & fals. pœnitent. cap. 9. pro absurdo habet quod sine amore Dei, quisquam consequatur indulgentiam, sine quo nullus invenit gratiam. Et cap. decimoseptimo idem ait, & lib. contra Crescon. 2. cap. duodecimo cum dixisset, & eleemosynis & verbo veritatis, & contritione remitti peccata, subdit: *Mundantur etiam ipsa, quæ supereminet omnibus charitate, quæ*

*si adsit omnia illa recte fiunt, si autem desit, illa omnia frustra fiunt.* Præterea 1. Ioann. 3. *Qui non diligit manet in morte.*

Præterea conversio ad Deum requiritur ad habendam gratiam Dei. Zachar. 1. *Convertimini ad me & ego convertar ad vos.* Ezech. 18. & 33. sed conversio ad Deum non fit nisi per actum charitatis; nam si aliter conversio fiat, vana est ad iustificationem, cum in Christo Jesu sola fides valeat quæ per dilectionem operatur ad Galat. 5. Hoc autem notavit August. de vera & falsa pœnitentia cap. 17. dum scribit non converti, qui habet attritionem & timet Deum iudicem, nisi amet iustum.

Præterea salus animæ in conversione ad Deum consistit Hierem. 3. *Convertimini filii, revertentes & sanabo overisiones vestras* Esai. sexto: *Et convertatur, & sanem eum.* Et quadragesimo quinto: *Convertimini ad me, & salvi eritis:* at pœnitentia est medicina salutis.

Item, omne agens agit propter finem: anima ergo cum movet se, ad finem se movet. At velle efficaciter finem pertinet ad charitatem. Namque si per spem solam finem appetere, nec spes illa meretur ad iustificationem sufficeret, nec de peccato doleremus quæ ratione offensa Dei est, sed qua malum nostrum est.

Id tandem modo in concil. Trident. sess. 6. cap. 6. & 7. definitum est. Ac re vera, id enim Dominus, Luc. 7. insinuare videtur, inquit: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit mulierem.* Quæ significant, dolorem & lachrymas nullas esse, nisi cum charitate essent.

Secunda propositio. *Prior natura est actus charitatis, quam actus pœnitentia.* Imo radix, unde pœnitentia habet remittere peccata, dilectio est: iuxta Domini sententiam Luc. 7. *Quoniam dilexit mulierem,* ait D. Thom. 3. part. quæst. 85. art. 6. 2. Concl.

Probatur item hæc conclusio. Quia pœnitens, detestatur peccatum, ut offensam Dei: ergo prius natura amat Deum, Nam nisi quem amore prosequimur, eius mala exhorrescere non solemus.

Primus quoque voluntatis actus, circa proprium obiectum est, scilicet, circa bonum. Deinde sequitur odium oppositi mali. Prior ergo actus est, quo Deo volumus bonum, quam actus quo eius malum abhorremus.

Præ-

## 456 RELECTIO DE POENITENTIA.

Præterea, velle mihi conciliare Deum, est prius, quam velle emendare iniuriam commissam, cum illud sit finis huius. At illud ad charitatem pertinet, hoc ad poenitentiam, ut dictum est.

Præterea, ut D. Thom. argumentatur loco citato ad secundam, in actibus animæ primus motus est circa finem. Unde prior est natura intentio finis, quam electio mediorum. At dolere de peccatis, & illa destruere, medium est ad placandum & conciliandum Deum, & ad rectam electionem non pertinet: ergo. Sed & Hierem. 31. huius rei testimonium habemus, *Postquam convertisti me, inquit, egi poenitentiam*: prior est igitur conversio ad Deum, quam poenitentia detestatioque peccati.

Id postremo concilium Tridentinum sess. 6. cap. 6. definiuit his verbis. *Pœccatores ad iustificationem se disponant, incipientes diligere Deum tanquam omnis iustitiæ fontem*. ac præterea moventur adversus peccata per odium aliquod & detestationem, hoc est per poenitentiam.

3. Concl.

Tertia propositio. *De ratione vera poenitentia est, quod displicet peccatum, quia est contra Deum super omnia dilectum*: D. Thom. expresse 3. part. quæst. 86. arti. 3. paterque ex prioribus conclusionibus.

Ad primum autem eorum, quæ in contrariam partem adduximus, respondet D. Thom. 3. part. quæst. 84. arti. 5. ad 2. & quæst. 86. arti. 6. ad 2. & de veritate quæst. 28. arti. 5. in corpore, & ad primum negando consequentiam. Aliud est enim, quod requiritur ad iustificationem absolute, aliud ad iustificationem eius qui mortaliter peccavit: in quo requiritur & aversio a malo, & conversio in bonum, ut iniuriam quam fecit compensetur per æquam satisfactionem.

Ad secundum respondetur, quod poenitentia dicitur secunda tabula post naufragium, & non charitas. Primo, quia charitas necessaria est in omni iustificatione, communisque & integra navi solventibus, & naufragis. Poenitentia autem proprium est remedium naufragorum.

Item etiam in poenitentia charitas intelligitur, non autem e diverso, in charitate poenitentia. Quanquam & his duobus argumentis brevius responderetur, multos actus hominis in iustificatione simul coniungi, quibus tamen singulis iustificatio

tionem ipsam sacrae literae tribuunt. *Fides enim purificat conscientiam nostram*, Actor. 15. *Spes quoque salvi facti sumus*, ad Rom. 8. *Vniuersa etiam delicta aperit charitas*, Proverb. 10. Et scriptum quoque est, *Sine timore neminem posse iustificari*, Eccles. 1. Et, *Cum peccator ingemuerit, ac poenitentiam egerit, peccata ipsius oblivioni tradentur*, Ezech. 18. & 33. Erraret autem vehementer, qui vel remissionem peccati, unicuique ex illis actibus denegaret, vel unum ex eis quemlibet, superfluum arbitraretur.

Ad tertium, nihil vetat, cum quis semel habuit actum amoris, odio habere malum sine amore praesenti, ex vi tamen praecedentis: ut post primum assensum conclusionis, quem sine assensu antecedenti principiorum habere nequimus, nihil prohibet eidem conclusioni iterum atque iterum assentiri sine principiorum assensu. Sic & primam poenitentiam sine dilectione habere, impossibile fuit. Secundam vero, vel tertiam habere poterimus ex efficacia solum prioris dilectionis. Ita quoque puer, vi, & potentia amoris naturalis, quem dubio procul aliquando primum habuit postea malum fugit naturae contrarium, etiam si amor ille actu non perderet. Quin etiam non oportet, duas semper operationes differentes habere amoris, & poenitentiae: sed potest unus & idem actus a charitate, & poenitentia proficisci, ut interim media, & finem unico actu complectimur, & principiis, & conclusioni unico actu assentimur.

Ad quartum, concesso consequenti quod inferitur, ad primam confutationem, nego consequentiam. Non enim valet, A est prius B, & B est prius C; ergo A est prius C, praesertim cum in diverso genere causarum ille ordo consideratur. Quemadmodum, & haec collectio inutilis est, A est causa B, & B est causa C; ergo A est causa C. Quod ut exemplo manifestum efficiam, ponamus illud quod Philosophi negare non possunt, primas qualitates, & secundas, utrasque esse dispositiones ad eandem formam substantialem, ut calor, & color, humiditas, & mollities ad animam rationalem; ubi certum est, secundas qualitates priores esse animam in genere causae disponentis, & materialis animam ursum priorem esse primis qualitibus in genere causae formalis. Prior est enim forma, quae dat esse simpli-

citer, quam forma, quæ dat esse tale. Ex quo tamen, si quis colligeret, secundas qualitates esse priores primis, certe a Philosopho non toleraretur, sed ne a dialectico quidem, cum in nullo genere causæ primas qualitates, secundæ præcedant.

Item, contritio prior est habituali gratia in genere dispositionis, gratia etiam prior est habitu pœnitentiæ infusæ in genere causæ formalis. Sed contritio nullo pacto prior est habitu pœnitentiæ. Quoniam actus ille ab habitu producitur in genere causæ efficientis. Effecta autem causarum efficientium, suis causis efficientibus priora esse non possunt, nisi forte in genere causæ finalis, de quo genere in præsentia non disseritur.

Circa id vero, quod in eodem argumento additur, gratiam se habere ad charitatem, & pœnitentiam, ut anima ad potentias suas, non in omnibus similitudo est. Quoniam potentia animæ, intellectus, & voluntas, nulla ratione præcedunt animam: habitus vero charitatis, & pœnitentiæ, quoniam in genere causæ efficientis producunt actus, qui sunt dispositiones ad gratiam, ex consequenti ipsam gratiam antecedunt. Charitas igitur & pœnitentia habent se ad gratiam ut calor ad formam ignis. Idem enim calor, si consideretur ut disponens materiam ad recipiendam formam, prior forma est: si autem ut potentia calefactiva, eadem forma posterior est.

Ad secundam vero confutationem, in qua difficultas est maxima, sunt qui negant (6) primam contritionem meritoriam esse, quam ego sententiam olim iuvenis tenere solebam, nec enim poteram eam persuasionem induere, ut gratia habitualis qua iustificamur, prima contritione prior esset, quod tamen erat necessarium, ut illa contritio esset meritoria: quippe, cum gratia, & amicitia Dei, totius meriti radix, & origo sit, atque id etiam Div. Thom. mihi sentire videbatur, 1. part. quæst. 62. art. 2. ad 3. in hæc verba, *Triplex est conversio in Deum: una quidem per dilectionem perfectam, quæ est creatura iam Deo fruentis. Et ad hanc conversionem requiritur*

gra-



*Gratia consummata. Alia conversio est, quæ est meritum Beatitudinis, & ad hanc requiritur habitualis gratia, quæ est merendi principum. Tertia conversio est, per quam aliquis præparat se ad gratiam habendam, & ad hanc non exigitur aliqua habitualis gratia, sed operatio Dei ad se animam convertentis, secundum illud, Convertite nos, Domine, & convertemur, & 3. part. quæst. 89. art. 1. ad 2. Actus, inquit, primus pœnitentis se habet, ut ultima dispositio ad gratiam consequendam, scilicet, contritio. Alii vero sequentes actus pœnitentiæ, procedunt iam ex gratia, & virtutibus. Sed quoniam Divus Thomas, quem ego auctorem libentissime sequor, 1. 2. quæst. 112. art. 2. ad 1. contrariam sententiam tenet, concedo, contritionem primam esse meritoriam gloriæ. Primo, quia est operatio amici Dei ordinata in finem supernaturalem; imo, ut ostensum est, in finem charitatis, ab ipsa charitate ordinata: ergo est meritoria.*

Præterea, ultima dispositio ad formam, in genere causæ formalis, posterior ipsa forma est. Igitur secundum ordinem causæ formalis, contritio a gratia procedit; erit ergo meritoria.

Præterea, fingamus hominem post primam illam contritionem e vita discedere, tum quæro an isti dabitur aliqua gloria? Quod quia negari non potest, quæro rursum: An illam gloriam talis homo meruerit? Si meruit, habetur intentum: si non meruit, ergo adulto seclusis Sacramentis datur gloria absque merito proprio, reclamante Paulo, primo ad Corinthios tertio, *Vnusquisque propriam mercedem accipiet, secundum suum laborem. Ex Matth. 20. Nemo diuturnum accepit denarium, nisi qui in vinea laboravit.*

Præterea, primus actus charitatis est meritorius, cum sine dubio, sit opus amici Dei; maxime placens Deo. Ioann. 14. *Qui diligit me, ego manifestabo ei meipsum.* Sed actus primus pœnitentiæ sequitur primum actum charitatis a quo proficiscitur, ergo est meritorius. Quod August. affirmat, de vera, & falsa pœnitentiâ, capite 17. ubi de iis qui in fine pœnitentiâ agunt; sic loquitur, *Cum fructifera pœnitentiâ opus sit non hominis, sed Dei; inspirare eam potest, quoniam vult sua misericordiâ, & ex misericordiâ remunerare, quos damnare potest ex iustitiâ.* Et cap. ult. ait, *Pœnitentiâ, non solum in-*

## 460 RELECTIO DE POENITENTIA.

*dulgentiam promittere, sed certa premia.* Gratianus etiam id habet de Poenit. dist. 1. cap. *Convertimini.*

Igitur ad argumentum, concedo libenter primam gratiam gratis dari; nego tamen exinde primam gloriam dari sine merito. Eadem enim contritio ut quatuor, & dispositio est ad gratiam, ut quatuor, & meritoria gloria, ut quatuor; qua ratione ordine naturæ gratiam sequitur. Et ad impugnationem, quia gratia est acceptatio ad vitam æternam, &c. Id, scilicet, ego nego si sermo formalis sit: sed est forma per quam aliquis est amicus Deo, per quam homini grato, & accepto, admissæque in divinæ naturæ consortium, facultas datur ad æterna bona, per operationem virtutum promerenda. Nec oportet formaliter loquendo, ut quis sit amicus Deo, quod Deus per talem amicitiam, seclusa quacumque operatione, velit illi vitam æternam. Sed satis est, quod velit illum ad participationem bonorum supernaturalium, quæ simpliciter faciunt homines bonos, qualis est charitas, & cæteræ virtutes infusæ, per quas admissus homo ad Dei amicitiam, & gratiam, æternam gloriam propriis actibus demeretur. De adultis loquimur, nam parvulis gratia datur per operationem alienam, similiter & gloria.

Cuius rei exemplum habes in anima, quæ quoniam actus primus est, dat esse & vivere. Hanc consequuntur potentia naturales, hoc est, intellectus & voluntas, per quas operatur ad consecutionem finis. Sic & gratia, vita quædam animæ est, quæ illi & vivere, & esse divinum præstat, quam charitas & reliquæ virtutes consequuntur; quarum operationibus finem suum homo consequetur. Nec deerit præter naturalia, morale quoque exemplum, in cuius rei expositione. Cum enim homo quis, gratus incipit esse principi, non est opus, ut per talem primam gratiam acceptus sit ad ultima præmia, atque præcipua, quæ videlicet princeps fideliter serviens præparavit; sed per talem primam gratiam intelligitur admitti in donum, consortiumque eiusdem principis, darique facultas intelligitur, ad præmia quæcumque fidelium amicorum promerenda. Cum autem apostolus ait, gratia Dei vitam æternam donari, certe sentit, quod Augustinus dissertissime docet, 3. Hypog-

nosticon, & de gratia, & libero arbitrio, cap. quarto, quinto, septimo, & decimo quinto per auxilium Dei gratuitum, eam homines consequi: cum tamen simul dicatur corona iustitiæ, quia nobis cooperantibus gratia Dei respondet, tanquam præmium, mercesque operis nostri. Atque de prima controversia, satis, superque fuerit disputatum. Vbi constitutum nobis est, *Pœnitentiam esse voluntariam pœnam pro peccatis assumptam, propter Deum ex charitate dilectum.*

## PARS SECUNDA.

### *De Pœnitentia ut virtute.*

**I**N secunda vero, id vertebatur in quæstionem, *An pœnitentia sit virtus*: Cuius quidem quæstionis pars negativa ex eo suadetur in primis, quod nulla virtus, vitium in eodem subiecto necessario supponit: at oportet hominem fuisse vitiosum, priusquam in homine pœnitentia sit: non igitur est pœnitentia virtus. Nam & absurdum est, virtutes se habere non posse, nisi ante peccaveris, & Christo Domino aliquam denegare, in quo omnium virtutum plenitudo est.

Quæstio.  
Ration. du-  
bitand. pro  
part. negat.

Deinde Philosophi nullam de Pœnitentia fecere mentionem: non Aristoteles, non Cicero, non Seneca, non denique Macrobius, qui tamen copiosissime de virtutibus disse-  
nuere: non ergo est pœnitentia virtus.

Præterea, cuiusque virtutis primus actus est electio boni, secundus vera fuga mali. Est enim virtus habitus electivus, in mediocritate consistens. At pœnitere, detestationem, fugamque peccati notat: non ergo potest esse præcipuus cuiusque virtutis actus; cum tamen primus actus pœnitentiæ sit. Quare, non est Pœnitentia virtus.

In contrarium est; quod compensare iniurias adversus homines factas, virtus est: ergo & divinas offensas vindicare, virtus sine dubio est.

Ad huius controversiæ pleniorẽ explicationem sit prima propositio.

*Pœnitentia est virtus. Quæ quidem conclusio indubitata* I. contr.  
apud.

apud Catholicos semper fuit : Nisi , quod nostra hac tempe-  
state , quidam apud Hispanos hæretici , irridere cœperunt  
eos qui de peccatis commissis tristarentur . Cuius erroris au-  
ctor creditur esse Lutherus , qui novam solummodo vitam  
a pœnitentibus exigit , pœnas non exigit . At hic error ( ne  
aures vestras sanctorum testimoniis obtundam ) ex sacris  
litteris revincetur . Baruch 2. *Anima , quæ tristis est super  
magnitudine mali , & intedit curva , & infirma , & oculi de-  
ficientes , & anima esuriens , aat tibi gloriam , & iustitiam  
Domino .* 2. ad Corinthios septimo , *Gaudeo , non quia contri-  
stati estis , sed quia contristati estis ad pœnitentiam , quæ  
enim secundum Deum , &c.* Et psalmo sexto , *Laboravi in  
gemitu meo , lavabo per singulas noctes lectum meum , & la-  
chrymis meis stratum meum rigabo .* Ecce Propheta sanctus &  
rex laborat , gemit , lachrymatur . Vbi ? in lecto : quantum ?  
rigat : quandiu ? per singulas noctes . Ob unam , scilicet ,  
noctem , quam in iniquitate contraxerat , vitæ totius labo-  
rem , gemitum , lachrymasque designat : & post tam cla-  
rum , & illustre Davidis exempulum , sunt qui in luce me-  
ridiana cæcutiant . Quorum stultitiam facile sane erit redar-  
guere , vel naturali ratiocinatione , quæ ostendit dolorem de  
peccatis moderatum , ob debitum finem , esse laudabilem .  
Nam , quem errati piget , quippe castigat seipsum , idque  
maxime cavet ne rursus in eisdem laqueos inducatur , is laude  
dignissimus est .

Præterea , si cuius rei prosecutio turpis est , fuga bona  
erit suapte natura : pœnitentia ergo , cum fuga peccati sit , ho-  
nestissima est .

Præterea , aliorum punire peccata iuræ naturæ , studio-  
sum est : quemque igitur sua vindicare facinora , æquum &  
iustum est .

Tandem , hominem in quem iniuste peccaris , placare ,  
virtus est , Deo ergo quem offenderis , satisfacere , virtus  
est . Sed quid nos audaces de bono divini præcepti dis-  
putamus ? ( Nam Tertulliani verbis (1) libenter utimur )  
bonum est pœnitere , an non ? quid revolvis ? Deus præcepit ,  
Deus

(1) In lib. de pœnitentia.

Deus hortatur, Deus invitat: Pœnitentiam, inquit, agite. Pœnitentia igitur actus virtutis est.

Secunda conclusio, *Pœnitentia est virtus specialis*. Contra- 2. concl.  
rium huius tenuerunt quidam ante D. Thomam, ut ipse Tho-  
mas auctor est, dist. 14. quæst. 1. art. 1. quæst. 3. Hos Sco-  
tus secutus videtur, dist. 14. quæst. 2. & Maior etiam quæst.  
2. Sed hac conclusione explicanda primum intelligamus, do-  
lere de peccatis, eo quod contra rationem rectam facta sunt,  
non pertinere ad aliquam specialem virtutem. Cum enim  
omnis virtus sit conformis rectæ rationi, eadem sufficit, & ut  
placeat quidquid rationi consentaneum est, & ut displiceat  
quod a recta ratione discordat. Vnde temperantia satis est, ut  
detestemur actus intemperantiæ, & iustitia, ut iniustitiam  
abominemur.

Illud etiam compertum habemus, tristitiam de peccato  
quatenus offensa Dei est, non requirere specialem virtutem  
præter charitatem. D. Thom. (2) quæst. 85. art. 2. ad 1. &  
art. 3. & ratio est in promptu. Nam per eandem amicitiam  
bonum amicis volumus, & mala amicorum avertimus.

Præterea, & id accipiamus, quod exploratum quoque  
est, dolere de peccato, ut languenti animo medicamur, non  
indigere alia virtute præter charitatem. Nam sicut ex amore  
naturali, medicinam apponimus morbis corporis, ita ex chari-  
tate, qua me ipsum diligo propter Deum, medicinam af-  
fero ægritudinibus animi. Atque ab eadem omnino charitate  
est, tritari de culpa, ut mihi conciliem Deum. Etenim,  
quæcumque humana actio, ob id parata, ut comparem ami-  
citiam hominis, nullam requirit specialem virtutem humanam,  
sed ex quodam desiderio amicitiae consequendæ proficiscitur,  
quod inchoatio quædam est, & veluti amicitiae semen. Tri-  
stari ergo de peccato, ut in gratiam Dei redeamus, inchoa-  
tio quædam est divinæ amicitiae, nec ad aliam virtutem per-  
tinere potest. Imo ad eam virtutis nomen non meretur, cum  
in genere amicitiae actus ille imperfectissimus sit, virtus au-  
tem sit dispositio perfecti ad optimum, ut ex Arist. 7. phys.  
lib. colligitur.

Tri-

Tristari ergo de culpa, eo fine ut compensetur offensa, quæ adversum Deum commissæ est, id nos asserimus exigere propriam, specialemque virtutem. Nam, ut dare Petro pecunias, si in se quidem absolute consideretur, nullam habet laudem; sed si do, ut relevem miseriam eius, actus est misericordiæ; si, ut bene illi faciam, scilicet, quia bonum ipsius est, ad benevolentiam & amicitiam pertinet; sin vero, tanquam donum gratuitum pecunias conféro, nempe ut suo loco & tempore, quibus decet distribuantur, ad virtutem liberalitatis spectat: Ita tristitiam assumere, ut iniuriæ Deo factæ compensatio fiat, a virtute speciali oriatur necesse est, cum finis ille tam specialis sit, ut pertinere ad duas virtutes nequeat, nedum ad plures. Diversa quippe formalia motiva voluntatis, diversæ sunt formales rationes obiecti, atque consequenter, diversos habitus, & virtutes efficiunt.

Præterea, si quem hæresis suæ pœniteat, ut emendetur offensa Deo facta, actus virtutis sine dubio est. Nec tamen potest elici a fide, quæ est in intellectu, sed ne ab aliis quidem virtutibus generaliter. Dabitur ego aliqua specialis virtus, unde ille actus existat, quam nos pœnitentiam appellamus.

Postremo, velle compensare iniuriam factam proximo, requirit specialem virtutem: ergo & velle compensare, ac vindicare iniuriam factam Deo.

Dubium.

Sed ex his oritur dubium, *Si pœnitentia virtus specialis est, an incidat in virtutem aliquam particularem earum quas Philosophi posuerunt?* Videtur enim esse eadem cum iustitia. Quod Duran. dist. 14. quæst. 2. asseruit, quia per eandem virtutem reddimus unicuique debitum, & illi satisfacimus, si intulimus iniuriam. Sed per iustitiam unicuique reddimus debita: Ergo. Et confirmatur, quia iniuriam factam, ad ius, æqualitatemque reducere, actus iustitiæ est.

Opinio Durandi.

Præterea, vindicatio species iustitiæ est; ergo & pœnitentia. Qod & D. Thom. affirmat, 3. part. quæst. 85. art. 3. ad 4. & art. 4.

Falluntur tamen qui hoc sentiunt. Primo quia inter Deum & homines, non est iustum simpliciter, sed secundum quid, D. Th. art. 3. iam citato ex Aristot. 8. Ethic. manifestat:

ergo cum pœnitentia sit virtus inter hominem & Deum, non reddit iustum nisi secundum quid. Non est igitur virtus iustitiæ, quæ videlicet æquale reddit. Deinde, religio debitum Deo reddit, & tamen non est iustitia. Non ergo, quæcunque virtus debitum Deo reddit, virtus iustitiæ est.

Quibus argumentis Caietanus commotus, tenuit pœnitentiam esse virtutem religionis. Quia eiusdem præterea virtutis est reddere debitum Deo benefactori & offenso: sed per religionem reddimus debitum Deo benefactori. Maior probatur, quia ratio debiti non variatur ex eo quod sit pro beneficiis, vel offensis, ut debitum ex accepto mutuo, vel ex furto, eiusdem rationis est. Cum ergo sola religio reddat debitum Deo, ratione accepti beneficii, sola debitum Deo reddat ratione factæ offensæ.

Opinio.  
Caietan.

Item Baruch 2. *Anima qua tristis est super magnitudine mali, hæc tibi gloriam, & iustitiam Domino.* Primum gloriam, deinde iustitiam. Et confirmatur hoc ex Psalm. 50. *Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliarum Deus non despicies.* Primus ergo actus pœnitentiæ, hoc est, contritio, sacrificium, opusque religionis est.

Sed hæc quoque opinio primum D. Thom. adversatur 4. dist. 14. quæst. 1. art. quæst. 5. & dist. 15. quæst. 4. art. 7. quæst. 1. ad 2.

Præterea & falsa est, quia religio non reddit Deo quodcunque debitum, sed honorem: ad pœnitentia per se quidem intendit compensare iniuriam Dei: assumit tamen ad hunc finem ea, per quæ compensatur iniuria, quæcunque illa sint. Vnde primum assumit tristitiam de vita veteri, deinde propositum vitæ bonæ, mox exteriorem pœnam & satisfactionem, denique in his omnibus subiectionem, (& humilitatem erga Deum. His enim homines humanas iniurias solemus compensare. Cum igitur finis pœnitentiæ proximus atque præcipuus non sit, honorem Deo reddere, certe religio esse non potest, cuius proximus finis est, reddere Deo cultum.

Præterea, non est eiusdem virtutis reddere debitum honorem principi, & ipsius offensam compensare. Illud enim ad observantiam pertinet, hoc ad iustitiam: ergo non est eiusdem virtutis Deum colere, & eius offensam satisfacere.

Dicendo ergo, *pœnitentiam esse specialem a cæteris virtutibus distinctam*, quas philosophi cognoverunt, cuius proprius *actus est, compensare offensam Dei*. Quæ quidem virtus, iustitia quædam est, qualis inter homines ad Deum esse potest. Ezech. 18. *Si autem impius egerit pœnitentiam & fecerit iudicium, & iusticiam*. Psalm. 118. *Feci iudicium & iusticiam*. Ad Roman. 6. *Sicut exhibuistis membra vestra servire iniquitati, ita nunc exhibete servire iustitiæ*.

Ad primum vero argumentum, quo suadebatur esse iustitia, iam videtur esse responsum. Nam iustitia, quæ proprie & simpliciter iustitia vocatur a Philosophis, non nisi inter eos est, inter quos æquale reddi potest.

Quare, in definitione iustitiæ, sicut ius pro æquali, iustoque sumitur, ita particula *unicuique* pro his solis distribuit, inter quos iustum & æquale est: & per hoc patet ad confirmationem, quæ de iniuria facta homini procedit. Nam pro iniuria facta Deo, æquale reddere, impossibile est.

Respond. ad argum. Caietan. Ad secundum, vindicatio non ponitur proprie species iustitiæ a Div. Thom. sed pars quædam adiuncta, & virtus illi propinqua. Has D. Thomas partes potestativas appellat virtutum: ut religionem partem iustitiæ, modestiam temperantiæ. Cum vero asserit, pœnitentiam esse speciem iustitiæ, latius usurpat speciei vocabulum, pro inferiori, quod se habet per modum speciei. Dixerat enim artic. 3. iustum dividi in iustum simpliciter, & iustum secundum quid. Quæ non est divisio generis in species.

Ad primum autem eorum, quæ faciebamus pro Caietani sententia, respondetur: quod religio non reddit debitum Deo pro beneficiis acceptis, si formaliter, & per se loquimur, sed gratitudo est, quæ refert Deo debitam gratiam pro acceptis beneficiis. Reddit autem religio debitum cultum, in signum dominii universalis, ratione cuius, patriam, cultumque debemus peculiarissimam servitutis. Ad quam virtutem nullo modo pertinere potest, debitum compensant, quod oritur ex delicto commisso.

Fateor tamen, quod si quæ virtus esset inter Deum & homines commutativa, qua redderemus debitum ratione cuiusquam commutationis, ad eandem quoque spectaret con-



penſure iniuriam factam Deo, quemadmodum inter homines accidit.

Sed obiicit: ſi primus actus virtutis huius eſt ſatisfacere pro delicto commiſſo, ad ſatisfactionem vero iniuria facta per accidens dolor intervenit: ergo poſſimus huius virtutis actus, non eſt poenitere: quocirca poenitentia ex accidenti vocabitur.

Ad hoc dubium facile eſt reſpondere, ſi teneamus, poenitentiam eſſe actum publicæ iuſtitiz, cuius, ſcilicet, Deus iudex eſt, poenitens miniſter: ſed ſi teneamus eſſe privatam iuſtitiam, atque vindictam ( ut antea diximus ) difficile eſt. Nam cum hæc vindicta, & inflictio pœnz accidentaria ſi ſatisfactioni voluntariæ, quam proximo facimus, profecto & accidentaria videtur eſſe compensationi, quam facimus Deo.

Hoc tamen movere nos nulla ratione debet: eſt enim inſigne discrimen inter homines offenſos & Deum, quod offenſus homo, ab offendente id primum exigit, non ut ſe torquet per pœnas, ſed ut reddat honorem ablatum per iniuriam: tametsi & illud quoque in partem compensationis accipiat, ſi iſ qui offendit, de offeſa præterita contriſtetur, At vero Deus e contrario id primum exigit, ut cum volumus peccatum admiſſum compensare, triſtemur haurimusque pœnas delicti commiſſi: id vero ſecundario requirit, ut honorem & reverentiam, quæ peccando detraximus, poenitendo rependamus. Cur ita? Nempe non ſuam, ſed noſtram quaerit utilitatem, quæ videlicet in pœnis voluntariè pro peccatis aſſumptis, maxima eſt. Nam ( ut Chryſoſtomus homil. 5. 6. & 7. ad populum, elegantiffime tradit ) nulla medicina aſpoſitor, nullum remedium præſentius adverſus peccata eſt, quam triſtitia, dolorque pro peccatis: & quemadmodum vermibus lignum, tinea veſtem e quibus prodiere conſummunt, ita pœna, matrem e qua nata eſt, hoc eſt, culpam interficit. Merito igitur, ea virtus per quam offeſis Dei compensamus, poenitentia nuncupatur, quæ videlicet pœnas voluntariæ indigit, quibus utique Deus vel maxime placatur, quoniam iis vel maxime homo ſanatur.

Ad primum argumentum eorum, quæ a principio opponebamus, ad ſuadendum poenitentiam non eſſe virtutem, reſpon-

Reſp. ad  
argum. in  
contr. pro-  
pos.

pondeo facillime: (nisi ego cæcitas) unicuique statui & conditioni suas virtutes esse tribuendas, Rectoribus iustitiam, pauperibus patientiam, peccatoribus pœnitentiam. Certe, virtus medicæ artis morbum supponit in subiecto, cui debet applicari. Quod si per hanc artem quisque sibi solum medderetur, idque optime posse, laus huius artis non exinde minueretur.

Eadem quoque ratione sunt quædam virtutes ad tuendam bonam valetudinem animi. Et virtus quoque est ad reparandam, si quando fuerit amissa: unde nego antecedens. Nam licet absolute virtus hominis non exigat prius hominem vitiosum, sed ex suppositione: tamen, si incidat in peccatum, nihil vetat, ut sit virtus ad medendum illi. Nam, & hominis natura integra non exigebat vindicationem: at si mali sint & prævaricatores, virtus necessaria est: non enim vindicamus nisi malefacta. Itaque sicut vindicatio sceleris alieni supponit vitium in alio, sic vindicatio sceleris proprii supponit vitium proprium. Atque ob id hæc virtus in Christo non fuit, sicut nec fides aut spes: quoniam imperfectionem in subiecto notant, cui adherent.

Ad secundum dicitur, nonnullos ex philosophis pœnitentiam commendasse. Senecam in tragediis, *Quem pœnitet peccasse, pene est innocens*. Periandrum Corinthium, *Cum peccaveris, iubeat te pœnitentia*. Aristotelem, 7. Ethicor. ubi assegit, intemperantem ab incontinente hoc distare, quod intemperans non pœnitet, ideoque est incurabilis: at incontinens pœnitet, ob idque morbus eius medicabilis est. Sed & Ovid. *Sepa, ait, levans panas, ereptaque lumina reddant, cum bene peccati pœnituisse, vident* (3).

At vero non posuerunt specialem virtutem pœnitentia, vel quia non consideraverunt virtutem, nisi in ordine ad bonum humanum: pœnitentia autem non est virtus specialis nisi in ordine ad divinam providentiam, quæ est responsio Divi Thom. dist. 14, quæst. 1, art. 1. quæst. 3. ad quartum, vel quod finis huius virtutis superat omnem hominis ratio-

nem.

(3) 1. de Ponso.

hem. Quod enim Deus concilietur, eiusque offensa compensetur per pœnas voluntarie assumptas, ratio naturalis non assequitur. Certe Tullius id fieri posse non putavit, cuius 3. Acad. lib. verba hæc sunt, *Quod si liceret, iis, qui in iunere decerrassent, sic vitam dextram securus, corrigere errorem pœnitendo, facilius esset emendatio temeritatis.* Quod si liceret, inquit; at licet plane: apud quos? nempe apud fideles, qui lumine fidei solum intelligunt clementiam Dei patris pœnitendo posse placari: indulgentiam peccatorum pœnitendo posse comparari: compensationem iniuriæ Deo factæ pœnitendo posse fieri: morbos omnes animi pœnitendo posse aboleri. Ea ratio naturalis non tenet: tenet fides.

Vnde postremam huius controversiæ conclusionem constituimus.

*Pœnitentia est virtus infusa.* Pro cuius confirmatione, quædam mihi sunt iacienda fundamenta. 3. Concl.

Primum, dupliciter aliquam virtutem esse infusam. Aut ex genere, & natura sua, quia videlicet per actus nostros acquiri, & generari non potest. Vnde necesse est, a Deo nobis supernaturaliter infundatur, quales Theologis asseruntur virtutes theologicæ, fides, spes, charitas. Aut virtus dicitur infusa per accidens, quia licet per actus nostros naturales acquiri possit, miraculose tamen alicui infunditur, ut scientia rerum naturalium Adæ collata, & usus linguarum collatus apostolis. Hic igitur de virtute infusa loquimur, iusta priorem modum. 1. Fund.

Secundum fundamentum ex 1. 2. quæst. 71. art. 4. non est alia causa necessaria ponendi habitus infusos a Deo, nisi ut homo se habeat ad producendos actus supernaturales. Probat manifeste, quoniam ad actus naturales, quos potentia eum auxilio Dei generali producere potest, non est opus habitu infuso supernaturali: cum per actus nostros possit habitus acquiri: quo bene potentia se habeat ad similes actus. Quare tunc; vel virtus acquisita superflueret, vel (ut dicamus verius) superflueret ipsa virtus infusa, quæ nihil aliud præstaret, quam quod præstet acquisita. 2. Fund.

Et proterea, talis virtus infusa, non esset primi generis, de qua nos loquimur, sed esset potius per accidens infusa.

Ter-

3. Fund. Tertium fundamentum, actus pœnitentiæ, qui sufficit ad iustificationem (quem Theologi contritionem appellant) non potest esse in homine, sine actu fidei supernaturalis; quod primum ostenditur ex August. in lib. de vera & falsa pœnitentia, cap. 2. ubi, *Si fides, inquit, fundamentum est pœnitentiæ, constat, pœnitentiã, quæ ex fide non procedit, inutilem esse.*

Nemo item potest bene agere pœnitentiã, nisi qui speraverit indulgentiam de pœnitentiã, dist. 1. cap. *Nemo potest ex Ambros. Sperare autem indulgentiam, non potest sine actu fidei: ergo, &c.*

Est quoque testimonium Hierem. præclarum, cap. 3. *Postquam convertisti me, egi pœnitentiã: & postquam ostendisti mihi, percussi femur meum.* Nota, *postquam ostendisti mihi.*

Idem aperte ostenditur, ex eo quod ad iustificationem impii requiritur fides, ut anno superiori copiosissime demonstravimus multis testimoniis irrefragabilibus, e quibus illud est præstantissimum, *Sine fide impossibile est placere Deo*, ad Hebræos 11. Et Sapient. 9. *Per sapientiã (quam scilicet, donum Dei de cælo delapsam ante dixerat) sanati sunt quicumque placuerunt tibi, Domine, a principio.* Ex hoc vos colligite omnes considerationes circa peccatum, quas ex naturalibus habere possumus, esse penitus insufficientes ad pœnitentiã qua homo iustificatur. Contra Scotum, dist. 14. quæst. 2.

4. Fund.

Quartum fundamentum, actus pœnitentiæ qui est sufficiens ad remissionem peccatorum, non producitur a voluntate cum solo concursu Dei generali, sed eget auxilio supernaturali Dei, quo ipse moveat voluntatem nostram ad veram pœnitentiã. Id quod & certa ratio docet, & confirmat auctoritas (ut ait Bernardus, serm. 1. in festum Petr.) Divus quoque August. de fide ad Petrum, cap. 41. *Firmissime, inquit, tene, neminem hic posse pœnitentiã agere, nisi quem Deus illuminaverit, & gratuita sua miseratione converterit.* Et lib. 5. contra Julian. Pelagianum, cap. 3. & multis aliis locis id probat ex apostolo ad Roman. 2. ubi ait, *Bonus Dei ad pœnitentiã te adducit.* Et ex illo, secundæ ad Timoth. secundo, *Ne forte Deus det illis pœnitentiã, & respiciant a diaboli laqueis.*

Præterea, hoc fuit determinatum contra Pelagium, ut patet

tet in epistola Aurelii Carthaginensis episcopi, de erroribus, & condemnatione Pelagii (4).

Dicimus, inquit Catholici, postulandus (scilicet Pelagius) ut fateatur, secundum gratiam, & misericordiam, Dei, veniam pœnitentibus dari, non secundum meritum eorum, quandoquidem ipsam pœnitentiam donum Dei dixit apostolus, ubi ait. de quibusdam, *Ne forte det illis Deus pœnitentiam.*

Idem definit Leo Papa, epistol. 69. ad Theodorum episcopum, *Ipsam pœnitentiam ex Dei credimus inspiratione conceptam, dicens apostolo, Ne forte det illis Deus pœnitentiam, &c.*

Est quoque definitum a Cælestino Papa, in epistola ad omnes Galliarum episcopos, cap. 4. Neminem de ruina peccati per liberum arbitrium posse consurgere, nisi eum gratia Dei miserentis erexerit. Et cap. 8. ac 9. *Præparatur voluntas a Domino, & ut aliquid agat, paternis inspirationibus suorum ipse tangit corda fidelium. Qui enim spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei. Quod & a concil. Trid. sess. 6. & cap. 5. 7. 9. definitum & canon. 3. Si quis dixerit, sine prævenience Spiritus Sancti inspiratione, atque eius adiutorio hominem pœnitere posse, sicut oportet, ut ei iustificationis conferatur, anathema sit.*

Cuius rei manifestum testimonium habes apud Hierem. cap. 31. *Converte me, Domine, & convertar, qui. tu, Domine, Deus meus. Postquam enim conversisti me, egi pœnitentiam.* In quæ verba Hieronym. *Vide, inquit, quantum sit auxilium Dei, & quam fragilis humana conditio, ut hoc ipsum quod pœnitentiam agimus, nisi nos Dominus ante converterit, & nisi Dei nitamur auxilio, nequaquam implere valeamus.*

Ratione quoque id probat D. Thom. 4. contra gent. cap. 72. quia mens debite ad Deum converti non potest sine auxilio speciali. Quod licet Gabr. neget, 3. dist. 27. quæst. unica, art. 3. & 4. dist. 14. quæst. 1. & 2. sed apud fideles certum esse debet. Hierem. 31. *Psalm. 79. Domine Deus virtutum converte nos.* Vide August. in illud *Psalm. 84. Deus circum-*

---

(4) Et est 72. in ordine epistola Leon. Pap. in editione Parisiis.

*versus vivificabis nos.* Et lib. 2. de peccato. merit. & remiss. cap. 18. Male igitur, & periculose Caietanus, quast. 1. de contritione dicit, quod potest quis diligere Deum super omnia, etiam ut est beatitudo sanctorum, sine charitate infusa, & hoc sine etiam posse esse dolorem acquisitum de peccato, quatenus est offensa Dei.

Quibus iactis fundamentis, tertia conclusio firma persistit, *Ad actum poenitentiae necessarium esse habitum virtutis infusam.* Quoniam hic sola ratione ponimus virtutes theologicas infusas, quod actus earum excedunt naturae facultatem. Sed actus poenitentiae est huiusmodi: ergo.

Confirmatur 1. Poenitentia disponit animam hominis ut bene se habeat in ordine ad finem supernaturalem: ergo est habitus supernaturalis. Consequentia patet, quia habitus est dispositio animi in ordine ad operationem: ergo si operatio est naturalis, habitus erit naturalis; & si operatio est supernaturalis, habitus erit supernaturalis.

Confirmatur 2. Quia Deus suaviter disponit omnia: ergo cum actum perfectum virtutis naturalis non producat sine habitu naturali, neque actum etiam supernaturalem perfectum virtutis producet, sine habitu supernaturali.

Et praeterea, cum agens naturale non se extendit ultra finem naturae, non potest producere habitum poenitentiae, quae videlicet perficit hominem in ordine ad finem excedentem naturae facultatem. Est ergo poenitentia habitus infusus a Deo, per quam poenas eligimus ad divinas iniurias in nobis ipsis vindicandas. Atque hactenus de secunda controversia dictum sit.

## PARS TERTIA.

### *De necessitate Poenitentiae ut virtutis.*

Quaestio. **T**ertio loco id querebatur, *an poenitentia virtus sit absoluta, & iustificationem necessaria?* Nam pars negativa vera esse videtur ex Origine, homil. 2. in Levit. ubi septem media enumerat idonea ad consequendam remissionem peccatorum.

Primum est baptismus, ad Titum 3. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis.* Secundum est charitas, Luc. 7. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* 1. Petri 3. *Charitas operit multitudinem peccatorum.* Tertium est martyrium, Ioann. 15. *Maiorem charitatem nemo habet, quam ut animam suam ponat pro amicis suis.* Et Matth. 10. *Omnis qui confitetur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo, & qui perdidit animam suam propter me, inveniet eam.* Quartum est eleemosyna, iuxta illud Lucæ 11. *Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.* Et Thobix 4. *Eleemosyna ab omni peccato, & a morte liberat.* Quintum est remittere iniuriam, Matth. 6. *Si dimiseritis hominibus peccata eorum, & pater vester cælestis dimittet vobis delicta vestra.* Sextum est, convertere peccatorem ab errore viæ suæ, Iacobi 5. *Qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, operiet multitudinem peccatorum.* Septimum tandem est pœnitentia, cum lavat peccator in lachrymis stratum suum, Ezech. 18. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, omnium iniquitatum eius non recordabor.* Eadem fere Augustinus, lib. 2. contra Cresconium grammaticum, cap. 12. Eadem quoque Chrysostom. in epistolam ad Corinth. 2. homil. 4. Cum ergo pœnitentiam distinguant Origenes, & Augustinus a cæteris remediis, quæ ad remissionem peccatorum singula sunt idonea, fit consequens ad remissionem peccatorum pœnitentiam non requiri. Et confirmatur ex eodem Chrysostom. homil. 5. ad Antiochen. ubi docet, & tristitiam, & mortem de peccato utramque natam esse, peccatum utramque destruere, ut in pœnitentibus, & martyribus. Et homil. 22. ad eosdem, cum dixisset, compunctione, atque eleemosynis regnum cælorum emi, subdit: *Non habes pecunias? Non compunctionem? Ecce clamat propheta dicens, Quis est homo, qui vult vitam? Prohibe linguam tuam a malo, labia tua ne loquantur dolum; & in salute tibi sufficiet.*

Secundo principaliter pro eadem parte argumentor. Si cui non occurrat: memoriæ peccata, occurrat autem divina bonitas, poterit ex eiusmodi consideratione in actum dilectionis exire, quem si habeat, proculdubio iustificabitur. Per solam igitur dilectionem, cum peccata in mentem non ve-

niunt, potest homo iustificari : quocirca non est poenitentia, ad iustificationem necessaria.

Confirmat autem hoc vel maxime, quod peccata commissa nonnunquam e memoria penitus excidunt, ita ut revocari non possint, idque vel per morbum, vel etiam per angustiam temporis, quemadmodum si oscitantem Christianum de improvviso tyrannus opprimat, nec spatium sit ad cogitanda, & deflenda peccata. Quare non oportet in omni eventu poenitere, sed in huiusmodi poterit homo sine poenitentia servari.

Ultimo, contingit aliquem esse multis criminibus perplexum, atque involutum : Si ergo poenitentia esset ad remissionem peccatorum necessaria, opus esset singulorum poenitere, cum par sit ratio de singulis; quo fieret, ut non posset huiusmodi in momento iustificari.

Pro parte vero affirmativa thema nostrum apertissime facit : *Nisi poenitentiam habueritis*. Necessaria est igitur poenitentia, ne pereamus.

Huic questioni priusquam ego respondeam, illud suppono. Cum duplex poena sit, altera interior, hoc est, dolor animi, altera exterior, hoc est, afflictio corporis, duplicem ex consequenti poenitentiam esse : alteram interiorem, de qua 2. ad Timoth. 2. *Ne quando det illis Deus poenitentiam : & Actorum 2. Poenitentiam agite, & baptizetur unisquisque vestrum*. Alteram vero exteriorem, de qua 2. Corinth. 7. *Qua secundum Deum tristitia est, poenitentiam in salutem stabilis operatur*. Et Matth. 11. *Olim in cilicio, & cinere poenitentiam egissent*.

Tunc sit prima conclusio. *Poenitentia interior est necessarium remedium ad remissionem mortalium peccatorum*. Actor. 3. *Poenitemini, & convertimini, ut deleantur peccata vestra*. Ezech. 18. *Si impius egerit poenitentiam ab omnibus peccatis suis, vita vivet, & non morietur*. Nullum enim aliud proponitur poenitentibus medium, unde & cap. *Firmiter*, de summ. Trinit. definitur, quod si quis post baptismum prolapsus fuerit in peccatum, per veram semper potest poenitentiam reparari.

Item, Apocal. 2. *Memor esto unde excideris, & age poenitentiam, & prima opera fac : Sin autem, veniam tibi cito, & movebo candelabrum tuum de loco suo, nisi poenitentiam egeris*.

Præ-



Præterea, ad Ephes. 4. & ad Colossens. 3. *Vos non ita didicistis Christum, sed sicut est veritas in Iesu, exuite vos veterem hominem, & induite novum.* At induitur novus per amorem boni: exuitur ergo vetus per odium vitæ prioris.

Præterea, Eccles. 21. *Fili peccasti? non adicias iterum, sed de pristinis deprecare, ut tibi dimittantur.* Quæ verba tractans Augustin. lib. 1. de nupt. & concupisc. cap. 26. inquit, *Si a peccando desistere, hoc esset non habere peccatum, sufficeret ut hoc nos scriptura moneret, fili peccasti, non adicias iterum. Non autem sufficit, sed addidit, & de pristinis deprecare, ut tibi dimittantur.* Divus Thomas, de verit. quæst. 22. art. 5. & 12. quæst. 113. 2. 3.

Præterea, qui novam vitam, cesationemque a peccato solummodo ad iustificationem, remissionemque præfiniunt, hi dominicam præcationem de medio tollunt, qua dicimus, *Dimitte nobis debita nostra, &c.* Imo memoriam peccatorum antecedentium conantur abolere, qua nihil peccatori salubrius est. Psalm. 50. *Quoniam iniquitatem meam, &c.* Vide Chrysost. hom. 9. in epist. ad Hebræos.

Præterea, Luca 5. *Non egent qui sani sunt medico, sed qui male habent. Non enim veni vocare iustos, sed peccatores ad penitentiam.* Et cap. 15. *Gaudium erit in cælo super uno peccatore penitentiam agente, quam super nonaginta novem iustis, qui non indigent penitentia.* Quod, & in concilio hoc Trident. sess. 6. cap. 14. modo definitum est. Nam sanctorum testimonia hoc loco congerere, fuerit in re non dubia, testibus uti non necessariis. Si quis tamen ea nosse cupit, multa colligit Gratianus, de penitentia, dist. 1. de Roffens. art. 5.

Neque post tam firma sacrarum literarum argumenta, rationibus hanc conclusionem confirmare necessarium est (1). Nam rationes ferme, quæ a Theologis in fidei catholicæ confirmatione referuntur, ex coniectura pendent, nullam vim afferunt in docendo. Nos vero, cum adversus hæreticos disputamus, argumenta quærimus, quæ non persuadeant

Ooo 2

mo-

---

(1) Vide D. Thom. quæst. 86. art. 2. & 1. 3. quæst. 113. art. 5. de verit. quæst. 28. art. 5.

modo, sed cogant: & tamen in hac parte si quis Theologus afferat rationem, non asperner: si non habeat, non admendum flagitem. Nos certe congruentissimam insinuavimus: quod pœnæ medicinæ sunt adversus peccata appotissimæ: eoque præsertim, quod tristitia, atque dolor humilitatem inducunt, superbiam excludunt, quæ morborum humani generis prima causa est. Contritam manum, vel brachium, levare non possumus: *Sic maror in corde viri humiliabit illum.* Proverb. 12. Vide Chrysost. homil. 3. in Matth. & 11. ad populum Antiochen.

Præterea nihil est quod ita animum humanum contineat, & frænet, quam pœna. Ut igitur homines peccata vitarent diligentius, in quæ semel decidissent, pœnis ac timore cohiberi debuerunt. Atque, ut Augustin. ait, & habetur de pœnitentia, dist. 1. cap. *Nullus*, ita impartitur Deus misericordiæ largitatem, ut non relinquatur iustitiæ disciplina, si quidem naturalis ratio postulat, ut legum prævaricatores, iusta vindicta puniantur.

2. *Concl.*

Secunda conclusio. *Exterior pœnitentia est quoque ad salutem necessaria.* Hanc mox equidem demonstrabo, si prius unum illud admoneam, actus exteriores ad salutem necessarios esse, in hunc sensum, ut si facultas adsit, habeantur in re, si non adsit, habeantur in voto. Verbi causa. Baptismus dicitur esse ad salutem necessarius; quoniam si haberi possit, sine illo nemo salvatur. Si haberi non possit, sine voto illius, salus constare non valet. In hunc igitur sensum nos asserimus pœnitentiam exteriorem, esse ad salutem necessariam, quoniam nemo unquam qui eam agere potuit, sine ea salutem consecutus est: Nec qui agere non potuit, sine illius voto & desiderio.

Primum ergo argumentum pro hac conclusione est testimonium Concilii Trident. sess. 6. cap. 14. *Docendum est, inquiunt patres, christiani hominis pœnitentiam (quam secundum post naufragium tabulam sancti Patres apte nuncupaverunt) multo aliam esse a baptismali, eaque contineri, non modo cessationem a peccatis, & eorum detestationem, aut cor contritum & humiliatum, verum etiam eorundem sacramentalem confessionem, saltem in voto. Itemque satisfactionem per ieiunia, elemosynas, orationes, & alia pia spiritualis vite exercitia. De qua*

*qua pœnitentia scriptum est : Memor esto unde excideris , age pœnitentiam , & prima opera fac . Et iterum , Qua secundum Deum tristitia est , pœnitentiam in salutem stabilem operatur . Et rursus , Pœnitentiam agite , & facite fructus dignos pœnitentia .* Hactenus concilium .

Atque hæc fere sacrarum literarum testimonia magna ex parte conclusionis huius veritatem ostendunt . Nam & illud apost. 2. ad Corinth. 7. *Tristitia qua secundum Deum est pœnitentiam , &c.* de exteriori intelligendum esse , superius admonuimus . Tristitia enim interior , quæ secundum Deum est , pœnitentiam ( videlicet exteriorem ) in salutem stabilem operatur . Vera enim pœnitentia interior intelligi non potest , quam non exterior consequitur . Baruc 2. *Anima qua tristis est , & incedit curva , & infirma .* Et David Psalm. 5. *Laboravi in gemitu meo , lavabo per singulas noctes lectum meum , & lachrymis meis stratum meum rigabo .* Et Lucæ 7. *Mulier illa peccatrix lachrymis rigavit pedes Domini .* Illud quoque Matth. 3. *Facite fructum dignum pœnitentia : iam enim securis ad radicem arboris posita est . Omnis ergo arbor , qua non facit fructum bonum , excidetur , & in ignem mittetur ,* de exteriori satisfactione accipiendum esse , communis sensus Catholicorum manifestat , qui hunc locum maxime referunt adversus Lutherum , ad asserendam satisfactionem exteriorem pœnitentiæ . Tum & Chrysostomus docet , homil. 10. in Matth. his verbis , *Maxime indigemus compunctione pœnitentiæ , multarumque lachrymarum . Pœnitentiam vero dico , non solum ut a malis prioribus desistamus , verum etiam , ut bonorum operum fructibus impleamur : Facite , inquit , fructus dignos pœnitentiæ : quo autem modo fructificare poterimus ? Si utique peccatis adversa faciamus . Aliena rapuisti ? incipe donare iam propria . Longo es tempore fornicatus ? a legitimo quoque usu suspendere coniugii . Iniuriam fecisti ? refer benedictionis verba conviciis : neque enim vulnerato sufficit ad salutem , tantummodo spicula de corpore evellere , sed etiam remedia adhibere vulneribus . Delicium ante & remulentiæ disfluebas ? ieiunio , & aqua potu utrumque compensa .* Hactenus Chrysostomus . Denique sic illum locum esse interpretandum , evangelicus stylus ipse declarat , ubi fructus arboris , opera exteriora , quæ a bona voluntate tanquam radice , procedunt , asseruntur . Matth. 7. *A fructibus eorum cognoscetis eos .*

## 478 RELECTIO DE POENITENTIA

Præterea & apostol. ad Rom. 6. hanc conclusionem docet, inquit: *Humanum dico propter infirmitatem carnis vestra: sicut exhibuistis membra vestra servire iniquitati, ita nunc exhibite membra vestra servire iustitiæ.*

Nec id solum procedit in lege evangelica, sed in omni sive naturæ, sive scripturæ: hoc enim peculiare habuit lex nova, (ut Divus Thomas auctor (2) est) quod determinat in particulari, ea quæ in lege naturæ erant indeterminata. De iure, inquit, naturali est, ut aliquis pœniteat de malis quæ fecit, quantum hoc quod doleat se fecisse, & doloris remedium quærat, per aliquem modum, & aliqua etiam signa doloris ostendat, sicut Ninivitæ fecerunt. Sed ea pœnitentia, determinationem accepit, ex institutione divinæ legis. Sicut ergo in nova lege, necessaria est ad salutem utraque pœnitentia, & interior, & exterior, ita etiam in lege naturæ atque scripturæ, necessaria erat.

Præterea Iohel. 2. *Convertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, & fletu, & planctu.* Quo testimonio ad hoc corroborandum, utitur Ambros. (3) ad virginem lapsam, cap. 8. *Pœnisudo, inquit, necessaria est, sicut vulneris sunt necessaria medicamina: Sed quanta putas; & qualis necessaria pœnitentiæ? Secundum conscientia molem, exhibenda est pœnitentia magnitudo: non enim verbis agenda est, sed & actu. Hac autem sic agitur, si tibi ante oculos ponas, non aliud remedium post baptismum, constitutum esse, quam pœnitentia solatium. Tum imprimis proprii facti tu ipse iudex esto crudelior, & quasi mortuum te existimans, quomodo possis reviviscere cogita: deinde, mens, ac membra singula, digna castigatione punienda: totum corpus crucietur, dicit enim Dominus: Convertimini in toto corde vestro, in ieiunio, & fletu, & planctu, &c. Et infra, Qui futuras pœnis in hoc parvo vitæ spatio compensaverit, seipsum ab æterno iudicio liberat: grandi plaga alta & prolixa opus est medicina, grande*

---

(2) 3. part. quæst. 84. art. 7. primum. (3) Pœnitentiam agere ad exteriorem satisfactionem refert Ambros. sic. D. Thom. Matih. 3. & 4. dist. 22. quæst. 2. art. 3. quæst. 4. ad. 2.

*de scelus granlem habet necessariam satisfactionem.*

Idem etiam elegantissime docet Chrysostom. (4) in epistolam ad Hebr. homil. 9. ubi nec veretur dicere, medicamentum fortius, quod maxime operetur in pœnitentia, exteriorẽ satisfactionem esse. Quemadmodum in medicamentis compositis, una herba est dominantissima. Et homil. 5. de pœnitentia dicit, eam esse mortuam sine elemosyna.

Idem quoque docet Cyprian. sermone 5. de lapsis, circa finem. *Orate oportet impensius, & rogare, diem lectu transigere, vigiliis noctes ducere, &c.*

Præterea (ut in relectione anni superioris nobis monstratum est) cum ambarum partium, & spiritus & carnis peccatum commune sit, necessarium erat, ut esset remedium quoque commune, totusque homo interior & exterior pœnas lueret peccatorum. Præterea, cum ex misericordia Dei pœna æterna pœnitenti in temporalem commutetur, (æterna autem futura erat, non solum animæ, sed etiam corporis) consequens fit, ut peccator pœnæ temporali, non solum animæ, verumetiam corporis relinquatur obnoxius. Sic enim Deus impartitur misericordiæ largitatem, ut non relinquatur iustitiæ disciplina. De pœnitent. dist. 1. cap. Nullus, ex August.

Ad 1. argumentum, iam ante ex D. Thom. responsum est, omnia illa remedia post peccatum mortale nulla esse, si pœnitentia desit, quemadmodum & August. lib. 2. contra Cresconium dixit, sine charitate, quæcumque alia remedia, (quæ multa enumerarat) non prodesse: v. g. fidei remissio peccatorum tribuitur: item & elemosynæ. At apostolus inquit, *Si charitatem non habuero, &c.* Sed quoniam hæc generalis responsio non videtur idonea, speciatim responderetur ad singula.

Et quidem, baptismus an sine pœnitentia peccata remittat, scholastici auctores in duas factiones, extremas, atque adversissimas distrahuntur. Nam quidam contendant omnes nervos, ut suadeant, baptismum, nisi contrito, admi-

Resp. ad  
argument.  
in contr.  
proposita.

## 480 RELECTIO DE POENITENTIA.

ministretur , prodesse nihil. Cui opinioni adhaerent Gabriel dist. 14. quæst. 2. & Adrianus quæst. 1. de pœnitentia & quodlibeto 5. art. 3. Quibus & D. Thom. favere videtur 3. part. quæst. 86. art. 2. & 3. & quæst. 68. art. 6. ad 3. ubi asserit , quod ad effectum baptismi percipiendum , licet non requiratur pœnitentia exterior , requiritur tamen interioris pœnitentiæ virtus : virtus autem pœnitentiæ contritio est , cum sine actu charitatis non reperitur : ergo , &c.

Item super epist. ad Roman. cap. 1. lect. 4. dicit, quod contritio cordis requiritur ante baptismum : alioquin ficte ad baptismum acceditur.

Atque habent qui sic opinantur , ea pro se argumenta maxime , quæ nos retro fecimus , ut ostenderemus iustificationem peccatoris sine actu charitatis esse non posse : Quæ hic repetere (ne longum sit) supervacaneum existimavi.

Habent & illud ex August. (si Augustino tamen hoc opusculum tribuendum est) is ergo (seu quisquam alius eius libri fuerit auctor) ad fratres in heremo sermone 11. *O compunctio , inquit , sine qua infructuosa est omnis confessio , omnis satisfactio inanis , sine qua adultis non valet baptismus.*

Sed expresse tamen lib. 7. contra Donatist. cap. penultimo, & habetur de consecr. dist. 4. cap. *Solet* , baptismum asserit , non prodesse iis , qui non habent charitatem , probatque ex illo apostoli prioris ad Corinth. 13. *Si tradidero corpus meum , ita ut ardeam* , &c. Præterea , Act. 3. *Pœnitimini & convertimini ut deleantur peccata vestra* : ergo conversio requiritur , quæ non est sine charitate , ut ante ostensum est. Loquebatur autem , antequam baptizarentur.

Poster.  
opinio.

Hæc & multa alia dicuntur ab iis Theologis , qui priorem opinionem de baptismo tuentur. Sed exoriuntur ex alia parte adversarii qui astruere videntur , non requiri aut contritionem , aut attritionem , sed satis esse pœnitentiam virtualementem , hoc est, velle suscipere baptismum institutum ad remittenda peccata , & id sine complacentia in peccatum. Quem in modum loquitur Ambros. lib. 3. de Sacramentis cap. ultim. *Quod etiam si non confiteatur peccatum qui venit ad baptismum tamen hoc ipso implet confessionem omnium peccatorum*, quo bap-

baptizari petit ut iustificetur, & ita Sacramentum baptismi, iuxta communem expositionem, vocatur pœnitentia ad Hebr. 6. *Impossibile est, renovari ad pœnitentiam.* Et Luc. ultim. *Operabatur predicari in nomine eius pœnitentiam, & remissionem peccatorum in omnes gentes.* Vbi, quæ Matth. de baptismo dixit, Lucas refert de pœnitentia. Idem videtur nonnullis Scotus sentire, dist. 14. quæst. 4. & Caiet. 3. part. quæst. 86. art. 2. & probatur ex Ambr. in illud epistolæ ad Roman. *Sine pœnitentia sunt doni Dei.* Gratia Dei in baptisate non quærit gemitum aut planctum, sed solam ex corde professionem. Et quia, quæ graviter peccantur, non nisi fletu & gemitu ad veniam pertinent, ideo illos iam non accipere veniam putarent, quia dolore illos non videbant, ostendit hoc inter primordia fidei non requiri.

At vero D. Thom. & communis Theologorum sententia, inter has extremas media est, in cuius expositionem, sit prima conclusio, de qua ego non dubito.

*Ante baptismum requiritur in eo qui peccavit mortaliter aqua pœnitentia interior, scilicet, displicentia formalis detestatioque peccati.* D. Thom. 3. part. quæst. 86. art. 2. ad 1. Glosa ordinaria in illud Matth. 3. *Pœnitentiam agite.* August. de vera & fals. pœnit. cap. 8. & de fide ad Pet. cap. 30. *expresse, & lib. de fid. & oper. cap. 6. & 8. & lib. 50. hom. 27. cuius verba habentur de cons. dist. 4. cap. Omnis.* Nemo potest novam vitam inchoare, nisi eum veteris pœnituerit. Probat autem August. id duobus testimoniis sacrarum literarum. Primum est ad Colos. 3. *Exuite vos veterem hominem, & induite novum, qui secundum Deum creatus est.* In baptismo enim, proprie novus homo induitur: ergo prius debet exui vetus homo, quam novus induatur. Sed novum induit homo, per hoc quod eligit novam vitam: ergo, & veterem exuit, per hoc quod detestatur antiquam.

Secundum testimonium habetur Act. 2. *Pœnitentiam agite & baptizetur unusquisque vestrum.* Et Dominus etiam non baptizatus loquebatur, inquiens: *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis.*

D. Chrysostom. homil. 10. in Matth. hoc colligit ex eo quod baptismus Ioannis fuit preparatorius Baptismi Christi, & vocatur baptismus pœnitentiæ. Luca 3. Matth. ergo in re-

missionem peccatorum erat baptismus Ioannis, non quod peccata remitteret, sed quod per poenitentiam quam prædicabat, disponebat ad baptismum Christi.

Hoc etiam definitum est nunc in Concil. Trident. sess. 6. cap. 6. quod videlicet ante baptismum, oportet esse poenitentiam, id est, odium & detestationem peccatorum, ex eo quod Actor. 2. dicitur: *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum.*

Nec hanc conclusionem aut Scotus, aut Caietanus negarent (quantum ego sentio) nusquam enim asserunt, omni displicentia etiam imperfecta remota, baptismum recte a peccatore suscipi. Nec Ambrosius etiam unquam somniavit, (ut patet legenti caput illud ultimum lib. 3. de Sacramentis) peccata in baptismo remitti sine quocunque dolore interiori.

4. Concl.

Secunda propositio. *Non requiritur actus perfectus poenitentia virtutis, ut peccator sit dispositus ad suscipiendum effectum baptismi: sed satis erit imperfectus dolor, quem Theologi attritionem appellant.* D. Thom. 4. dist. 6. quæst. 1. art. 3. quæst. 1. ad 5. & super cap. 11. Ioannis lect. 9.

Hæc vero propositio non aliter a me probatur, quam in relectione anni superioris probatum est, omnia quidem nova Sacramenta gratiam vitamque conferre, sed potissimum baptismum, quod nisi vitam peccatoribus conferat, non video cur Sacramentum regenerationis appelletur. At si contritio semper præcederet tanquam dispositio, nunquam baptismus culpam mortalem remitteret, sed solum poenam. Quare gratiam in eo confiri adultis non oporteret, quæ videlicet ad remissionem poenæ non requiritur.

Questio.

Exoritur tamen hoc loco quæstio valde difficilis, & ad hanc propositionem explicandam necessaria, qua queritur discrimen inter attritionem & contritionem, unde liqueat quidnam attritio sit, quæque sit illa, per quam virtute Sacramenti fiat homo ex attrito contritus. Nam D. Thom. 4. dist. 17. quæst. 2. art. 1. quæst. 2. ad 3. solum asserit attritionem esse displicentiam imperfectam, contritionem vero esse displicentiam perfectam. At hinc re vera non habetur quid attritio sit, quæve sit illa imperfectio, qua a contritione distinguitur. Variis



ergo aliorum de hac re opinionibus prætermisissis, supponendum in primis est, displicentiam ideo perfectam dici, quia nihil illi deest eorum, quæ ad finem displicentiæ consequendum sunt necessaria. Est autem finis displicentiæ, seu doloris de peccato multiplex, ut a principio huius disputationis constituimus.

Primus, vindicare iniuriam factam Deo. Alter, eiusdem Dei amorem conciliare. Tertius, peccatum, ut malum & inimicum animæ, destruere, atque abolere. Erit igitur ea perfecta pœnitentia, & displicentiæ de peccato quæ habebit hos tres fines & effectus. Qui quidem omnes mutuo hærent, nec quisquam illorum sine reliquis invenitur. Qui enim dolor iniuriam Dei emendat, idem & concilia nobis Deum, & peccatum commissum delet.

Quibus iactis fundamentis, patet manifeste, displicentiam imperfectam eam esse, quæ nec sufficiens est ad emendandam Dei iniuriam, nec ad gratiam ipsius sarcientiam, nec ad peccatum destruendum. Vnde colligitur, hanc imperfectam displicentiam, multipliciter homini contingere: multis enim modis contingit a perfecto declinari.

Primum itaque generis imperfectæ displicentiæ est, cum quis dolet de peccato propter humana naturaliaque motiva: ut, quia turpe est & contra rationem: vel quia induxit infamiam, vel etiam quia contrarium Deo est, quatenus finis est & principium naturæ. Hoc autem displicentiæ genus, quod videlicet sola ratione naturali nititur, an Theologi appellaverint attritionem me profecto latet. Sed quum sit quidam imperfectus dolor, qui interim frangere & atterere animum potest, licet non perfecta nos attritionem eam nuncupamus. Vide Aug. de vera & falsa pœnitentia cap. 2. & 9.

Secundum generis imperfectæ displicentiæ est, quæ oritur a timore peccatorum. Partes vero intelligo spirituales vel æternas, quæ lumine fidei cognoscuntur: & hanc Doctores scholastici omnes, attritionem vocant atque de ea August. de vera & falsa pœnitentia, cap. 17. loquitur, tractans illa verba Ezech. *Quicumque homo peccator ingemuerit & conversus fuerit, vita vivet.* Conversum ait non tantum versum vita vivere: vertitur a peccato, qui iam vult dimittere peccatum: Convertitur qui iam totus & omnino vertitur. Qui iam non solum

## 484 RELECTIO DE PŒNITENTIÄ.

pœnas timet, sed ad bonum Domini contendere festinat. Dixerat autem pœnitentiam quæ impetrat vitam, non a solo timore, sed a charitate proficisci. Hanc etiam attritionem tanquam insufficientem reicit Ambros. lib. 2. de pœnitent. cap. 9.

Tertium imperfectæ displicentiæ genus invenitur, cum quis dolet quidem de peccato qua ratione offensa Dei est, sed ex velleitate, non ex volitione absoluta, & efficaci: habet enim desiderium imperfectum placendi Deo, dimittendi peccatum, &c. Sicut & dilectio Dei imperfecta, potest appellari volitio qua Deo vellem bonum & gloriam, ipsique placere in omnibus, desiderio tamen imperfecto, sic & nolle Dei offensam, est imperfecta displicentia; nam perfecta efficax, & absoluta est, quæ ex dilectione Dei efficaci & absoluta nascitur. Hunc vero imperfectum dolorem Caietanus quæst. 1. de contritione, (ac iure ille quidem) attritionem vocat.

Si hæc nobis fuerint diligenter inspecta, facile coniciemus discrimen inter attritionem, & contritionem.

Primum ab effectu, quia contritio peccati remissionem facit, attritio non facit.

Alterum a principio, quod contritio ab amore infusæ charitatis procedit: attritio vero non, sed vel a timore pœnarum, vel ab amore proprio & naturali, vel a dilectione imperfecta conditionata & inefficaci, qui non sunt actus charitatis, cum possint esse in peccatore.

Inde rursum discrimen tertium sequitur, quod contritio elicitur ab habitu pœnitentiæ infuso: attritio vero, ab habitu eodem non elicitur.

Postremum discrimen est, quod ad contritionem requiritur auxilium Dei speciale, cum sit actus supernaturalis. Attritio vero solis naturæ viribus haberi potest: nisi attritio secundi generis, quæ tam ex parte intellectus, quam ex parte voluntatis, auxilio speciali opus habet: timor siquidem servilis, (ut modo pro comperto supponimus) donum Dei est. Et quemadmodum ad credendas pœnas supernaturales, necessarium est auxilium Dei, quo moveatur intellectus; sic ad timendum eiusmodi pœnas necessarium est ut excitetur affectus; & consequenter ad dolendam de peccato propter hunc finem supernaturalem. Credimus enim nullam pœnitentiam efficaci-

ter attingere effectum supernaturalem, cum solo auxilio Dei generali. Ad alias vero attritiones ex parte voluntatis, nullum auxilium speciale requiritur. Nam illa primi generis, cum naturale obiectum habet, solis naturæ viribus nititur. Illa autem postremi generis supposita fide beatitudinis supernaturalis, haberi potest sine auxilio Dei speciali, sicut & desiderium inefficax & imperfectum beatitudinis.

Sed enim hæc nobis dicta fuerint de contritione & attritione, secundum vocabulorum & usum, & significationem. Nam quod D. Thom. de veritate, quæst. 28. art. 8. dixit, omnem dolorem de peccato in habente gratiam esse contritionem, improprium est. Nec abusus vocabuli tradendus est in hanc nostram disputationem, ubi de contritione & attritione proprie loquimur.

Quo significato manifestum est, nullam attritionem, contritionem, aliquando fieri posse. Contra Scotum in 4. dist. 14. quæst. 2. & Caietanum, quæst. de contritione, asserentes, contritionem acquisitam informem, quæ ab aliis Theologis appellatur attritio, contritionem fieri posse formatam. Existimat vero Cactanus, hanc esse opinionem D. Thom. 3. part. quæst. 89. art. 1. ad 2. ubi asserit, quod primus pœnitentis actus habet se, ut ultima dispositio ad gratiam consequendam, scilicet, contritio. Alii vero sequentes actus pœnitentiæ procedunt iam ex gratia & virtutibus.

At re vera, hæc opinio, primum Div. Thom. repugnat in 4. dist. 17. quæst. 2. quæst. 3. Vbi & manifeste asserit, contritionem esse actum elicited ab habitu pœnitentiæ infusæ. Est autem certum, quod actus elicited ab habitu infuso, distinguitur omnino a quocumque alio, qui ex puris naturalibus haberi potest, ut actus elicited a charitate infusa, a quocumque alio amore, qui citra charitatem elicited: & ratio est in promptu, quia actus, qui habetur ex puris naturalibus, non attingit nisi obiectum naturale, talis est enim, quale obiectum, ut ante docuimus. Cum ergo omnis attritio acquisita naturalis est, naturale quoque obiectum habet, sicut & dilectio acquisita. Quare impossibile est talem attritionem fieri contritionem, sicut nec dilectio quidem acquisita, dilectio charitatis infusæ fieri potest, cuius videlicet obiectum, supernaturale sit oportet.

Quod

## 486 RELECTIO DE POENITENTIA.

Quod si actus nostri acquisiti supernaturalia obiecta efficaciter attingerent, certe, habitus virtutum iussurarum (quod retro docebamus) essent supervacanei.

Præterea, actus contritionis, (ut manifestis argumentis superius ostendebamus) auxilio eget speciali. Actus autem attritionis, (de quo Scotus & Caietanus loquuntur) sunt ex puris naturalibus, ut etiam ipsi fatentur: ergo impossibile est, esse idem, quia principia sunt prorsus diversa, nec fieri potest, ut actus qui solo auxilio Dei generali, a potentia producitur, idem numero, a potentia cum auxilio speciali producatur. Et quod de hoc genere attritionis dictum est, patet etiam, ac multo etiam in reliquis. Hoc vero idem nobiscum tenet Paludan. dist. 17. quæst. 1. & Gabr. dist. 16. quæst. 1.

Quæstio,

Sed quæri tamen a plerisque solet, *An ad poenitentiam actum, quem contritionem appellamus, totus animi conatus necessarius sit*, ita videlicet, ut actus habeat omnem intensionem, quam eo tempore voluntas potest illi præstare, &c.

Et quidem Adrianus, quæst. 1. de poenitentia, art. 2. & quodlib. 5. art. 3. existimat ad contritionem exigi, ut homo omnem conatum adhibeat. Probatque in primis ex Deuteronomii 4. ubi, *Si quasieris, Moyses, ait, Dominum Deum tuum, invenies illum, si tamen toto corde quasieris, & tota tribulatione anima tua.*

Secundo id suadet ex eo quod Esaiæ ultimo Dominus ait. *Ad quem aspiciam, nisi ad pauperculum & contritum spiritum, & trementem sermones meos?* Nota, *contritum spiritum.* Dolor enim remissus spiritum non conterit. Nota rursus, *trementem,* tremor enim est magnus & manifestus timor: ut dicit glossa super illud ad Philip. 2. *Cum timore & tremore,* &c.

Tertio argumento ex illo Ioelis 2. *Convertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio & fletu, & planctu, & scindite corda vestra.* At, dolor remissus, nec ex toto corde est, nec fletum & planctum efficit, nec scindit corda, &c.

Quarto, sanctorum testimoniis id confirmat. August. enim lib. de vera & falsa poenitent. cap. 17. *Convertitur, inquit, qui iam totus & omnino vertitur.* Et sermon. 11. ad fratres in eremo. *Gravia peccata,* ait, *gravissimis lamentis indigent.* Item Ambr. lib. 2. de poenit. cap. 10. *Facilius invenio quâ*

*innocentiam servaverint*, &c. quæ ante sunt a nobis recitata. Et ad virginem lapsam, cap. 8. Posteaquam interrogaverat, quanta esset & qualis pœnitentia necessaria, & descriperat, exteriorem quidem ingentem subiicit. *Cor vero sit liquescens sicut cera, & totum corpus maceretur. Talis vita talis actio pœnitentia si fuerit perseverans audebit sperare, etsi non gloriam, certe pœna evacuationem: Insiste ergo missera fortiter, inhare tamquam naufragus tabula, nam grandi plage alta & proluxa opus est medicina. Quod ostendit Ambrosius & testimonio Ibelis iam citato, & quia omnes qui in sacris literis veniam pœnitendo referuntur consequuti, huiusmodi cordis compunctionem habuere, non levem & remissam, non parvam, sed maximam, ut Ninivitæ, & David, qui explicans pœnitentiam suam, ait: *Laboravit in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum*, &c. Atque iterum: *Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus, & non est sanitas in carne mea, afflicti & humilliatum sum nimis, rugiebam a gemitu cordis mei.**

Cyprian. demum serm. 5. de lapsis, *Quam magna*, inquit, *deliquimus, tam granditer deiecamus, alto vulnere diligens & longa medicina non desit, pœnitentia crimine minor non sit, putasne Dominum cito posse placari, cuius simplicium sacrilega contagione violasti? Orare oportet impensus, diem lectum transigere, vigiliis noctes ac jectibus ducere, tempus omne lacrymosis lamentationibus occupare, stratos solo, adherere cineri, in cilicio volutari, & sordibus, &c. Et paulo post, *Si precem toto corde faciat, si veris pœnitentia lamentationibus & lacrymis ingemiscat, si ad veniam delicti sui Dominum iustis & continuis operibus inleat misereri talium potest.**

Est etiam ratio pro hac sententia, quod non habemus nos, Deum conferre gratiam, nisi facienti totum quod in se est; sed qui non convertitur toto conatu, non facit totum quod in se est: Contritus igitur, cui scilicet infallibiliter Deus gratiam confert, tota vi animi convertitur.

Altera quoque ratio est; quod non est contritio nisi ex amore charitatis proficiscatur; sed amor charitatis non habetur, nisi toto nixu Deus diligatur, Deut. 6. *Diliges Dominum Deum tuum ex tota fortitudine tua*, quod Marcus dixit, *ex tota virtute tua*, & Lucas, *ex omnibus viribus tuis*, Quibus & testi-

monii & rationibus adductus, non dubitat omni asseveratione confirmare, contritionem nullam esse, nisi ex toto conatu voluntatis doleatur. Atqui, duo hic extrema fugienda sunt, alterum eorum qui facile quibuslibet poenitentibus veniam & securitatem pollicentur, adversum quos Isidorus 2. lib. de sin. non bono, cap. 13. illud Hieremiae (5) testimonium inducit, *Curabant contritionem filia populi mei, cum ignominia dicentes, pax, pax, & non erat pax.* Alterum extremam, hoc est, quod tenet Adrianus (6), contra cuius opinionem Caryl. in libello de reparatione lapsis, *Talis, inquit, mihi crede, talis est erga homines pietas Dei, nunquam spernit poenitentiam si ei sincere & simpliciter offeratur, etiam si non potuerit quis explere in praesenti satisfaciendi ordinem, quantumtuncque tam n., & quamlibet brevi tempore gestam poenitentiam, suscipit etiam ipsam, nec patitur, quamvis exigua, conversionis perire mercedem.*

Deinde, Actus charitatis etiam si non hebeat totam intentionem quam potest, nec ex toto conatu procedat, sufficit ad remissionem peccatorum, ergo & contritio. Antecedens patet, quia ad talem actum, cum sit supernaturalis, requiritur habitus charitatis infusae, cum qua nullum mortale peccatum est. Nisi huic argumento respondere velis, habitum charitatis nunquam in actum exire, nisi voluntas omnem viam ad operandum intendat, quod absurdissimum est.

Præterea, præceptum de actu fidei, & de actu spei homo implet etiam si non agat ex toto conatu: ergo, & præceptum de charitate & contritione. Non ergo contritio totum animi conatum exigit.

Referrī etiam solent in hoc, sacrarum literarum testimonia, ut illud Ioannis 14. *Qui diligit me diligitur a patre meo.* Et Iacob. 4. *Appropinquate Deo, & appropinquabit vobis.* Quod si dicas esse limitanda eiusmodi testimonia, ut sub intelligatur *ex toto conatu*, eadem ratione limitabimus & quæ loquuntur de fide, spe, atque iustitia. Quod quoniam probabile non est, nec illud quidem probare debemus, unde hoc profiscitur.

Qui-

(5) Cap. 6. (6) De poenit. dist. 3. cap.

Quibus eisdem argumentis, Scoti opinio refellenda est, qui in quarto, distinctione decima quarta, questione secunda tenet ad contritionem requiri certum intensiois gradum. Qui quidem error falso nititur fundamento. Credit enim Scotus attritionem acquisitam ex puris naturalibus, dispositionem esse ad gratiam. Et quoniam vidit non quamlibet naturæ displicentiam, puta remissam, idoneam esse ad iustificationem, coactus fuit asserere, contritionem exigere certam intensioem magnam soli Deo cognitam. Verum imaginatio hæc (sive Scoti fuerit, sive non fuerit, nam si quis eum voluerit hoc errore liberare, cum hoc ego magnopere non pugnabo) imaginatio hæc, inquam, non modo falsa est, sed etiam periculosa, & erronea, ne quod verbum atrocius dicam. Ultima namque ad gratiam dispositio (ut nobis demonstratum est) auxilio Dei indiget speciali. Quo auxilio posito, sive Deus moveat ad magnum dolorem, sive ad parvum intensive, talis dolor contritio erit, sicut ad amorem charitatis, sive Deus auxilio gratuito intense moveat voluntatem, sive remisse, sive ut duo, sive ut decem, actus charitatis erit. Iustus siquidem habens charitatem infusam ut decem, potest actum amoris habere ut quatuor. Ex cum de tali gradu requisito nulla possit esse probabilitas, an scilicet habeamus illum, necne, certe de contritione nullum præceptum esset. Quod ne ipse idem Scotus non admittit; esset enim stultum præceptum, quod semper invincibiliter ignoratur. Quinimo, teneretur homo ex toto conatu prænitentiam agere, ne exponeret se periculo talem gradum omitteendi.

Ex eodem quoque fonte eiusdem Scoti alter error emanavit: certum tempus necessarium esse ut actus noster contritio sit. Cui sententiæ adversatur manifeste Chrysost. in orat. B. Philogonii, & in libello de reparatione lapsi, cuius ante verba retulimus. Adversatur etiam Leo papa (7) in epist. 69. ad Theodorum, inquit: *Si periculum urgeat cuique petenti, statim est absolutio danda, quia misericordia Dei non*

Tom. II.

Qqq

pos.

(7) De Penit. dist. 1. cap. Multiplex.

## 490 RELATIO DE POENITENTIA.

possimus tempora definire, nec mensuras ponere, apud quem nullas patitur venia moras conversio: dicente spiritu Dei per prophetam, Cum conversus ingemueris, tunc salvus eris. Est autem propheta Ezechiel, cap. 18. inquit, Cum avertit se impius ab impietate sua, animam suam vivificabit. Et cap. 33. Iustitia iusti non liberabit eum in quacumque die peccaverit, & impietas impii non nocebit ei in quacumque die conversus fuerit. Nam utroque loco in quacumque die, pro quacumque hora, vel momento accipiendum est: si enim iustus avertit se a iustitia sua vel in hora, vel etiam in momento, iustitias antiquas amittat. Impius ergo, in quacumque hora vel momento fuerit conversus, iustitiam consequetur: ut qui in momento potuit perdere gratiam, possit & comparare.

Præterea, fac ut illud tempus necessarium, exempli causa sit media hora, & in prima illius temporis particula faciat homo quicquid sibi possibile est. Tunc sequitur primum Deum facientem quod in se est gratiam denegare; facientem quoque hominem quicquid & potest & debet, condemnari. Nihil enim præterea debet homo, quam pro tempore potest. Sequitur deinde, in illa etiam temporis particula hominem alias liberum extra salutis statum esse constitutum. Quæ omnia christiana pietas exhorret.

Præterea, sequitur inde aliquem hominem Deum summe diligere, & de commissis propter Deum dolere, & tamen a Deo condemnari, contra illud, *Qui diligit me, diligitur a patre meo*. Quin etiam sequeretur, martyrem, qui pro Christo mortem oppeteret, condemnari: ut si martyrium in prima parte illius temporis necessarii pateretur. Quod si dicas suppleri defectum continuationis per martyrium, certe cum voluntas pro facto cedat, voluntas quoque efficax martyrii erit sufficiens ad gratiam dispositio. Quæ quoniam in momento haberi potest, fateamur necesse est contritionem quoque posse haberi in momento.

Nihil scilicet, novi dicimus, sed ea tantum, quæ communi scholæ consensu, sermoneque feruntur. Sed, ne hæc quidem quamlibet obvia, & omnium disputatione trita, erant nobis prætereunda. Constituendum enim erat, quid & quale sit id de quo disserimus; non quo ignorare vos arbitraremur.



mur, sed ut ampliori ratione, & via nostra procederet disputatio.

Igitur ad primum Adriani argumentum protinus respondebo, si illud prius exposuero, amorem Dei super omnia dupliciter posse dici maximum. Vno modo intensive, graduali quadam intensione, quo pacto iuniores de intensione loquuntur. In quem modum non oportet amorem Dei esse maximum. Aliter intelligitur esse maximum appreciative. Concedenda sunt enim nobis in scholastica concertatione huiusmodi vocabula, quod alias sæpe deprecati sumus. Ac iure obtinere debemus, quoniam theologicas res ornate dicere velle, puerile est. Certe a Theologo, si afferat eloquentiam, non est aspernanda; si non habeat, non admodum flagitanda; tantum complectatur verbis quod vult, & dicat plane quod intelligas.

Vt ergo eo redeamus unde digressi sumus, & propositam distinctionem apertiori exemplo demonstramus. Fœmina interim vehementius, & intensius catellum amat, quam aurum, & tamen si alterutrum oporteret amittere, aurum catello præponeret; ita quoniam pluris facit aurum, quam catellum, plus diligit aurum non intensive quidem, sed appreciative, quo modo contritio dolor est maximum, quia si daretur optio mallet amisisse pecunias, mallet mortuum fuisse, quam peccasse.

Ad primum itaque argumentum respondetur, quod in toto corde Dominum exquirat, qui non partem Deo dat, & partem negat: ut illi faciunt, qui vel amant aliquam unam creaturam prohibitam, vel reservant sibi unum aliquod peccatum, quod non displicet. Quemadmodum verbi causa, ille totam domum hospiti exhibere dicitur, qui neminem admittit intra domum sine hospitis voluntate. Sed qui cum illo etiam inimicum exciperet, non totam domum exhiberet. Similiter in tota tribulatione animæ Deum quærit, cui omnia peccata displicent. Nam qui ex parte quidem tristaretur de peccatis, ex parte vero unumquodlibet sibi reservaret in quo delectaretur, is Deum in tota tribulatione animæ non exquireret. Non est ergo ibi sermo (ut scholastice loquamur) de totalitate gradualis intensionis, sed de totalitate integritatis, & perfectionis. At-

que hinc reliquis sacramentum literarum testimoniis facile respondetur. Primum etiam Augustini testimonio. Alteri vero quod ex eodem Augustino præfertur ( ut omittamus illud opusculum non esse ab Augustino conditum ) respondemus, ad satisfactionem integram pro gravissimis peccatis exhibendam, gravissimis lamentis opus esse, sine quibus eiusmodi peccatorum plena remissio non est. Cæterum ad simplicem remissionem culpæ, proluxa illa & gravis poenitentia tum interior, tum exterior non requiritur, & per hoc patet quid Ambrosio & Cypriano respondendum sit.

Ad primam vero rationem respondetur, facienti quod in se est ex puris naturalibus, non oportere Deum gratiam conferre, nec tunc postea, nisi totum faciat quod potest, sed facienti quod in se est post auxilium Dei moventis, Deus gratiam iustificationis dat, etiamsi ex toto conatu non faciat. Ego, inquit Apocalyps. 3. *sto ad ostium, & pulso, si quis aperuerit mihi ianuam, &c.* Christus ergo ingredietur ad animam sive ex toto conatu, sive ex medietate conatus, ianua aperiat.

Ad secundam rationem prius dicitur, quod illis verbis non præcipitur intensio summa gradualis in actu, sed solum ut omnes vires intendantur, quantum necesse est ad diligendum Deum super omnia appreciative: ita ut in præparatione animi, videlicet cum opus fuerit, totum cor, mentem, animam, vires, conatum Deo præstemus. Posteriùs respondetur, quod illiusmodi verbis solum ostenditur nullam esse diligendo Deo mensuram præscribendam. Quia enim dicturus erat, *Diliges proximum tuum sicut te ipsum*, docet ante, nullum exemplum, nullumque modum in amore Dei esse querendum, qui utique dignus est, ut sine modo atque exemplo diligatur. Eccles. 43. *Benedicentes Dominum, exaltrate illum quantum potestis, maior est enim omni laude.*

Dubium.

Verum illud dubium protinus existit, *An Sacramentum baptismi, cuique attrito administratum, conferat gratiam, an potius unum aliquod sit attritionis genus, quod solum disponat ad gratiam Sacramenti.*

Sed huic ego quæstioni commodius postea respondebo, cum de Sacramento absolutionis disputavero. Eadem enim  
ibi.

ibidem quæstio est. Et quod ad mores Christianorum attinet, hic forsitan curiose. Illic vero necessario transigitur.

Iam vero ad argumenta prioris opinionis, quæ nitebatur ostendere, baptismum nisi contritio administretur, prodesse nihil, dupliciter respondetur. Prius, quod si loquamur de actu charitatis, semper requiritur ad iustificationem: seclusis tamen Sacramentis, sicut & contritio. Sacramentum autem in non ponente obicem, eundem effectum habet, quem haberet charitas & contritio sine Sacramento. Vnde sicut parvulus, per solam habitualementem charitatem, & gratiam iustificatur, eo quod non ponit obicem Sacramento ad remissionem peccati originalis, ita & adultus quia non ponit obicem ad remissionem peccati mortalis cum est attritus, per infusionem charitatis habitualis iustificatur. Posterius responderi quoque potest, omnia illa testimonia de charitate habituali esse intelligenda. Alias qui dormiret, quoniam non diligit, maneret in morte. Sed prior solutio præstabilior est. Argumenta vero opinionis alterius, post ea quæ disseruimus, faciliora sunt, quam ut solvere debeamus.

De charitate vero, *An sine pœnitentia valeat mortales culpas remittere*, nonnulla controversia est. Gabriel enim ait (8), sed Divus Thomas (9) negat. Credit autem ille, solo actu charitatis sine pœnitentia peccata donari, cum memoriæ non occurrunt: ut, si peccator, quo scilicet tempore Deum diligere tenetur, Dei considerans bonitatem (10), elicit actum dilectionis Dei super omnia, consequitur, inquit, remissionem peccatorum, licet nullum habeat pœnitentiæ actum, quia nullam habet cogitationem de peccato, *quam occupatus*, ut ait, *circa Dei dilectionem, habere non potest: non enim possumus plura simul cogitare*. Hæc ille. Omnia vero scripturæ sacræ testimonia, quæ probant pœnitentiam esse necessariam, exponit de pœnitentia formali, aut virtuali, ut patet in tertia eiusdem quæstionis conclusione. Atque etiam Scotus in illa

Quæstio.

(8) 4. dist. 14. quæst. 1. (9) 3. part. quæst. 84.  
 (10) Artic. 5. ad 2.

ipsa distinctione, & quæstione, paucioribus verbis, eadem fere peccare videtur,

Sed hi primum in eo falluntur, quod non vident interesse plurimum, inter ea quæ solum necessaria sunt, ut præcepta & quæ necessaria sunt etiam, ut media, sine quibus salus haberi non potest. Aiunt namque, excusari hominem a poenitentia, & memoria peccatorum, cum habet de peccato commisso vel ignorantiam invincibilem, vel etiam distractionem necessariam a peccatis cogitandis, quasi poenitentia solum esset necessaria, quia præcepta est, & non item, quia medium ad salutem necessarium. Atque in huiusmodi mediis licet admittatur excusatio, ne homo peccet, quando ex ignorantia desunt; non tamen admittitur, ut sine illis homo salvetur, exempli gratia. Fides Christi est ad salutem necessaria: quod si cui evangelium non annuncietur, excusabitur quidem a præcepto credendi, id est, non peccabit ex eo quod non credit in Christum; sed vitam æternam minime consequetur, ad quam consequendam, Christi fidem habere necesse est. Atque idem de baptismo dicere licet, sine quo nemo salvus efficitur: sive occupatus circa res alias, sive oblitus baptismi fingatur. Intelligimus ergo ad divinam providentiam pertinere, ut quo voluit vel fidem, vel baptismum, medium ad salutem præstitueret, facienti quod in se est, nunquam denegat tale medium. Sic igitur, cum poenitentia sit, ad salutem medium necessarium (quod abunde sacrarum etiam literarum testimoniis ostensum est) divinæ procurationis esse conyincitur, ut facienti quod potest ea suggerat, quæ fuerint huic remedio adhibendo necessaria.

Errant deinde vehementer, quod testimonia illa scripturæ sacræ de poenitentia formali vel virtuali interpretantur, idque ut opinionem suam pugnacissime defendant. At si semel hanc nobis licentiam interpretandi permittimus, facile quoque cætera media ad salutem præfinita, per eandem expositionem eludemus. Fides quippe Christi explicabitur ad salutem necessaria formaliter, vel virtualiter. Votum etiam baptismi dicetur necessarium formale, vel virtuale.

Præterea, cum sancti omnes de poenitentia formali, & expli-

plicita, prædicta testimonia interpretentur, temere & inconsiderate in contrariam intelligentiam pervertuntur.

Præterea, talem interpretationem admittentes, in nullo eventu probare poterunt, formalem pœnitentiam esse necessariam. Dicemus enim illis, etiam cum peccata memoriæ occurrunt non oportere formaliter, expliciteque dolere: neque id refelli aliquo testimonio potest, quoniam charitas est pœnitentia virtualis, quæ sufficere dicitur, quoniam locis præscriptis formalis pœnitentia non præscribitur. Ita, si huic expositioni dabitur locus, satis erit ad salutem nova vita, sine detestatione veteris, quæ est hæresis Luterana.

Quædam insuper testimonia ex illis, de pœnitentia virtuali exponere, impudentiæ manifestissimæ fuerit, ut illud Ioel 2. *Convertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio & fletu, & planctu, & scindite corda vestra.* Illud item (11), *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum in remissionem peccatorum.* Quod quidem testimonium, si de pœnitentia vel formali, vel virtuali volumus exponere, in eum errorem incidimus, quem paulo ante reprobavimus: hoc est, baptismum sine pœnitentia formali peccata remittere. Verum hæc missa facio (quæ tamen decernere controversiam possunt), illud quæro, si cui peccatori divina bonitas occurrat, eo etiam tempore, quo nec diligere Deum, nec pœnitentiam agere tenetur, non occurrant autem peccata, videlicet occupatissimo in divinæ bonitatis contemplatione. Quæro tum, inquam, an isti habenti actum dilectionis, peccata sine pœnitentia condonentur? Nam si condonantur, ergo etiam quando non tenebatur ille, aut Deum diligere, aut in Dci contemplatione versari, remissionem peccatorum consequetur sine pœnitentia. Quod, vel isti concedere verentur: sin autem non condonantur, nec ille peccator potest in actum dilectionis sine pœnitentiæ actû prodire: ergo pœnitentia formalis (quod modo contendimus) est ad remissionem peccatorum necessaria. Atque, ut sæpe iam diximus, ad divinam procuracionem

spe-

spectat, ut nullus peccator in actum dilectionis prodeat, cum primum ad Deum convertitur, quin simul, quemadmodum bonum per amorem amplectitur, ita etiam odio malum prosequatur. *Pœnitementi, inquit, & convertimini, ut deleantur peccata vestra.*

Accedit illa quoque causa: quod cum Sacramentum poenitentiae baptizatis tam sit necessarium ad salutem, quam baptismus non baptizatis (quod suo postea loco demonstrabitur), certe sicut sine baptismo in re, vel in voto nemo adultus salutem consequi potest, ita sine poenitentiae Sacramento, in re, vel in voto salvatur nemo. Votum autem Sacramenti poenitentiae nullus habet, sine peccatorum, & memoria, & displicentia: verius est igitur nimirum illud quod nos asserimus, sine poenitentiae actu per solam charitatem, neminem posse salvari.

Sed de martyrio quaestio difficilior est. Nam, sine poenitentia peccata etiam mortalia remittere, iuniores fere tradunt. Scotus, 4. dist. 14. quaest. 2. Gabr. eadem dist. & q. imo & Div. Thom. videtur in hanc sententiam ire, 3. part. quaest. 87. art. 1. Nam secundum argumentum erat huiusmodi. Poenitentia non est sine actuali displicentia peccatorum, sed peccata venialia possunt dimitti sine displicentia eorum, sicut patet in eo qui dormiens occideretur propter Christum: ergo peccata venialia possunt remitti sine poenitentia. Cui argumento D. Thom. respondet. *Quod passio pro Christo suscepta obtinet vim baptismi, & ideo purgat ab omni culpa, & veniali & mortali, nisi actualiter voluntatem peccato invenerit inhærentem.* Haecenus D. Thom.

At, etiamsi homo non doleat, aut culpas in memoria habeat (modo tamen velit placere Deo in omnibus, & vitam pro illo fundere) non habeat voluntatem peccato actualiter inhærentem: ergo (iuxta D. Thom. placitum) passio pro Christo suscepta, sine poenitentia, mortalia peccata remittit.

Verum, sententia contraria mihi ex animo exuri non potest. Nam persuasa est, & auctoritate maiorum, & gravi, constantique ratione, ac fieri potest ut errem, sed ita prorsus existimo. Primum enim passio pro Christo suscepta, si a charitate non existit, nihil valet ad culpæ mortalis remissionem, ut D. Thom. auctor est 2. 2. quaest. 124. art. 2. ad 2.  
&

& 3. part. quæst. 66. art. 12. ad 2. Item, & August. contra Crescon. lib. 2. cap. 12. Imo adeo Paulus 1. ad Corinth. 13. inquit, *Si corpus meum tradidero ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Charitas autem in eo qui peccavit mortaliter, non remittit peccatum sine pœnitentia (ut idem D. Thom. scribit, 3. part. quæst. 83. art. 5. ad 2.) ergo nec martyrium. Et confirmatur. Quia voluntas efficax martyrii, & martyrium actu susceptum, quantum ad essentialia (ut hic supponimus) nihil differunt. Si ergo martyrium sine pœnitentia peccatum mortale remittit, ac proinde gloriam meretur æternam, & voluntas quoque efficax martyrii, idem sine pœnitentia, dubio procul efficeret.

Præterea, passio pro Christo suscepta, in eo qui fuit aut schismaticus vel hæreticus non remittit peccatum hæresis vel schismatis, nisi prius homo ecclesiæ catholicæ fuerit aggregatus: ergo, nec remittit eiusmodi peccata nisi homo pœniteat. Nam verbis scholæ usitatis quandoque utimur, nec ullum aut verborum fucum, aut eloquentiæ ornatum adhibere volumus, sed tantum confirmandæ veritati curam, operamque navare. Antecedens igitur nostræ huius argumentationis, præterquam quod habetur ex Cyprianos lib. 3. epistolarum, epist. 2. ad Antoninum, & atque ex August. tum sæpe alias, tum libro primo de baptismo contra Donatistas, capit. 11. & libro 3. capit. 16. libr. 4. & capit. 17. definitur etiam in concilio Florentino sub Eugenio 4. Consequentia vero probatur. Quia sicut fides, & ecclesiæ catholicæ unitas, sunt media ad salutem necessaria, ita & pœnitentia.

Præterea, si quis ante baptismum mortem pro Deo optat, non consequetur salutem sine voto baptismi, si re ipsa baptizari non potest: ergo, nec post baptismum, si peccavit mortaliter, consequetur salutem sine pœnitentiæ Sacramento, aut in re, aut in voto suscepto. Antecedens quod assumpsimus, Thomas Waldensis, lib. de Sacramentis, cap. 97. & 105. Divi præsertim Augustini testimonio confirmat, lib. 4. de baptism. contra Donasistas, cap. 21. & 22. Non enim mors pro Deo suscepta, iam evangelio promulgato, sine fide Christi, & ecclesiæ salutem præstare potest. At conse-

quentia vel ex eo liquet, quod sicut baptismi Sacramentum est ad salutem necessarium his qui ante peccaverunt, ita & poenitentia, his qui peccaverunt post baptismum.

Adde illi quoque quod si martyri peccata in mentem veniant etiam in ipso martyrii agone constituto, non salvabitur, si non doleat: ergo martyrio etiam instante, poenitentia necessaria est. Antecedens patet, quia si confessor occurrat, citra Sacramentum salus illi non veniet, eo quod divinum præceptum de confessione est. Cum igitur de contritione etiam interiori divinum præceptum sit (quod iam iam manifestum erit) fit consequens, ut si homo martyrio expositus, de peccatis memoriæ occurrentibus poenitentiam non agit, divini præcepti violator existit.

Radiculum vero est quod fingunt isti, martyrium homini oblatum memoriæ peccatorum abolere. Cum e diverso, poenæ, inopinato etiam indicentes, soleant culpæ memoriæ vel dormientem excitare. In cuius rei exemplum adducit Chrysostomus, homil. 4. de Divite & Lazaro, fratres Joseph, quibus cum peccati iam pene oblitterati venisset in mentem, Marice, inquit (12), *hec patimur, quia peccabimus in fratrem nostrum.* Tres item pueri in camino ignis ardentis, In veritate, & iudicia, aiunt (13), *induxisti hæc omnia propter peccata nostra, peccavimus enim, &c.* Et propheta, *In die, inquit, tribulationis Deum exquisivi manibus meis.* Et paulo post, *Et meditatus sum nocte cum corde meo, & exercitabar, & scopulam spiritum meum, &c.* Martyrium itaque occurrens, non memoriæ peccatorum aut tollit, aut impedit, sed potius excitat. Quare nihil causæ video, cur poenitentia ad salutem necessaria martyri desit: quin in ipso sanguine culpas maxime abluet, quas ante commisit. Equidem ita sentio, & (ut reor ipse) sentiet unusquisque vestrum si rem non ex auctoritate adversariorum, sed ex ratione pensetis: nec enim minorem vim habet baptismus in remittendis culpis, quam martyrium, quod velut baptismi vicarium est (ut Augustinus tradidit, lib. 4. de baptismo contra Donatistas, cap. 22. & sequentibus) refer-

(12) Genes. 42. (13) Daniel. 3.



**tur** quis de consecrat. dist. 4. cap. *Baptismi vicem*: sed baptismus, alias efficacissimum contra omnia peccata remedium, sine pœnitentia tamen aliqua prævia, peccatorum mortalium non efficit remissionem; ergo nec martyrium, nisi novis oraculis iuniores a mediis ad salutem necessariis, martyres adultos velint excipere, quod qua ratione faciant, haud satis intelligo.

Nec D. Thomas unquam asseruit dormienti in peccato mortali per passionem pro Christo illatam, remitti peccatum sine aliquo præcedenti dolore; non enim sine charitate passio valet, ut locis citatis D. Thomas astruxit. Et, cum eo loco, martyrium baptismo comparaverit, idem profecto asseruit, baptismum omnia peccata remittere tam mortalia, quam venialia, dummodo voluntatem peccato non invenerit inhærentem. Nec proinde licet colligere, baptismum, **vel dormienti, vel vigilant sine pœnitentia mortalia aboleri peccata.** Quare nec de martyrio id ex mente D. Thom. colligi potest, nisi suo ipsius testimonio virum alioqui doctissimum velis urgere, ut concedat dormienti in peccato mortali, qui nec contritionem, nec attritionem habuit unquam, per mortem pro Christo violenter illatam, æternam conferri salutem. **Quod tam absurdum est, quam quod absurdissimum.**

**Pœnarum igitur remissio, solet dici remissio peccatorum, ut patet indulgentiis, quæ passim hoc nomine conceduntur.** Credit itaque D. Thom. per baptismum & martyrium, omnem pœnam, sive peccati venialis, sive mortalis aboleri, supposita tamen remissione mortalis culpæ, quæ adulto sine dispositione voluntatis prævia, contingere non potest. Culpæ etiam veniales per baptismum adulto dormienti remittuntur: non enim adultus dormiens baptismum suscipit, nisi prius vigilans voluerit baptizari. Cum autem baptismus sit pœnitentia virtualis omnium peccatorum, eo ipso quod quis baptismum voluit, pœnitentiam habuit omnium virtuales, quam ad venialium remissionem satis esse, Div. Thom. illo loco manifestissime docuit. Et confirmatur. Quia si quis vigilans cum attritione peccatorum mortalium, nullam habens memoriam venialium, accederet ad baptismum, consequeretur plenariam remissionem omnium peccatorum:

## 500 RELECTIO DE POENITENTIA.

ergo & dormiens, si habuit contritionem mortaliū, venialium remissionem consequetur. Confirmatur rursus. Quia si baptismus non remitteret venialia, quibus mens inhæret habitualiter, profecto vix ullus reperiretur, qui per baptismum consequeretur innocentiam, ac totius pœnæ remissionem. Nec me fugit Caietanum aliquid iudicasse: sed ita res humanæ habent, nos non probamus aliena, alii reprobandunt nostra. Intelligo ergo D. Thomam, ut illi secundo argumento responderet, id sensisse quod tam baptismus quam passio pro Christo suscepta, sine aliqua poenitentia formali, remittunt omnia venialia, quantum ad culpam, & quantum ad pœnam, nisi voluntas actualiter committat veniale peccatum, quod in baptismo facile est, in martyrio non item. Nam fere dum quis patitur pro Christo, avertit animum ab omni peccato etiam veniali. Sed sive baptizatus, sive pro Christo moriens, actualem obiecem opponeret, sive baptismo, seu martyrio, iam effectus remissionis illius culpæ impediretur. Ita cum dormiens nihil actu obicit virtuti vel baptismi, vel martyrii, omnium venialium veniant sine formali displicentia consequetur. Quamobrem, illa exceptio nisi actualiter voluntatem peccato invenerit, &c. non est referenda ad remissionem mortaliū, sed ad remissionem venialium. Asseverat enim D. Thomas, poenitentiam explicitam esse necessariam ad mortaliū remissionem: quare non statim asseruisset, dormienti in peccato mortali sine aliquo actu & dispositione prævia, aut per baptismum, aut per mortem extrinsecus illatam, mortalia peccata condonari. De elemosyna vero facilior questio est: nam, dupliciter intelligi possunt ea testimonia quæ illi tribuunt remissionem peccatorum. Prius, ut ad pœnas pro peccatis debitas omnia referantur, iuxta illud Daniel. 4. *Peccata tua elemosynis redime*: redimuntur enim pœnæ pro peccatis debite non alio pretio magis, quam elemosynis. Posterius etiam in hunc sensum intelligi possunt, ut pollicitatio divinæ misericordiæ significetur iis qui fuerunt misericordes: ut etiam si in peccatis sint, per elemosynas tamen, id consequantur, ut ex Dei gratia, & beneficio conversio cordis illis aliquando præstetur, sic enim scriptum est, *Frange esurienti panem tuum, egenos, vagosque induc in domum tuam: cum videris*

*nudum* (14), *operi eum, & carnem tuam ne despexeris: tunc erumpet quasi mane lumen tuum, & sanitas tua citius orietur: orietur in tenebris lux tua, & tenebra tua erunt sicut meridies.* Et iterum (15), *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Ex quibus liquido patet; quid ad reliqua dicendum sit, nolo enim esse longus in singulis explicandis. Sed & secundum argumentum principale cum sua confirmatione, ex his quæ diximus facile solvitur.

Ultimum vero, quoniam peculiarem habet difficultatem, peculiariter quoque diluendum est. *Quærit enim an specialis pœnitentia de singulis mortalibus, sit ad salutem necessaria: an potius satis sit pœnitentia de omnibus confusa, & generalis.* Et quamvis sciam, multa a multis de hac quæstione fuisse disputata, id ego tamen ex D. Thomæ sententia, semper & intellexi & credidi, in omni lege, siye naturæ sive scripturæ, sive gratiæ, non satis fuisse ad peccatorum mortalium remissionem, in genere, confuseque dolere, sed specialem, distinctamque de singulis pœnitentiam requiri.

Cuius rei explicandæ gratia, dupliciter de contritione loqui possumus. Vno modo, secundum se, quatenus est actus virtutis: alio modo, in ordine ad confessionem quatenus est pars sacramenti.

Deinde notandum, dupliciter posse intelligi, contritionem specialem de singulis esse necessariam. Primum, necessitate præcepti, deinde necessitate finis.

Præterea, contritionem de singulis mortalibus esse necessariam, duobus modis accipi potest. Prius sic, ut ad singula peccata mortalia requirantur singulæ contritiones, vel secundum numerum, vel secundum speciem. Posterius sic, ut una contritio sit distincta de singulis, quemadmodum, si singulis peccatis in memoriam revocatis, de illis uno; eodemque dolore doleam.

Tunc sit prima conclusio. *Non requiruntur singula contritiones ad singula mortalia secundum numerum; imo nec secundum speciem quidem: ut videlicet quot sunt peccata vel numero vel specie.*

I. concl.

## 502 RELECTIO DE POENITENTIA.

*cio, tot exigantur dolores. Vno enim actu & confiteri & con-  
teri de multis speciebus peccatorum possumus: ergo nec abso-  
lute, nec in ordine ad confessionem, in illum sensum requi-  
ritur specialis, distinctaque contritio.*

2. concl. *Secunda conclusio. In ordine ad confessionem requiritur  
contritio de singulis distincta, non solum secundum speciem, sed  
etiam secundum numerum. Quia contritio includit simul pro-  
positum confitendi singula mortalia, non secundum speciem  
modo, verum etiam secundum numerum. Ac præterea, cum  
homo confitetur, detestatur ea peccata quæ confitetur, nisi  
sit ficta confessio. Quare actus interior pœnitentiæ a quo  
exterior confessio proficiscitur, singula mortalia quæ sub  
confessione cadunt, respicit. Ideo enim confitetur, ea ut  
destruant illa, & pro iis Deo satisficiat. Quapropter, ut con-  
fessio de singulis mortalibus est ad salutem necessaria etiam  
necessitate finis, ita & contritio de singulis, in nova lege est  
necessaria.*

3. concl. *Tertia conclusio. Contritio de singulis mortalibus specialis  
& distincta, necessaria est ad salutem, non solum necessitate  
precepti, verumetiam necessitate finis. Fuisque semper in omni  
lege necessaria, sine ordine ad confessionem. Itaque non suffi-  
cit contritio generalis, qua doleo me fuisse peccatorem, sed  
requiritur specialis quæ distincte feratur in singula, ut si pec-  
catis præteritis in memoriam revocatis, voluntas unica con-  
tritione universa illa detestatur, velitque pro universis Deo  
satisfacere. Hæc quippe sat erit, hancque nos pœnitentiam  
specialem, ac distinctam appellamus. Nam si unico verbo  
sacerdoti significare possem diversa peccata mea, illa esset  
specialis distinctaque confessio. Quocirca, cum pœnitentia,  
confessioque interior peccatorum hominis, ad Deum sit, uni-  
cus ille actus qui fertur in peccata, distincta & specialiter co-  
gnita, specialis pœnitentia & vocatur, & est. Asserimus au-  
tem, hanc non aliter requiri, ac rationem dati & accepti a  
dispensatore. Quam quidem confessionem & generalem nemo  
arbitraretur idoneam, distinctam & specialem omnes existi-  
marent necessariam.*

Sic vero explicita D. Thomæ sententia, haud sane intel-  
ligo, cur viris doctis probari non debeat. Eo vel maxime,  
quod pœnitentiam hanc specialem atque distinctam, sic in-  
tel-

telligi volumus ad salutem necessariam, ut reliqua media, quæ nisi in tempore adhiberi non queunt. Nempe hoc pacto, ut si distincte de omnibus doleri possit, de omnibus specialiter doleatur. Sin autem, vel per angustiam temporis, vel per aliam causam, id fieri non possit, habeatur quidem animus, votumque si facultas adesset, specialiter & distributive singulis pœnitendi.

Hanc conclusionem D. Thomas habet 12. quæst. 113. art. 5. ad 3. inquit, *In tempore precedenti iustificationem oportet, ut homo singula peccata qua commisit, detestetur, quorum memoriam habet. Et ex tali consideratione precedenti subsequitur in anima quidam motus detestantis universaliter omnia peccata commissa, inter qua etiam includuntur peccata oblivioni tradita, quia homo in statu illo est sic dispositus, ut etiam de his, qua non meminit contereretur, si memoria adessent.* Ecce quemadmodum intelligit D. Thomas specialem contritionem esse necessariam, & ad salutem, & ad remissionem peccatorum. Et de veritate quæst. 28. art. 5. ad 4. *Ad iustificationem, inquit, non requiritur, quod in ipso iustificationis momento, aliquis de peccatis singulis cogitet. Recogitatio autem singulorum peccatorum, debet vel precedere, vel saltem sequi iustificationem.* Et 3. part. quæst. 87. art. 1. *Ad remissionem peccati mortalis, ait, requiritur ut homo actualiter peccatum mortale commissum detestetur: ut scilicet, quantum in ipso est, diligentiam adhibeat ad rememorandum singula peccata mortalia, ut singula detestetur.* Idem in 4. distinctione decima septima, quæstione tertia, articulo secundo ad secundum.

Eandem sententiam tenet Durandus, distinctione decima septima, quæstione secunda, articulo secundo ad primum. Et Adrianus, quæstione tertia de baptismo circa finem. Et Ricardus, distinctione decima sexta, articulo quarto quæstione secunda. Certe necessariam esse salutem necessitate præcepti huiusmodi contritionem Paludanus aserit, dist. 17. quæst. 1. art. 2. conclusionem 5. & Alexander Alensis, 4. part. quæst. 69. membro 8. art. 2.

Idem quoque mihi videtur sentire Augustinus, de vera, & falsa pœnitentia, cap. 9. 14. & 17. cuius verba referuntur de pœnitentia, distinct. 3. cap. *Sunt plures* & distinct.

stinct. 5. cap. 1. *Versum*, inquit, *puto, qui dolet de crimine, conversum, qui dolet de omni eius quam exposuimus varietatem.* Exposuerat autem eam varietatem, cap. 14. secundum circumstantias speciales peccatorum, quas docuerat, esse specialiter, & considerandas, & deplorandas.

Et Chrysostomus in fine primi libri de contritione cordis, *Hoc est quod exposcitur a nobis, ut semper recordemur mala nostra, & ad animam revocemus, & conscientiam gestorum nostrorum habeamus ante oculos, ut pro iis supplicemus Deo.* Sed apertius in 2. libr. etiam circa finem. *Opotebat nos semper, non solum scire ex omologesim & confiteri, quia in nobis multa delicta sunt, verum & unumquodque peccatum, & maius & minus, quasi in libro ita in corde nostro habere descriptum, idque frequentius recognoscere, atque ante oculos ponere, & tanquam hac super admissa lugere, &c.* Nec te moveat, quod confessionis Chrysostomus meminit, loquitur enim de confessione quæ fit Deo, non de ea quæ fit sacerdotibus, ut posterius ostendemus. Et adhuc manifestius, homil. 4. de Lazaro circa finem. *Singulis horis & diebus renovemus apud nos hoc iudicium: sententiam adversus nos ipsos feramus, omnique modo conemur confiteri Deo. Nam si nosmetipsos iudicaremus, ut Paulus ait, non utique indicaremur a Domino: ut igitur nec puniamur, nec poenas demus, in suam quisque conscientiam ingrediamur, vitamque explices, cunctisque commissis diligenter excussis, condemnet animam qua hæc patravit, poeniatque cogitationem, affligat crucietque suam ipsius mentem, supplicium a se ipso exigat pro peccatis.* Hactenus Chrysostomus. Et Gregorius 4. moralium, cap. 17. & 8. libro, cap. 16. in illud, *Confabulabor cum amaritudine anima mea: enumerando scilicet singula mala qua fecit.* Ita enim D. Gregorius interpretatur. Cuius verba non gravaret equidem recitare, nisi alio festinaret oratio.

Præterea, in huius rei confirmationem, ne sacrarum quidem literarum deesse nobis potuerunt testimonia: ut illud. (17), *Re cogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine anima mea.*

*mea*: non autem esset opus anteaacti temporis vitam expendere in amaritudine animæ, si pœnitentia generalis & confusa sufficeret.

Illud quoque (18), *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, & fecerit iudicium*, hoc est, examen, & inquisitionem, de qua apostolus (19), *probet seipsum homo*.

Et illud David (20): *Cogitavi dies antiquos, & meditatus sum nocte cum corde meo, & exercitabar, & scopulam spirituum meum*. Et ait: *seipsum interrogabas, seipsum examinabas, in se index eras*.

Præterea, si generalis pœnitentia satis esset, quorsum illa tam anxia cura petendi (21): *Ab occultis meis munda me Domine, & ab alienis parce servo tuo*? Nimirum, luce clarius propheta significat, delicta sua se solitum scrutari, & pro occultis, quæ vel adhibita diligentia intelligere non potuit, deprecari, cum ait, *Delicta quis intelligit, ab occultis meis, &c.*

Præterea, si cui, dum convertitur, tria mortalia quæ fecit, distincte in mentem veniunt, hoc est, adulterium, sacrilegium, homicidium: Quæro, an satis fuerit, reiecta illorum speciali memoria, vere de omnibus quæ fecit, confuso dolere. Nam, si satis non est, id nos asserimus: si satis est, semperque in omni lege fuit certe examen illud tam exquisitum in peccatis mortalibus & commemorandis & deplorandis, quod in omni retro tempore parentes nostri fecerunt; docetur non fuisse necessarium.

Præterea, pœnitentia exterior propter interiorem est: at exterior tam in lege nova, quam in veteri, distincta & specialis fuerit oportuit. Nam in veteri lege, pro variis peccatis varia fuerunt sacrificia definita: In nova quoque, pœnitentiæ sacramentum specialem distinctamque de singulis exigit confessionem. Ac re vera, *lex evangelica*, quantum animi mei coniectura colligere possum, non astringit nos, ut specialius de peccatis doleremus, quam in lege naturæ vel scripturæ homines tenebantur. Sed id concessit, ut quam pœnitentiam olim in delicti compensationem atque vindictam coram Deo

Tom. 2.

Sss

age-

---

(18) *Ezech. 18.* (19) *I. ad Corinth. 11.* (20) *Psal. 76.*  
 (21) *Psal. 18.*

agere oportebat, eandem ageremus apud sacerdotem, qui locum Dei teneret in terris.

Nec ego video, cur Christus in evangelio præceperit de singulis exteriorem poenitentiam, nisi quia requirebatur interior de singulis, ut exterius signum visibile interiori resignatæ invisibili responderet. Non igitur (quo quidam arbitrantur) contritio specialis propter contritionem: utraque autem propter iudicii naturam. Omnis quippe iudex, cui iudicandi est auctoritas demandata, reorum delicta inquirere atque examinare debet speciatim, ut iuxta culparum mensuram, sit & pœnarum moderatio. Sic in evangelica lege, iudicium de peccatis Sacerdotibus delegatum est: qui, ut fideliter suum munus exequantur, non habent esse contenti si peccata solum in genere cognoscant, sed habent interrogare etiam specialia delicta, ac delictorum adjacentes circumstantias. At in lege naturæ hoc iudicium erat ipsi peccatori commissum, ut ipse idem, & esset testis & accusator & iudex. Vnde ait (22): *Si impius egerit poenitentiam ab omnibus peccatis suis, & fecerit iudicium.* Et iterum: *Fecit iudicium & iniuriam: non tradas me calumniantibus me.* Quam obrem, peccator in propria causa iudex effectus, nisi expendat delicta propria, nisi diligenter seipsum interroget & examinet, ut ex qualitate & quantitate culparum, imponat sibi poenitentiam modum, certe infideliis iudicii, imo iniqui pœnas daturus est apud æquissimum iudicem. Hæc naturæ ratio est: quis negat? huic sacre literæ consentiunt, hanc sancti doctores insinuant: huius vim, D. Thomas intuitus, tertiam illam conclusionem asseruit. Quæ etiam asserenda, nos multa diximus non poenitus absona, aut contemnenda. Sed si quid melius quisquam affere poterit, nobis volentibus & gratulantibus facturus est. De tertia igitur controversia satis.

---

PARS



## PARS QUARTA.

*De præcepto pœnitentiæ ut virtutis.*

**Q**uarta iam sequitur. *An de pœnitentiæ virtute sit peculiare præceptum.* Sunt enim Theologi & fuerunt, quorum opinione, de actu pœnitentiæ speciale præceptum nullum est. Hanc vero sententiam in primis suadent testimonio D. Thomæ asserentis (1), quod permanere in peccato usque ad mortem non est speciale peccatum, sed quædam peccati circumstantia. Et tamen si esset de pœnitentiæ speciale præceptum, omissio illius, specialis culpa sine dubio esset.

Questio.

Ration.  
subit. pro  
part. neg.

Præterea, si de pœnitentiæ mandatum specialis esset, id ea esset ratione maxime quod pœnitentiæ est medium necessarium ad salutem. Hoc vero argumentum infirmum est, quoniam gratia Dei est ad salutem homini necessaria, de qua tamen habenda nullum est peculiare præceptum. Et confirmatur. Nam huiusmodi præceptum non alio testimonio magis assereretur, quam eo Lucæ cap. 13. *Nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis.* At exinde, nihil tale colligi recte potest. Pari siquidem loquendi forma sane dicitur, *Nisi gratiam habueritis omnes peribitis.* Vnde tamen non fit, ut ex præcepto peculiari gratiam habere teneamur. Cunque pœnitentiæ supponat peccatum antecedens, nisi quis pœnitentiam egerit, peribit: non ex impenitentiæ culpa, sed ex antecedenti peccato, quod sine pœnitentiæ deleri non poterat. Pro parte vero contraria illud est, quod eodem tenore in evangelio proponitur lex baptismi & pœnitentiæ. Nam quem idmodum dictum est, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, non potest intrare in regnum Dei:* ita quoque scriptum est, *Nisi pœnitentiam habueritis, omnes peribitis.* Colligunt autem catholici, legem illam baptismi speciale continere præceptum. Quare & pœnitentiæ lex, præceptum speciale continet.

Pro part.  
affirm.

Sss 2

In

(1) . 22. quæst. 14. art. 2.

In hac controversia, præceptor meus olim, Frater Franciscus Victoria, vir nostra ætate literis, ingenio, religioneque clarissimus, partem tenuit negativam. Addidit vero in huius rei confirmationem præter ea quæ fecimus, alia quædam argumenta, quæ quoniam homo ingentiosus & doctus esse videbat infirma, asseruit tandem in hanc opinionem se venire, ea potissimum causa atque ratione, quod nulla in contrarium esset, cui non posset facile satisfieri; ut colligere inde in promptu liceat hominis eruditissimi modestiam pariter, & ingenium. Nihil enim pugnaciter pertinacique contentione defendere solebat, sed suam interim propriam privatamque sententiam libere tueri, eandem postea simili libertate retractaturus, si melior forsitan opinionis adversæ ratio succurrisset. Hac vero ingenii sui mira & beata facilitate scholæ nostræ, hoc est, D. Thom. prudentissimus habebatur interpret. Et quidem æquus libero iudicio, nulla eiusmodi astrictus necessitate, ut vellet nollet certa sibi esset tuenda sententia.

Huius nos clarissimi viri vestigiis inhærentes, in nullius verba iuravimus; nec apud nos tantum opinio præiudicata potest, ut etiam sine ratione valeat auctoritas. Sed nostrum iudicium adhibentes, alienum non nisi causa cognita sequimur. Nam, Ciceronis quotiescunque incidunt, non sententiis modo, sed & verbis utimur, furtumque libenter agnoscimus. Igitur (ut eò unde huc digressi sumus, revertamur). Argumenta quidem tametsi docti hominis, & copiosi, & nihil prætereuntis eorum quæ pro ea causa dici possent, nunquam tamen ita me moverunt, ut eis responderi posse diffiderem. Auctoritas autem tanta plane me movebat, nisi ego opponerem non minorem, Divi Thomæ rationes, etiam quomodo mihi videtur, firmiores.

Primum itaque non ambigo D. Thomam cum cæteris omnibus scholasticis auctoribus in hanc sententiam esse, quæ partem huius controversiæ affirmative amplectitur. Imo illud est princeps argumentum, quo hæc opinio refellitur, quod novitia sit, & in re quæ ad mores pertineat sine idonea ratione, communi Theologorum sensui refragetur. Div. itaque Thom. pro comperto sumit, de poenitentia divinæ legis esse præceptum, nec id semel dicit, sed sæpius 4. dist. 17. quæst. 2.  
art.

art. 1. quæst. 3. ad 3. & quæst. 3. art. 1. quæst. 4. & 3. part. quæst. 84. art. 7. ad 1. & 2. & quæst. 85. art. 2. in argumento in contrarium. Et 22. quæst. 62. art. ult. Imo adeo quæ D. Thom. art. illo 2. quæst. 14. dixit, non modo hæc refellunt, verum etiam confirmant. Nam si propositum non pœnitendi speciale peccatum est, ut ibidem dicitur: qui fieri potest, ut de pœnitentia non sit speciale præceptum? Nempe si comedere præceptum non esset, propositum non comedendi specialis culpa non esset. Si ieiunandi præceptum peculiare non esset, ne peculiaris quidem culpa esset, propositum non ieiunandi. Et hunc in modum cætera, quæ singulatim persequi longum est. Deinde, pœnitere est actus specialis virtutis, ad salutem necessarius: ergo est in præcepto. Consequentia patet ex D. Thom. 2. 2. quæst. 3. art. 2. & 3. part. quæst. 68. art. 1. ubi asserit, ea quæ sunt necessaria ad salutem cadere sub præceptis divinæ legis: & re vera id ostendit (nisi me animus fallit) ratio manifesta, non enim aliter melius possumus iudicare an præceptum sit legis de quarumcunque virtutum actibus, nisi ex eo quod ad finem legis sunt necessarii. Porro, si finis primus legis idemque præcipuus sine actu cuiusquam virtutis constare non potest, convincimur sane, de huiusmodi actu præceptum legislatoris esse, nisi insipientem atque improvidum in legibus necessariis volumus defuisse. Atque hæc certa regula & forma est de præceptis legis, sive naturæ, sive scripturæ, sive gratiæ, sive humanæ seu divinæ, philosophandi.

Præterea, de compensanda iniuria facta proximo, speciale præceptum est: ergo & de compensanda iniuria facta Deo: sic enim D. Thom. 3. part. quæst. 84. art. 5. ad secundum argumentum.

Huc accedit, quod si cuius amicitiam violavimus, tenemur speciali præcepto dare operam ut sarciamus, quemadmodum Matth. 5. scriptum est: ergo Dei amicitiam per peccatum mortale violatam, speciali præcepto sarcire tenemur, ac proinde pœnitentiam agere.

Illud prætereo, (quod mihi maximo argumento poterat esse ad huius rei confirmationem) quod ægroto corpori quisque tenetur medicinam necessariam adhibere, idque ex specia-

## 510 RELECTIO DE POENITENTIA.

ciali præcepto, quo habet diligere corpus; ex quo efficitur cum non minus debeat amare animum, ut medicinam necessariam ægro animo adhibere tenetur. Videlicet quemadmodum instigante naturæ lege (ut Tertulianus ait (2), & illum æmulatus Hieronymus) hirundo pullos suos de succo oculat chelidonix, & dictamnium cervi appetunt vulnerati, & cætera animantia bruta, medicinas sibi divinitus attributas instigantur ut quærant: ita proculdubio incitat divina lex, homines rationales, ut poenitentiam remedium unicum & necessarium ad salutem animæ, prosequantur.

Præterea, præcepto charitatis obligamur, media necessaria ad salutem fratris apponere (inde enim est fraternæ correctionis obligatio) ergo, & media necessaria ad salutem nostram. Et confirmatur, tenemur proximum a morte tum corporis, tum animæ liberare: (mortem enim languentibus probatur infligere, qui hanc, cum potest, non excludit) 83. dist. cap. 1. Igitur, & nosmetipsos a corporali & spiritali morte tenemur eripere. Ne hic (quod ad mores attinet) magnopere contendere debemus: An violatur præceptum charitatis, an præceptum poenitentix. Illud modo concedamus specialem novamque culpam esse non poenitere: tametsi quemadmodum cum quis non comedit cibum necessarium ad salutem, immediate quidem contra virtutem temperantix peccat, ex consequenti etiam contra charitatem; ita qui non poenitet cum videt ad salutem esse necessarium directe quidem præceptum poenitentix violat: consequenter autem violat charitatem.

Præterea, de poenitentia exteriori præceptum est: ergo & de interiori. Consequentia patet, quia si satisfactionem exterioriorem Deus exigit, interioriorem, ac multo etiam magis, requireret, quæ videlicet præcipua est in compensatione delicti. Antecedens vero certissimum est, si ea, quæ superiore controversia diximus teneantur: esse (inquam) exteriori poenitentiam necessariam ad salutem. Actus quippe omnis virtutis exterior ad salutem necessarius, circa controversiam in præcepto est.

Sed

(2) In lib. de penit. In eccles. c. 7.

Sed quid opus est multis? si homini peccatori occurrat præceptum de diligendo Deo, simulque peccatum memoriæ occurrat, illud quero tandem, an teneatur conteri, an non? si non, ergo exiens in actum dilectionis sine pœnitentia iustificabitur, quod sanæ mentis nullus admittit: si etiam, iam habetur quod volumus, de pœnitentia esse speciale præceptum, quod Tertullianus lib. de pœnitentia diserte docet, inquit: *Cum index Deus iustitia charissima sibi exigenda tuendaque præsideat, in eam omnem summam discipline sentiat, dubitandum est, sicut in universis actibus nostris, ita in pœnitentia quoque causa iustitiam Deo prestandam esse?* Et paulo inferius, *Audaciam, inquit, existimo, de bono divini præcepti disputare. Nec enim quia bonum est ideo auscultare debemus, quia Deus præcepit. Ad exhibuionem obsequii prior est maiestas divina potestatis, prior est auctoritas imperantis, quam utilitas servientis. Bonum est pœnitere an non? quid revolvis? Deus præcipit: quod igitur Deus tantopere commendat, quod etiam humano more sub dejectione testatur, summa utique gravitate & aggredi & custodire debemus.* Hactenus Tertullianus.

Et certe cum lex affirmative præcipiat, *Pœnitentiam agite*, rursumque sub mortis interpretationem subiungat, *Nisi pœnitentiam habueritis, omnes simul peribitis* intelligi non potest, quibus aliis verbis legislator huiusmodi præceptum, si vellet posset inducere. Omnis siquidem virtutis operatio, quæ verbo imperandi a lege præscribitur, aut in consilio est, aut in præcepto. De opere vero quod solum in consilio esset, dici nulla ratione posset, *Nisi hoc feceritis, peribitis*. De pœnitentiæ igitur actu præceptum est: quod eo magis mihi persuadeo, quod Ioannes Baptista statim a principio populo proponit: *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum celorum*. Eandem quoque legem, eisdemque verbis Christus primitus invulgavit, apostolisque iuvulgandam iussit. Nullo autem pacto verisimile fit, consilia legis statim in initio a populis exigi. Quinimo, illud verisimilius est a turba præcepta, & ea quidem maxime necessaria cum primis requiri: unde & Marc. x. *Pœnitentini, inquit, & credite evangelio: ut utrumque tanquam necessarium præceptum proponat, pœnitere, & evangelio credere.*

Nec

Nec illud leve testimonium est, quod habetur Apoc. 2. *Age poenitentiam: sin autem, veniens tibi cito, & movebo cathedram tuam de loco suo, nisi poenitentiam egeris.*

Huc illud adde proverb. 1. *Quia vocavi & tenuistis, ego quoque in interitu vestro ridebo.* Vocanti ergo ad poenitentiam renuere, speciale peccatum est, cui specialis poena respondent, risus & subsanatio divinae potestatis. Huic & aliud simile est Ieremia 7. *Quid vocavi & non respondistis, faci. in domui huic &c.* Et Esaia 65. *Omnes in cade corrueitis, pro eo quod vocavi & non respondistis.* Certe si ad poenitentiam vocanti, respondere consilium esset, non praecipuum, nusquam Dominus pro huius omissione, tam gravem poenam minaretur. Item Hierem. 8. Deus conqueritur, quod peccatores poenitentiam non agunt. Res est igitur debita ac proinde praecipua, siquidem Deos expostulat, si non red-damus.

Respond.  
ad argum.  
pro part.  
nega.

Ad argumentum vero primum, quod ex D. Thom. auctoritate sumitur facile responderetur, impoenitentiam ibi accipi pro quocunque peccato, de quo poenitentiae non sit. In qua significatione generale peccatum est, cum fornicatio durans usque ad mortem, homicidium quoque reatus, & quodlibet aliud simile malum, de quo homo poenitentiam non agit, impoenitentia sit, etiam si nulla culpa specialis intervenerit. v. g. si fornicator aut avarus subito interiret, correptus aliquo fulmine, quo eventu a praecipuo poenitentiae excusari potuit, nec enim habuit spatium cogitandi ut de peccatis poeniteret, tunc iuxta sententiam August. & D. Thom. eiusmodi homo habuit finalem impoenitentiam peccatum scilicet, quod non remittitur nec in hoc saeculo nec in futuro: generale quidem, non speciale peccatum.

Medium  
ad sil. ne-  
cessar. du-  
phis ge-  
neris.

Ad secundum, faveor tam esse causam, unde vel maxime liqueat poenitentiae peculiare praecipuum. Sed ut obiectionem repellamus advertendum est, medium ad salutem necessarium, esse in duplici differentia. Alterum, quod non est actus virtutis, sed vel poenitentiae vel habitus, quos Deus in nobis sine nobis operatur; vel etiam gratia & auxilium Dei, quod non nostrum, sed divina opus est: & de huiusmodi mediis, legis praecipua non sunt. Alterum medium actus virtutis est, atque in nostra positum potestate: ut credere in Christum, con-

fiteri fidem, suscipere baptismum, diligere Deum, & de huiusmodi, præcepta legislatoris sunt. Quæ quoniam non de fine, sed de mediis feruntur ad finem legis necessariis, recte colligimus, in omni lege sive naturali sive scripta, tum humana, tum divina, ea media virtutis, quæ nullo modo sunt ad finem legis necessaria, in consilio esse: quæ vero omnino necessaria, ea esse in præcepto. Vnde patet quid ad tertium argumentum respondendum sit.

Sed illud tamen urget vehementer, quod eisdem argumentis quibus ostendimus esse præceptum, ostendi æque potest, homines obligari ad confestim pœnitentiam agendum, ut peccatum mortale commiserint. Primum enim Divus Thomas 2. 2. quæst. 62. articulo ultimo, utrumque pariter affirmat, & teneri homines ex præcepto peccatum deserere, & statim id quidem: ut qui rem alienam furto suscipit, restituere protinus sine mora aliqua debet. In quarto etiam, dist. 17. quæst. & articulis retro citatis, expresse tradit, hominem obligari ad pœnitendum, cum peccata memoriæ occurrerint: quod est dicere, præceptum pœnitendi, nullas moras in peccatore permittere, qui peccati memoriæ & conscientiam habet, & ratio id videtur suadere. Nam cum peccatum memoriæ occurrit, si homo non detestatur, ex consequenti consentit.

Deinde homo tenetur, illico medicinam corporalem corpori necessariam adhibere: Ergo, & quamprimum debet animo necessariam medicinam apponere.

Præterea, proximi offensi iniuriam teneor ubi primum commode possum compensare: ergo & Dei. Antecedens notissimum est. Non enim celerius, qui damnum in pecunia dedit tenetur satisfacere, quam qui dedit in fama, vel honore. Sed qui in pecunia dedit, restituere, pensareque damnum e vestigio debet, ergo & qui aliter quoquomodo proximum læxit. Et confirmatur. Nam si frater meus habet aliquid adversum me, teneor, illi extemplo reconciliari, ut patet Matth. 5. Igitur & teneor conciliare me Deo, statim, quam, eius amicitiam per iniuriam violavi.

Præterea, simul atque commoditer possumus, fratrem nostrum a morte animi liberare, id facere sine dubio tene-

Tom. II.

Ttt

mur:

Vtrum  
præcept.  
sit statim  
de peccato  
mortali.

Ration.  
pro parte  
affirmat.

## 514 RELECTIO DE POENITENTIA.

mur: ergo & nosmetipsos a peccato mortali illico tenemur eripere. Idque eo magis quod peccatum quod mox per poenitentiam non deletur, suo pondere ad aliud trahit, u Gregorius docuit homil. 11. in Ezech. 3. At qui periculo se exponit peribit in eo, ut in Ecclesiastico legitur. Confirmat autem hoc vel maxime Leo. papa, epist. 69. ad Theodorum episcopum, inquit: *Oportet unumquemque Christianum conscientia sua habere iudicium, ne converti ad Dominum de die in diem differat, nec satisfactionis sibi tempus in finem vite sua. consticiat, quem periculose ignorantia humana concludit: ut ad paucarum horarum servet incertum.* Periculosum igitur est, poenitentiam in aliud tempus reservare. Nam & hoc Ecclesiasticus cap. 5. prohibet inquit, *Non tardes converti ad Dominum, nec differas de die in diem, subito enim venit ira eius.* Peccatum igitur est, de die in diem poenitentiam protrahere, nempe cui divinam iram Ecclesiasticus interminat.

Item, si in aliud tempus poenitentiam differre liceret, ergo & velle differre licitum est. Quod enim facere, idem & velle quoque licet. At qui existens in peccato mortali, interior poenitentiam in aliud tempus reservare vult, eo ipso interpretative & implicite vult esse in peccato mortali, in quo quandiu non poenitet, perdurare necessum est. Non licet igitur conversionem poenitentiamque differre.

Præterea, negativo præcepto astringimur, ne simus Dei inimici: nam esse Deo inimicum, usque adeo intrinsece malum est, ut nullo eventu, id velle sine gravi culpa valeamus: ergo, quandiu homo est in peccato mortali, cum sit Dei inimicus, tandiu præcepto negativo adversatur, quamlibet parum in statu peccati mortalis perseveret. Aut igitur hoc monstrum probandum est, videlicet, hominem obligari ad poenitentiam statim agendam: aut primum illud tollendum, hoc est, hominem ad poenitentiam agendam obligari: illic enim serpit hoc præceptum, si semel admititur.

Denique suadet, quod saltem singulis, diebus festis, teneatur peccator poenitentiam habere: quia finis legis est, ut requiescamus in Deo, ad hanc enim requiem, corporalis festorum quies ordinatur. At in legem facit, qui verba legis amplexus, contra legis nititur voluntatem, *lege non dubium*

cap.



Cap. De legibus, & Regula certam est, de regulis iuris, in 6. Et confirmatur, Levitici 16. *Sabbatum requiescentis est, affligetis animas vestras, ab omnibus peccatis vestris mundabimini.* Et cap. 23. *Affligetis animas vestras, omne opus servile non facietis in die hac, omnis anima qua afflicta non fuerit in die hac, peribit de populo suo: & causa subditur: Vt propitiatur vobis Dominus.*

In huius argumenti explicatione, adeo multæ sunt doctorum sententiæ, ut eas enumerare, nedum expendere, molestissimum fuerit: & cum tam variæ sint, tamque inter se dissidentes, veniam mihi dabit, viri humanissimi, si aliorum opinionibus prætermisissis, meam ego (utinam tam vere, quam breviter) explicuero.

Resolut.  
questionis

Primum ergo (ut mea fert, & communis opinio) *Non protinus tenetur homo penitentiam agere.* Atque hæc quidem assertio, non alia ratione potiore ostendi potest, quam quod fidelium omnium consensus facile, admittit, non esse peccatum mortale novum, si quis non statim atque in peccatum incidit, penitentiam agat: nec aut penitentes in confessione huius criminis se accusant, aut sacerdotes id curant, quando penitentes examinant: cum tamen nullus peccator fere sit, qui huius præcepti reus non haberetur. Imo, qui diem unum in peccato mortali duraret, non modo multa, sed innumera peccata mortalia, hoc præcepto transgrediendo, committeret.

I. concl.

Præterea, cum præceptum de penitentia affirmativum sit, in quo virtutis actus positivus præcipitur, non videtur obligare, nisi pro tempore necessitatis, quemadmodum & reliqua præcepta affirmativa.

Item, cum cætera media ad salutem necessaria, scilicet, fidem, baptismum, confessionem illico præstare minime teneamur: non est, cur unicam penitentiam mox debeamus exhibere.

Præterea, cum vera penitentia (ut ante iam diximus) a dilectione Dei proficiatur, si homo simul atque peccavit, veram penitentiam habere tenetur, quæ videlicet, necessaria est ut Deo concilietur, fieret consequens, ut homo post peccatum, statim ad diligendum Deum obligaretur.

Præterea, cum nulla ratio idonea sit, nullave auctoritas,

## 516 RELECTIO DE POENITENTIA.

qua præceptum adeo durum asseratur: certe, qua facilitate induceretur ab aliquo, eadem quoque ab aliis reiiceretur.

2. concl.

Secunda propositio. *Non tenetur homo poenitentiam agere quoties peccata memoria occurrerint, sive speculative, seu practice accurrant.* Etenim nullum aliud nos præceptum obligat ex eo quod in mentem veniat. Nec peccat mortaliter, qui non diligit Deum, quantuncunque divina bonitas proponatur, omnidilectione dignissima, nisi necessitatis articulus intercedat. Idem de præcepto fidei, & spei videre licet.

Quare, nec si peccata sese offerant peccatori, digna quæ homo detestetur, protinus obligatur, in actum contritionis exire: poterit enim libere nullum habere actum, si nullus instat necessitatis articulus.

Et confirmatur. Quia obligatio reliquorum præceptorum, ex necessitate rei sumitur, non ex memoria, aut intelligentia nostra: quippe, non quia nos intelligimus aut memoria tenemus, obligant, sed quia obligant, debemus nos dare operam, ut memoriam teneamus.

Illud etiam, quam inconsiderate dicitur memoriam praticam obligare, speculativam non obligare! quasi memoria conscientia sit, cuius iudicio homo tenetur obnoxius.

Præmam enim angustius & urgebo, quodnam sit illud iudicium praticum, vel quæ memoria, quæ post simplicem peccati commemorationem, novam præcepti obligationem inducit. Cumque nihil constantius, recte dici possit, nimirum non est cur amplius in opinione contraria refellenda ignoremur: nulla enim ratione nititur, sed solo asserentium arbitratu.

3. concl.

Atque eisdem omnino argumentis persuaderi potest tertia propositio: hoc est, *In diebus festis non obligari homines ad agendum poenitentiam, aut divina præcepto, aut humano.* Præceptum enim de colendo Deo, quo festis diebus astringimur, opera religionis præscribit. At, poenitentia (quod ante docuimus), religionis opus non est, sed vindicationis.

Item ius humanum nullum est, aut evangelicum, quo hoc præceptum asseratur: proferant & tacebimus: lex autem antiqua cessavit, lege vero naturæ nihil eiusmodi præcipi notius est, quam ut probandum sit. Et profecto errores alie-

nos reprehendere, non perinde difficile est. Facilius namque ut Cicero tradit, in mentem cuiusque venire solet, quid falsum, quam quid verum sit. Sed veram & consentaneam opinionem ingerere, eamque idoneis argumentis confirmare, hoc opus, hic labor est.

Sit igitur quarta propositio. *Præceptum de pœnitentiæ obligat in articulo necessitatis, ut reliqua omnia præcepta affirmativa, ac primus quidem necessitatis articulus facile ab omnibus admittitur periculum mortis.* Cum enim præceptum pro aliquo tempore obliget, si in periculo mortis præteritur, nullum iam restat tempus quo possit impleri. Sed notandum est, quod cum baptismus & Sacramentum absolutionis attrito conferant gratiam, institutaque fuerint directe hæc duo Sacramenta in remissionem omnium peccatorum, qui suscipit alterum ex his, sive contritus, sive attritus, vere implet præceptum de pœnitentiâ: quoniam Deus nihil amplius exigit in compensationis iniuriam & delicti commissi, quam vel contritionem sine Sacramento, vel attritionem cum Sacramento per se instituto in remissionem peccatorum. Atque hic colliges præceptum divinum de pœnitentiâ per se loquendo, obligare solum in duobus. Prius cum obligat divinum præceptum de baptismo, vel confessione: & tunc satis est pœnitentiâ interior imperfecta, si exterius Sacramentum re ipsa suscipiatur. Posterius, cum deest minister utriusque Sacramenti. Vbi sicut homo tenetur habere votum suscipiendi vel baptismum, vel absolutionem si facultas adesset: ita etiam tenetur habere perfectam pœnitentiâ, & contritionem, ut quæ necessaria tunc sit, ad remissionem peccatorum.

At vero articulus alius qui addi solet, cum videlicet quis administrare voluerit aliquod Sacramentum, vel quemcumque alium actum exercere, qui requirat hominem existentem in gratia, accidentariam obligationem habet, nec a præcepto pœnitentiæ oritur, sed a præcepto alio de digna Sacramentum vel suspensione, vel administratione. Vnde peccatur quidem peccato sacrilegii, si ab impenitente Sacramentorum aut ministratur, aut suscipiatur, non autem peccato omissionis adversus pœnitentiæ præceptum: unum excipio eu-

4. cond.

eucharistiæ Sacramentum, quod qui in mortali sumit, duplex peccatum peccat. Alterum sacrilegii in eucharistiam, alterum omissionis in præceptum peculiare divinum de præmittenda poenitentia eucharistiæ Sacramento, de quo in fine huius relectionis disseremus.

Ad primum itaque argumentum respondetur illam Divi Thomæ similitudinem inter præceptum restituendi, & præceptum deserendi peccatum, non per omnia quadrare. Quia in re Caietanus videtur fuisse deceptus, primum enim rei alienæ restitutio, re vera fundatur in præcepto negativo, quo vetamur rem alienam invito domino retinere: neque enim minus rei alienæ detractor est, qui eam apud se inventam invito domino detractat ac detinet, quam si furto suscepisset. Quo fit, ut ad obligationem restituendi iniusta acceptio impertinens sit: sive enim acceperim iniuste per furtum, sive iuste per commodatum: simulatque invito domino rem alienam usurpo furti reus habeor, atque ex consequenti violator præcepti negativi.

Rursus etiam, quotiescunque adest commoditas, rem alienam Domino suo restituendi, toties denuo pecco non restituendo, etiamsi nullum actum positivum habeam, quo rem alienam iniuste velim apud me tenere. Satis enim est ad peccatum novum usurpatio ipsa libera exterior rei alienæ, eo tempore quo oportebat eam Domino reddere.

At, præceptum poenitentiae, per quam homo peccatum fugit & deserit, sicut & charitas, quæ radix & fundamentum poenitentiae est, re vera, quicquid Caietanus intelligat, præceptum est affirmativum: ne includit negativum, nisi quemadmodum omnia affirmativa dicuntur includere de actu contrario, ut præceptum charitatis secum habet annexum præceptum odii negativum: præceptum temperantiae, negationem intemperantiae: spes quoque desperationem, fides infidelitatem negat, & prohibet; sic præceptum poenitentiae ex consequenti vetat, ne quis impoenitens sit impoenitentia positiva contraria. Quo fit, ut non poenitere proprie contra præceptum affirmativum sit, non contra negativum. Quocirca, tunc solum peccatum erit cum præcepto affirmativo fuerit adversum, adversatur autem, cum quis

quís eo tempore pœnitentiam non agit, quo ex præcepto agere tenebatur : hoc est in articulo necessitatis, quemadmodum superius explicatum est.

Sed est tamen similitudo utriusque præcepti, & restituendi & pœnitendi proportionalis duplex. Prius quod quemadmodum non dimittitur peccatum nisi restituatur ablatum, ita quoque non dimittitur nisi agatur pœnitentia. Posterius etiam, hæc duo præcepta in hoc assimilantur, quod sicut non restituere rem alienam iniuste detentam, habet malum statum peccatoris annexum, ita & non pœnitere de peccato commisso. Quo fit, ut sive hic, sive ille, hoc est, vel qui non restituit, vel qui non pœnitet, in actum positivum exeat, alter, quo vult non restituere, alter, quo vult non pœnitere semper peccet novo peccato. Et quidem frequenter loquendo, (ut Theologos decet) in promptu patet, id quod diximus. Avarus enim pravæ affectus aliena re detinenda, cum in mentem illi venit aliena res, si in actum voluntatis positivum prodeat, quo videlicet vult non reddere, ex consequenti, ut experimento constat, statum illum probat & elegit in quo est : & qui non pœnitet simili ratione si peccata quæ fecit illi occurrant, habeatque actum voluntatis positivum plerumque nihil aliud, quam consentit, & probat statum peccati, quod ante commisit.

Quod si volumus etiam rem hanc magis premere, sine dubio peccator cui peccata memoriæ occurrunt, nec pœnitet, si quem actum eliciat etiam pro tempore quo non teneatur pœnitentiam agere, semper peccat peccatum novum. Illud siquidem obiectum volitionis, qua volo non pœnitere, etiam dum non teneor, nulla ratione honestari potest: cum actus oppositus, hoc est, pœnitentia & contritio, omni tempore usque adeo bona & honesta sit, ut contrarius actus, quo pœnitere nolo, nullo unquam tempore honesti rationem habeat. Non assero tamen, esse peccatum mortale, velle non pœnitere, tempore quo non teneor, peccatum, inquam, mortale ex genere suo: est tamen veniale, quia non habet obiectum honestum: actus vero indifferentes schola nostra penitus reiicit. Hunc igitur in sensum Divus Thomas intelligendus est, ut scilicet, homo statim teneatur,  
imo

## 520 RELECTIO DE POENITENTIA.

imo semper, poenitere de peccato commisso: non positive dolendo, sed negative, non complacendo: quo etiam sensu ipse idem loquitur tertia parte, quæst. 84. art. 8. ubi secutus Augustinum, libr. de poenitentia, capite decimo nono, & habetur de poenitentia, dist. 3. cap. *Poenitentia est*, & Hugonem de S. Victore dicentem, quod Deus absolvens hominem a vinculo culpæ & poenæ æternæ, ligat eum vinculo perpetuæ detestationis peccati, asserit, poenitentiam, etiam post remissum peccatum, debere durare usque ad finem vitæ. Quod egregie annotavit Caietanus in commentariis supra eundem articulum; nam, quod post impetratam veniam per primam contritionem, homo iterum atque iterum dolere teneatur, nulla ratione nititur nisi cum homo dubitat, an vere fuerit contritus: tum enim locum habet quod Isidorus tradit secundo libr. de summo bon. Propitiatio Dei occulta est; sine intermissione flere necesse est.

Quem etiam in modum possemus explicare, quod in 4. sentent. dist. 17. dixit hominem præcepto poenitentia obligari, cum peccata memoriae occurrunt: tenetur enim non sibi ipsi placere in peccato commisso, quod occurrit. Quare nisi actum suspendat (quod tamen rarum & difficile est) si non poeniteat, semper peccabit. Scio Caietanum huic ipsi loco ex 4. sententiarum aliter occurrere, legat qui volet, nec enim eius intelligentia omnino pessima est.

Pro secundi vero argumenti solutione notandum est, discrimen esse inter bona corporis, scilicet salutem & vitam corporalem, & bona animæ, hoc est, salutem & vitam spirituales: quod illorum non magis sumus domini, quam vitæ & salutis proximorum nostrorum; nam vitæ & mortis solus Deus sibi dominium reservavit; posteriorem vero bonorum unusquisque dominus est, habetque eandem liberam potestatem, quam pecuniæ & reliquæ rei familiaris. Hoc autem discrimen primum ratione constat: sumus enim domini eorum bonorum, quæ nostra diligentia, labore atque industria comparavimus: cum ergo bona spiritualia, hoc est, virtutes quibus salus & vita animæ continetur, nostra libertate & industria interveniente nobis obveniant, nostro ea nobis iure vendicamus: nam & hoc titulo opifex quisque sui operis

ris dominus est: vita autem corporis, naturæ donum est, non ingenio nostro, aut industria patrum. Quocirca nihil mirum, si naturæ auctor, huius rei dominium sibi assumpsit.

Quod etiam bonorum spiritualium domini simus, testimonium illud ecclesiæ confirmat: *Dens ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilii sui; posuit ante illum vitam & mortem, &c.*

Signo quoque manifesto hoc discrimen innotescit. Nam, si mortem mihi conscisco, non aliter contra præceptum illud, *Non occides*, pecco, quam si proximum interficerem. Item; si ex gula cibum aliquem sumo vitæ corporali noxium, duplex peccatum pecco: alterum contra temperantiæ legem, alterum contra illud, quo teneor vitam corporalem servare, & meam, & alienam, non tanquam Dominus, sed tanquam dispensator & custos. At vero, si mortis spiritualis mihi causa sum, ea iactura mihi non imputatur. Quin si per fornicationem, gratiam, virtutem, salutem, vitamque animi perdam, unicum fornicationis peccatum agnoscitur. Quo uno argumento satis liquet, bonorum spiritualium nos esse vere dominos, non dispensatores, quando horum dissipatio nobis non imputatur ad specialem culpam.

Ex hoc etiam discrimine ratio patet, cur volenti se occidere corporaliter quisque privatus vim possit inferre, cogereque vel invitum, ne se occidat: quam tamen vim volenti se spiritualiter interficere non licet inferre, nisi is qui infert, superior auctoritate & potestate sit. Cuius differentiae (ut reor ego) non alia causa est, nisi quod vitæ suæ corporalis nemo est dominus. Vnde; sicut volenti alium occidere, vim inferre quilibet potest, ut impediatur: ita & seipsum interimere volenti. At: cum vitæ spiritualis unusquisque sit dominus, iniuriam illi feceris, si vim attuleris, non aliter ac si domino pecuniarum pecunias suas etiam prodige consumenti manus ad impediendum iniicias violentas.

Hisce igitur explicatis, facile patet, consequentiam illam non valere: non enim, si statim vitæ corporali, sive proximi, sive meæ teneor succurrere, statim quoque teneor vitæ spirituali mederi, præsertim meæ, cuius sum dominus. Certe, si salutis corporalis liberum dominium haberemus,

quæ quartam scribit, quum protinus sanare posset, ad duos  
 listque annos differret, mortaliter non peccaret. Nunc autem  
 si quis, vel in se, vel in alio gravem aliquem morbum, quem  
 pellere illico posset, ad longum tempus protraheret, nesci-  
 rem equidem excusare a peccato mortali.

Ad tertiam negatur item consequentia, nec enim ego  
 antecedens (quod nonnulli faciunt) negare possum. Scio  
 quidem, latitudinem quandam esse in ea temporis celeri-  
 tate, quam homini ad compensandam injuriam proximo il-  
 latam præstitimus. Sed, qui proximum læsit in honore,  
 vel fama, si habens opportunissimam opportunitatem inju-  
 riam compensandi negligit, & ad finem vitæ reservat, non  
 existimo tam temerarium, & inconsultum theologum esse  
 futurum, ut illum per quinque etiam annos cessante, &  
 torpentem excuset. Certe Christus non excusaret; an theo-  
 logi debeant, ipsi viderint. Consequentiam igitur ego ne-  
 go, quia compensationem injuriæ factæ proximo, non so-  
 lum propter nostras utilitates, verum (ac multo etiam mag-  
 nis) propter utilitatem eius, cui injuria facta est, legisla-  
 tor exigit. At, compensatio injuriæ, quæ Deo per pecca-  
 tum fit, non propter Dei commoditates; sed propter no-  
 stras exigitur: quippe, cum compensationis nostræ Deus  
 non indigeat, nos egeamus, quo fit, ut bona sua Deus in  
 hac parte pro nostris habeat. Vnde ad eandem legem pos-  
 tulât, quæ illi debemus, & quæ debemus nobis ipsis: nec  
 arctiore vinculo satisfactionem efflagitat injuriæ suæ, quam  
 remedium salutis nostræ. Tum ergo tenebimur Dei compen-  
 sare injuriam, cum bona nostra spiritualia diligere tenemur,  
 inque necessitatis articulo procurare.

Ad quartum (quoniam præcedentis argumenti confirma-  
 tio ex dictis facile solvitur) non desunt, qui antecedens  
 inficientur, eo quod apud Augustin. lib. 1. de civit. Dei,  
 cap. 9. correctionem fraternam in aliud tempus commodius  
 reservare licet. At hi (bona venia me audietis) Divi Au-  
 gustini intelligentiam non assequuntur; nusquam enim Au-  
 gustinus credidit, ubi se offert magna commoditas corripi-  
 endi fratrem, hoc est, cum id fieri potest nulla mea ia-  
 ctura, multa fratris commoditate, licitum esse pro meo ar-  
 bitratu, correctionem fraternam in alium annum remitte-



re, ubi spectetur vel æqua commoditas, vel etiam maior. Sed id sentit prudentissimus auctor, utra correctio sine iactura mea fieri non potest, differri nonnumquam posse in tempus, ubi commodius sine iactura mea fiat. Cum igitur interior poenitentia ubique gentium, & omni tempore fieri commodissime possit, si non licet liberationem proximi differre, si fieri commodissime potest, ergo nec hosceant. Sed nego tamen consequentiam: quia honorum spiritualium proximi mei custos sum, non dominus: idcirco illum mox eripere teneor, & vivificare, si possum: meipsum non mox teneor etiam si possim. Commoditas præterea ad corripiendum fratrem, non semper & ubique parata est: idcirco, quando sese offert, illud præcipit ut accipiat. Commoditas autem eripiendi nos, ubi temporis & modus est in promptu. Quare, noluit nos suavissimus legislator semper obligare, quotiescunque opportunitas addesset, ne nos innumereis peccatis involveret. Ac re vera (utcuque opinemur) negare non possumus, inter bona proximi, & nostra, longum esse interval- lum. Nam bovem proximi, aut ovem iacentem levare teneor, & servare, si possum; bovem meum, aut ovem non item, nisi res esset ad vitam meam conservandam necessa- ria: tunc enim, sicut nec vitæ, ita nec illius rei, sine qua vita non degitur, liberam habeo facultatem. Sic ergo & bona spiritualia proximi mei, etiam extra mortis æternæ periculum curare teneor: mea non perinde, nisi cum articu- lus necessitatis propriæ spiritualis occurrit, hoc est pericu- lum mortis æternæ.

Ad testimonium vero Gregorii, quod ibi subiungitur, fateor equidem, quod, si quis periculum proximum & cer- tum in se videret incidendi in novum peccatum mortale, nisi antiquum aboleret, teneretur tunc temporis poeniten- tiam agere. Quomodum enim, qui ex assidua consue- tudine iurandi intelligit, sed in eo periculo constitutum, ut facile exeat in periurium, obligatur consuetudinem illam retractare, per quam in periculo deierandi constituitur: sic qui ex assuetudine peccandi cognoscit, se ad aliud, at- que aliud peccatum trahi, nec tentationibus quotidianissi- ne ingenti periculo posse resistere, videtur proculdubio tene- ri ad illum statum desserendum. Et hinc patet quid ad

## 524 RELECTIO DE POENITENTIA

Leonis Papæ verba dicendum sit. Id vero, quod ex Ecclesiastico additur, consilium saluberrimum est, non præceptum. Consilii autem ratio redditur: ne forte subito præoccupati horâ mortis, quæramus spatium poenitendi, & invenire non possimus.

Iam quinti argumenti concedo primum consequens, si nihil aliud ibi significetur: quam non esse peccatum poenitentiam differre: sic enim interim solemus appellare licitum, quod peccatum non est. Sed cum rursus colligis: ergo velle differre licitum est; nego consequentiam: nam talis volitio non habet bonum obiectum, ut ante diximus; non enim ii sumus, qui admittamus, aliquem actum esse licitum, qui meritorius esse nequeat: imo ne bonus quidem moraliter, quod nonnulli libera fronte concedunt. Ergo, cum tandem obiicis. Quod licet facere, licet velle, bene dicis, si quod dicis, attendis. At poenitentiam differre, non est facere, sed non facere: non autem statim licet, velle non facere, quæ non facere licitum est, id est, quæ si non feceris, non peccas, verbi gratia, non levare festucam, illicitum non est: at velle non levare, si nullum finem honestum apponas, otiosum, ac proinde illicitum est. Item, non facere bonum, interdum licet, videlicet cum non teneor: at velle non facere, (quod retro etiam diximus) nulla ratione honestari potest.

Ad sextum argumentum. Licet præceptum negativum generale sit, ne fiamus inimici Dei per actum, quo inimicitia contrahatur: at, ne simus inimici Dei secundum reatum, nullo negativo præcepto sumus astricti. Sicut enim de amicitia habituali Dei, nullum præceptum affirmativum est: sic de inimicitia, quæ secundum reatum est, quasi habitualis, nullum est negativum; omnes siquidem leges, actus, vel præcipiunt, vel prohibent, non habitus. Et cum obiicitur. Velle esse Dei inimicum secundum reatum, etiam est intrinsece malum, fateor id quidem, quia, ut volitio mala sit, satis est obiectum esse malum, sive secundum actum, sive secundum reatum: nam qui positive vult habitum habere vitii, vel etiam esse reatu malus, consentit in rem, quæ rectæ rationi adversatur, imo adeo implicite consentit in culpam, sine qua nec habitum vitii habere, ne reatu ma-

lus

Ius esse potest ; non tamen proinde sequitur , quod sit præceptum de non perseverando in peccato , sed solum , ne velimus malum , quod cum recta ratione pugnat. Atque ( ut uno verbo dicamus ) velle Dei inimicitiam , directe charitati adversatur ; at , non velle amicitiam eo , scilicet , tempore , quo non teneor velle , charitati non repugnat. Quare negatur consequentia.

Ad ultimum. Quamvis sciam ego , Scotum & Gabr. in 3. dist. 37. Angelum , in verb. Feriæ , Nider. in suo præcepto , Florentinum part. 2. tit. 9. asseruisse ; in diebus festis , maxime dominicis , teneri homines ad diligendum Deum super omnia , ac proinde : si in peccato sint , ad habendam contritionem : sed quoniam ignoro , unde ad hanc opinionem doctores illi venerint , libere possum , quod non satis explore præceptum sit & cognitum , sine ulla dubitatione negare. Nam , sicut esse plures mundos naturalis ratio negat , quoniam plures esse , ratio nulla naturalis probat : sic peccati mortalis obligationem rationabilissime ubique negabimus , quoties idoneis argumentis non asseritur. Nam illud imbecillum est , quod subiungitur : cum ex D. Thomæ , & graviorum auctorum sententia ad finem legislatoris minime teneamur , sed ad media , quæ lex , finis gratia consequendi , præscribit. Non enim , si finis præcepti charitas est , tenemur protinus omnia præcepta legis implere ex charitate , nec si lex iubet Quadragesimæ ieiunium , ut mens elevetur in Deum , astringimur proinde ex eius præcepti vigore , mentem in Deum elevare. Quod vero dicitur , tenendam esse mentem legis , non verba , sit ita sane : sensum enim legis amplectimur , non sonum verborum. Credimus namque legem in eo sensu accipiendam , quem per verba legislator efficere voluit.

Iam illud , quod ex Levitico asseritur , nullius est momenti. Primum , quoniam Lex vetus abolita est , nec nos obligat , nisi ea parte , qua legis naturæ præcepta continebat. Deinde , quoniam lex de certo quodam die loquebatur , quod festum propitiationis erat : ubi sacerdos semel in anno peculiariter pro peccatis populi orationem fundebat ad Deum , atque hostias offerebat : ut quod nunc ecclesia facit semel in anno obligans ad poenitentiae sacramentum , tum in vetere

illo

illo populo præsignaretur. Non erat autem lex, quæ singulis festis & sabbatis hanc animi afflictionem præscriberet. At mihi videor satis de poenitentia virtute disseruisse. Proximum est, ut de poenitentia Sacramento disseramus, videamusque iam ea, quæ sequuntur. Primum, *An poenitentia Sacramentum sit ad salutem necessarium*; deinde, *An de poenitentia Sacramento præceptum sit*. Hæc enim ex thea partitione restant duo de quibus accuratius disserendum puto: quoniam utraque disputatio, & ad agnitionem sacrarum literarum pulcherrima est, & ad componendas multas scholasticas concertationes necessaria.

## PARS QUINTA.

### *De necessitate Sacramenti Poenitentia.*

Questio.  
Ration.  
dubit. pro  
part. neg.

**Q**UOD igitur poenitentia Sacramentum non sit fidelibus ad salutem necessarium, primum suadet ex eo, quod post baptismum qui in peccatum incidit, non potest per poenitentiam reparari, ut apostolus ad Hebr. 6. videtur affirmare, cum ait: *Impossibile est eos, qui semel sunt illuminati, & participes facti sunt Spiritus Sancti & probapsi sunt, rursus renovari ad poenitentiam*. Et cap. 10. *Voluntarie peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis iam non relinquitur pro peccatis hostia*: terribilis autem quædam expectatio iudicii, & ignis æmulatio, quæ consumptura est adversarios.

Præterea, a præciso sacerdote non possumus etiam in mortis articulo hoc Sacramentum sumere, ut D. Thom. auctor est (1). Liceret autem, si esset ad salutem necessarium, cum ob id ab hæretico & schismatico Sacramentum baptismi licite suscipiamus.

Præterea, Deus non deficit in supernaturalibus necessariis, sicut nec natura in necessariis deficit; si ergo Sacramentum

---

(1) 4. dist. 10. art. 2. quæst. 3. Et 3. part. quæst. 82. art. 7. ad 2. 3. de anim. rext. cap. 45.

tum hoc ex divina institutione esset medium ad salutem necessarium, certe providis et Deus de ministro in articulo mortis. Quare iure divino quilibet sacerdos quemlibet tunc temporis posset absolvere, sicut & baptizare tunc quilibet quemlibet potest. Quo circa talom ecclesia potestatem sacerdotibus simplicibus adimere non valeret, quod absurdum est.

Præterea, si sine hoc Sacramento non constaret salus: ergo summo pontifici via salutis non pateret, cum nullum habeat in terra superiorem & iudicem. At minister huius Sacramenti iudex & superior est, pœnitens inferior, ac iudicatus: non igitur est hoc Sacramentum de necessitate salutis.

Præterea, si hoc Sacramentum necessarium esset, id maxime ex verbis thematis. *Nisi pœnitentiam habueritis, &c.* Sed inde non probatur: pari enim ratione ostenderetur, Sacramentum Eucharistiæ esse ad salutem necessarium: cum in eundem modum dicat Dominus (2), *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, &c.*

Præterea, D. Chrysostomus homil. in Psalm. 50. secunda, *Peccata tua, inquit, dicit, ut deleas illa: si coniunderis alium dicere, qui peccasti, dicit ea quotidie in anima tua: non dico, ut confitearis conservo tuo, dicit Deo, qui curat ea.* Et in oratione de beato Philogonio: *Ego restitutor, ait, ut, si quisque nostrum recedens a pristinis malis ex animo vereque promittat Deo, se postea nunquam ad illa redditurum, nihil aliud Deus requirat ad satisfactionem ulteriorem.* Idem in sermone de pœnitentia & confessione, & homil. 20. in Genesim, & super epistolam ad Hebr. hom. 31. referturque a Gratiano de pœnitentia, dist. 1. cap. *Quis aliquando*, & a Magistro in 4. dist. 27. Igitur Sacramentum confessionis, & absolutionis sacerdotalis non est ad salutem necessarium.

Et confirmatur. *Quis Nectarius episcopus Constantino-*polititanus Chrysostomi antecessor abrogavit confessionem, quæ sacerdotibus fit, (ut lib. 9. histor. trip. cap. 35. *Sozomenus* refert), non autem vir sanctus abrogaret, si Sacramentum confessionis esset ad salutem necessarium. Et  
con-

(2) 10. ann. 6. cap.

## 528 RELECTIO DE POENITENTIA.

confirmatur rursum. Quia apud Græcos post illa tempora confessio, quæ sacerdoti fit, reiecta est atque abolita: non erat ergo medium necessarium ad salutem, alias, exinde, nullus Græcorum salutem fuisset consecutus, quippe (ut ante docuimus) in mediis ad salutem necessariis nemini ignorantia patrocimatur, ut sine illis æternam salutem possit adipiscit quæ est ratio glossæ de poenitentia, dist. 15. statim a principio, ubi tenet, confessionem esse institutam ex ecclesiæ traditione, potius quam ex novi testamenti auctoritate. Idem tenet Panor. super caput. *Omnis utriusque sexus, de poenitentii & remissionibus*. D. quoque Bonaventura dist. 17. quarti sententiarum, quæst. 3. art. 3. asserit, confessionem non esse institutam a Christo, sed ab apostolis: non ergo ita gravis est error, negare confessionem sacramentalem apud sacerdotes esse ex divino iure ad salutem necessarium.

In contrarium est Div. Thomas 3. part. quæst. 84. art. 5. ubi ex verbis thematis colligit, poenitentiae Sacramentum esse ad salutem necessarium. Quemadmodum enim de baptismo instituendo Dominus loquitur, cum ait (3) *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, &c.* ita & de poenitentiae Sacramento, quod erat instituturus, videtur loqui, cum dicit, *Nisi poenitentiam habueritis, &c.*

Resolut.  
Quæstion.

In huius controversiæ explicatione ponenda mihi sunt fundamenta quædam ad futuram fabricam constituendam necessaria.

1. Fund.

Primum est, Poenitentiam exteriorem, in qua sacerdos poenitentem a peccatis absolvit, esse Sacramentum. Hoc fundamentum primi Novatiani evertere voluerunt; negarunt enim sacerdotes per absolutionem peccata remittere, atque ex consequenti negarunt poenitentiae Sacramentum, quod utique nullum est, si remissio peccatorum in eo non est. Adversus quos disputat Ambros. lib. 1. de poenitentia, cap. 2. 6. & 7. Hos Wiclephistæ postea secuti sunt (ut auctor est Thomas Waldensis lib. de Sacramentis, cap. 135. negaverunt enim etiam ipsi, sacerdotes vere absolvere poenitentes): Quæ tamen est aperta hæresis. Primum, ex cap. *Ad abolendam, extr.*

de

(3) IOANN. 3. cap.

*de hæreticis. Vbi Lucius tertius, Vniversas, inquit, qui de Sacramenta corporis & sanguinis Domini nostri, vel de baptismo, seu de peccatorum confessione, vel reliquis ecclesiasticis Sacramentis, aliter sentire, aut docere non metuunt, quam sacrosancta Romana ecclesia predicat & observat, vinculo perpetui anathematis innodamus.*

Deinde, ex Concilio Florentino sub Eugenio 4. in decreto super unione Armenorum, ubi pœnitentia numeratur inter aliqua novæ legis Sacramenta. Item ex concilio Tridentino, sess. 7. Can. 1. *de Sacramentis in genere.*

Præterea, ex cap. *Firmiter*, ubi definitur, quod Iesus Christus claves ecclesiæ commisit apostolis, eorumque successoribus; clavis autem a catholico intelligitur, potestas aperiendi regnum cœlorum, ac proinde absolvendi a peccatis, per quæ regnum cœlorum peccatoribus clauditur. Nec huiusmodi intelligentiam aliunde quam a Christo Domino accepimus, qui Matth. 16. cum claves Petra pollicitus esset, explicans e vestigio, quidam ipsi polliceretur, *Quodcumque, inquit, solveris super terram, erit solutum & in cœlis.*

Communis quoque ecclesiæ consensus id confirmat, quæ est columna & firmamentum veritatis ( ut dicitur 1. ad Timoth. 3.) Credunt autem omnes fideles, cum peccata sua sacerdotibus confitentur, & ab eis percipiunt absolutionis formam, remissionem quoque peccatorum simul percipere. Merito igitur concilio Constantiensi præsidens Martinus quintus in bulla condemnationis Ioannis Wicleph definit, quod sacerdos potest peccatorem confessum a peccatis absolvere, & quod sacerdos, etiam malus, cum intentione faciendi quod facit ecclesia, vere absolvit, &c.

Suppetunt etiam sacrarum litterarum testimonia ad huius rei confirmationem: ut illud (quod Ambrosius adducit) Matth. 16. *Tibi dabo claves regni cœlorum: & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cœlis.* Item illud 2. ad Corinth. 2. *si quid donastis, & ego: nam, & quod ego donavi propter vos in persona Chrysai.* Et cum sacerdotes in baptismo abluant a peccatis, eo quod baptismi ministerium illis commissum est, pari ratione & in pœnitentia. *Quid enim interest (Ambros. ait) utrum per pœnitentiam, an per lavacrum hoc ius sibi datum vendi-*  
- Tom. II. Xxx cent

cent sacerdotes? Nempe unum in utroque ministerium est. Nam ut illis dictum es Matth. ultimo. *Baptizate omnes gentes, &c.* Ita Ioannis 20. Dominus ait, *Sicut misit me pater, & ego mitto vos: accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt.* Si ergo acceperunt sacerdotes potestatem remittendi peccata, & eam exercent absolvendo confitentes peccata sua, sine dubio signa illa sensibilia sunt Sacramentum.

2. Fund.

Secundum fundamentum. Hæresis est negare Sacramentum poenitentiae esse iudicium quoddam ex Christi institutione; hoc est, sacerdotes remittentes peccata, esse veros iudices a Christo Domino constitutos. Decipiuntur enim nonnulli existimantes confessores esse iudices arbitros, habentes videlicet potestatem ex electione iudicandorum. Qui profecto errant in media luce. Nam potestas remittendi peccati sacerdotis a peccatoribus conferri non potuit, sed a solo Christo, cuius sunt iudices delegati.

Præterea, claves non conferunt sacerdotibus ipsi peccatores, sed ipse Dominus Iesus Christus contulit eas apostolis, eorumque successoribus, ut in cap. *Firmiter, de summa trinitate* definitur. Potestas ergo solvendi atque ligandi peccatores a Christo Domino sacerdotibus collata est.

Præterea, manifestissime hæc res ostenditur ex illis verbis iam citatis: *Sicut misit me pater, & ego mitto vos, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, &c.* Sunt ergo iudices a Christo constituti, a quo acceperunt potestatem peccatores iudicandi. Quod si princeps, qui haberet a Casare potestatem delegandi, diceret cuiquam: *Sicut misit me pater, & ego mitto te: quorum remiseris delicta, &c.* Non dubitaremus eiusmodi hominem esse a principe filio Cæsaris iudicium delegatum. Cum igitur filius Dei, homo Christus Iesus, cui omne iudicium datum est, omnisque potestas in cælo, & in terra, dixerit apostolis, *Sicut misit me pater, &c.* ambigi nulla ratione potest, eos esse iudices peccatorum a Christo Domino constitutos.

Præterea, ecclesiae consuetudo apertissime indicat; poenitentiae Sacramentum exerceri iudicialiter: est enim ibi reus & accusator, est, sententia, est poena iniuncta. Sed hæc potestas quam exercent sacerdotes in Sacramento est a Christo

pro-



probatum est) ergo ab eodem instituti sunt iudices.

Ad hæc, in Concilio Florentino definitur, quod minister huius Sacramenti est sacerdos habens auctoritatem absolventi, vel ordinariam, vel ex commissione superioris. Ergo, si iurisdictionis potestas in ministro huius Sacramenti requiritur, iam palam fit, Sacramentum hoc esse iudiciale ex institutione Christi. Nam sicut pastores ovium Christi non sunt pastores ab ovibus, sed a Christo, Ioann. 21. *Pasce oves meas*, ad Ephes. 4. *Ipsè dedit quosdam quidem apostoles, alios pastores*, &c. Ita non sunt iudices ovium ad ovibus, sed a Christo; nam quibus commisit, ut oves pascerent, commisit simul, ut de ovibus iudicarent.

Tertium fundamentum. Non possunt iudices constitui a Christo iudicare de peccatis, nisi ea cognoscant. Hoc lumine naturali manifestum est; nisi enim innotescant delicta iudicanti, ignorare necesse est, utrum solvere debeat, an ligare, remittere, an retinere. Quare, sive absolvat, sive retineat, utraque sententia erit imprudens. 3. Fund.

Item, quia vel iudex delegatus aliquam pœnam iniungit pro delicto, vel nullam; si nullam, iniquus est minister iustitiæ: si aliquam, imprudentissimus est, quamlibet iniungendo sine cognitione delicti. Nam & æquali pœna inæqualia crimina vindicabit, & æqualia inæquali. Cum igitur Christus non instituerit iudicium absurdum, & imprudentia plenum, certe instituendo iudices, pariter instituit, ut delictorum haberent cognitionem, ne turpiter in iudiciis aberrarent.

Quartum fundamentum. Omnium peccatorum tam publicorum quam occultorum, tam exteriorum, quam interiorum, sacerdotes constituti sunt iudices. Patet ex universali sermone. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*, &c. Ioann. 20. & Matth. 16. *Tibi dabo claves regni caelorum. Et, quodcumque solveris*, &c. Alioqui tota ecclesia seduceretur, quæ putat se accipere etiam remissionem delictorum occultorum, quæ sacerdotibus confitetur. Seduceretur (inquam) si non accepissent potestatem remittendi cum publicis etiam occulta peccata. 4. Fund.

Præterea, si Christus de solis exterioribus loqueretur, ergo per absolutionem sacerdos remitteret solum exteriora pec-

## 532 RELECTIO DE POENITENTIA.

cata, & non interiora, quare dimidiatam veniam præstaret, ait (enim) *Quorum remisistis, remissa sunt, & Quorum retinueritis, retenta sunt.*

5. Fund.

Quintum fundamentum, Pœnitentiæ Sacramentum tres partes habere, contritionem cordis, confessionem oris, satisfactionem operis. Quæ videlicet quasi materiâ sunt huius Sacramenti. Nam verba absolutionis sacerdotalis, forma sunt, qua hoc Sacramentum perficitur. Nec me clam est, Scotum in 4. dist. 14. quæst. 4. & dist. 16. quæst. 1. id negare, quod nos tanquam fundamentum iacimus: credimus enim solam absolutionem sacerdotis, esse integrum pœnitentiæ Sacramentum, quia sola (inquit) ea significat gratiam, solaque proinde gratiam præstat. Durand. (4) etiam in eadem erroris navi versatur. Quatuor de causis dixit, contritionem & satisfactionem non esse huius Sacramenti partes. Primam posuit, quod forma, id est, absolutio, non applicatur nisi confessioni: ergo sola confessio est materia, cui scilicet soli forma tota adiungitur: nam & rei artificialis materiâ ea est integra artis, cui forma integrâ admovetur. Alteram, quod contritio non est signum sensibile, res autem sensibiles Sacramentorum materiæ sunt. Tertiam, quod attritio sola verum, atque integrum conficitur Sacramentum: quod si contritio esset huius Sacramenti pars, non posset alia loci illius subrogari. Quartam causam esse, eamque vel maximam, quod satisfactio sit posterior tempore, quam absolutio Sacramentalis: ergo non est de integritate Sacramenti: nec enim est totum succesivum, sed per manens, quod suas omnes partes simul habere necesse est: cuique iam existenti, si posterius tempore quicquam contingant, non est pars, sed accidens rei. Et confirmatur, quia tanta potest esse contritio, ut tota pœna remittatur; erit ergo tunc satisfactio superflua, quare non est pars, nunquam enim pars suo toti supervacanea est. At vero omnia hæc commentitia sunt, nec possunt fundamentum quod iectimus infirmare; habetur enim ex concilio Florentino, eius auctoritatem Theologi sane tenere debemus: in concilio quidem Florentino definitur, omnia Sa-

Arg. contra Scot. & Durand.

cramentum materia, formaque constare, & postea, *Quærenti*, inquit, *Sacramentum est pœnitentia, cuius quasi materia sunt actus pœnitentis: qui in tres distinguuntur partes, cordis contritionem, oris confessionem, operis satisfactionem, forma autem sunt verba absolutionis.* Hactenus concilium Florent. Et conc. Tridenti sess. 6. cap. 24. *Docendum est*, inquit, *Christiani hominis pœnitentiam, (quam secundam tabulam post naufragium sancti patres apte nuncupaverunt) non solum cominere cessationem a peccatis, & eorum detestationem, verum etiam eorundem sacramentalem confessionem, itemque satisfactionem.* Hæc Synodus Tridentina. Ratio quoque in promptu est. Quia cum Pœnitentiæ Sacramentum, quoddam iudicium sit, eius integritas ex his omnibus constat, sine quibus integrum iudicium non est. Sicut & processus iudicialis multis actionibus continetur, videlicet accusatione, testimoniis, confessione ipsius rei, sententia iudices, &c. *Omnia hæc enim ad integrum iudicium requiruntur.*

Contritio itaque pars huius Sacramenti est, quatenus est ratio exterioris confessionis: ut videlicet confessio non ficta sit; sed verus pœnitentiæ actus. Et indicere multam, atque eam executioni tradere, ad integritatem iudicii pertinet. Siquidem non est perfectum iudicium, quod absolvitur reus a culpa, nisi pœna, per sententiam dicta, executioni tradatur. Quapropter, satisfactionem a sacerdote iniunctam, Sacramenti iudicialis partem esse, negare nullo modo debemus.

Ad argumentum vero Scoti, non est difficile inficiari solam absolutionem gratiam conferre. Nam sicut in iudicio fori exterioris, si quis per legitima testimonia & suam confessionem absolvatur, omnia hæc sunt vere causa illius absolutionis, licet iudicis sententiam ut præcipuam causam spectemus: ita quoque in foro conscientie interiori princeps quidem causa absolutionis, sacerdotis sententia est, sed ratio tamen & causa concurrens, ut rite pœnitens absolvatur, testimonium illud etiam fuit, quod adversum se pœnitens dixit (sive accusationem vocare malis), qua se accusavit. Vnde patet error glossæ de pœnitentia, distinctione prima, cap. primo, dicentis: *Nec cordis contritione, nec oris confessione peccata dimitti, sed tantum gratia Dei.* Nam in omnibus aliis Sa-

Ad arg.  
Scoti res-  
pond.

cræ-

### 534 RELECTIO DE POENITENTIA.

cramentis, non solum forma, sed etiam materia est causa instrumentalis, qua Deus utitur ad remittendum peccatum: aqua enim baptismi, nedum forma verborum corpus tangit, & cor abluit, ut August. asseruit. Quod idem in cæteris sacramentis inducere possumus. Cum ergo tam contritio, quam confessio partes sint huius Sacramenti, consequens fit, ut gratiæ causa etiam existant.

Respond.  
ad argum.  
Durand.

Ad primum vero argumentum Durandi respondetur. Non omnes partes integrales eiusdem rationis esse; etenim (ut modo dicebamus) in iudicio prophano, uliter est pars confessio rei, aliter testimonium testium & aliter multa a iudice inflicta pro culpa commissa. Et licet per sententiam quis absolvatur a morte, & absolutio delicto applicetur, quod morte non erat dignum: si tamen iudicatur a iudice pecuniaria multa, illius executio spectat ad iudicii integritatem, licet absolutio non adiungatur: & ideo Divus Thom. 3. part. quæst. 90. art. 2. docuit, has tres partes materiam appellari Sacramenti, quia partes, ex quibus integratur totum, habent se ut materia. Et concil. Florentinum non dixit, huius Sacramenti materiam esse actus poenitentis, sed quasi materiam.

Ad secundum respondet D. Thom. (est enim primum argumentum illius secundi articuli) quod contritio virtualiter pertinet ad exteriorem poenitentiam, in quantum implicat propositum confitendi & satisfaciendi. Contritio siquidem (ut recte Caietanus admonuit) non quomocumque est pars huius Sacramenti, sed quatenus refertur ad claves ecclesiæ: habet enim pars, in eo quod pars, ordinem ad totum, & ad reliquas partes. Sic ergo contritio accepta, includit voluntatem compensandi delictum ad arbitrium sacerdotis: qua consideratione initium est & ratio exterioris poenitentiae. Constat autem, interiores actus hoc modo ad exterius iudicium pertinere, aliter enim iudicatur offendens ex odio, aliter offendens ex ira. Compensatio item poenitentiae, nisi sponte fiat a reo, non est reconciliativa. Quare velle compensare delictum, quod in contritione clauditur, est prima huius iudicii pars, quod est non solum vindicativum, sed conciliativum. Non igitur oportet, quamlibet partem huius Sacramenti esse sensibilem, sed satis est, si sit ratio, quare alie partes sensibiles ad hoc

Sa-

*Sacramentum & iudicium pertineant. Idque eo magis, quod hoc forum interius est, quo nihil vetat, actus etiam interiores referri.*

Ad tertium, primo dicitur: quod nomine contritionis in præsentia complectimur attritionem: significamus enim dolorem de peccato cum proposito cavendi in futurum. Nec id nos somniamus, sed ipsum concilium Florentinum ita nomen contritionis explicuit. Deinde respondetur, quod contritio ponitur pars Sacramenti, quia est certa & indubitata materia. Quod autem attritio sufficiat, quamvis verum sit, non est tamen adeo certum & indubitatum, & ideo concilium Florentinum, communisque sententia, tenens certum, relinquens incertum, ponit contritionem partem esse huius sacramenti.

Ad quartum. Nego consequentiam: Capilli enim, & unguis partes hominis sunt, nec tamen simul cum homine nascuntur. Accusatio quoque, testimonium, sententia iudicis, solutio pœnæ, cum non sint simul, sunt tamen de integritate iudicii. Breviter. In omnibus, cuius partes quendam successionis ordinem habent, non oportet partes integrantes simul esse. Ad confirmationem vero facile dicitur, quod cum sacramenta per homines administrantur, quibus illa grandis contritio constare nequit, an idonea sit ad integram pœnæ remissionem, semper opus est satisfactionem iniungi, sine qua Sacramentum quidem esse potest, sed sine qua tamen mancum, & imperfectum est. Quemadmodum & quodocunque aliud iudicium, in quo probatus reus sine multa absolvetur. Nam & homo sine digito poterit esse, sed erit tamen incommode sine digito. Nec nos asserimus, quamlibet satisfactionem esse partem huius Sacramenti. Satisfactio quippe, quæ ex arbitrio penitentis proficiscitur, nec est pars iudicii sacramentalis, nec habet ordinem ad ecclesiæ claves. Vnde concilium Florentinum, *Tertia*, inquit, *pars est satisfactio pro peccatis secundum arbitrium sacerdotis.* Quintum igitur fundamentum ( ut cætera omnia quæ posuimus ) cum firmum sit, nihil aliud superest, ni ut si quæstioni propositæ respondeamus.

Prima igitur conclusio sit, *Non est necessarium ad salutem* I. Concl.

*sacramentum poenitentiae in re susceptum: hoc est, potest aliquis salvari, etiam si re ipsa non suscipiat hoc sacramentum, ubi non est facultas suscipiendi. Ac loquor etiam de eo qui peccavit mortaliter post baptismum. Id definit in primis Leo Papa, in epistola ad Theodorum episcopum, num. 69. Si autem aliquis, ait, quocumque interceptus obstaculo, a munere indulgentiae praesentis exciderit, & priusquam ad constituta remedia pervenerit, temporalem vitam humana conditione finierit; non necesse est nobis eorum, qui sic obierint, merita discurre, cum Dominus Deus, quod sacerdotale ministerium implere non potuit, sua iustitia reservaverit. Loquitur autem de Poenitentiae sacramento.*

Item. Baptismus non est necessarius in re susceptus, sed satis est in voto, si haberi aliter nequit: ergo nec poenitentia. Antecedens probatur ex Augustino, lib. 4. de Baptismo contra Donatistas, cap. 22. ex Ambrosio, de obitu Valentiani ad Theodosium, ex Bernardo, epistola 77. ad Hugonem, ubi id eruditissime conmonstrat ex Innocentio de Baptismo, cap. Debitum. Et de Presbytero non baptizato, cap. 2. Sed & de Poenitentia, dist. 1. cap. Poenitet. Et dist. 6. cap. Qui vult. Refertur testimonium Augustini, ex lib. de vera & falsa poenitentia, cap. 10. & 12. & 26. quæst. 6. cap. Si aliquis. Refertur in idem testimonium concilii Ephanensis. Nonnulla vero capita eiusdem causæ & quæstionis, quæ in contrarium obiici solent, faciliora sunt, quam quibus a nobis sit respondendum. Illud vero quod Dominus ait, *Quorum retinueritis, retenta sunt*, Ioann. 20. eandem intelligentiam habet, quam & illud, *Nisi quis remissus fuerit ex aqua, &c.* scilicet, quum adest facultas, nam cum deest, sufficit votum suscipiendi huiusmodi sacramenta, quæcunque dicuntur adultis ad salutem necessaria.

2. Concl. — Secunda conclusio. *Sacramentum Poenitentiae est medium ad salutem necessarium peccatoribus baptizatis in hunc sensum, ut sit necessarium in re, si facultas adest: si non-adest, sit necessarium in voto.* Hanc conclusionem probat D. Th. 3. part. quæst. 65. art. 4. & quæst. 84. art. 5. Quia peccator non salvatur, nisi applicetur ei passio Christi, vel in re: vel in voto. Non est enim aliud nomen sub cælo, in quo nos oporteat salvos fieri, Act. 4. Passio autem Christi applicatur in Sacramen-

eis. In baptismo quidem, his qui ante baptismum peccaverunt: in pœnitentia vero his, qui peccaverunt post baptismum.

Deinde probat, quia agroti, nisi per aliquod remedium salutis, sanari non possunt, Matth. 9. Non est opus valentibus medico, sed male habentibus. At pœnitentiæ sacramentum est medicina salutis, ut ante nobis demonstratum est.

Tertio probat Divi Hieronymi testimonio in commentariis super 3. cap. Esaiæ, & in epistola ad Demetriad. De virginitate servanda dicentis, secundam tabulam post naufragium esse pœnitentiam; nam primam tabulam baptismum vocat. Patet facile legenti. Idem asserit Ambrosius ad virginem lapsam cap. 8. & Tertullianus in libr. de pœnitentia. Confirmatque Tridentinum concilium, sessione 6. cap. 14. inquit, pœnitentiam secundam tabulam post naufragium, sanctos patres apte nuncupavisse. Ne quis autem hanc esse Divi Thomæ mentem possit ambigere: legat lib. 4. adversum gentes, cap. 72.

Eandem quoque conclusionem tenuit Thomas Waldens. libr. de Sacramentalibus, titulo 8. cap. 58. citatque Origenem in eandem, qui homil. 10. super Numeros, *Laius si peccet*, inquit, *ipse suum non potest auferre peccatum: sed indiget sacerdote, ut peccatorum remissionem possit accipere*, & cap. 69. docet Waldens. Ioannem Wiccleff. oppositum huius conclusionis tenuisse: quem secuti Lutherani negant, ad salutem esse hoc sacramentum necessarium. Quamobrem firmiora (si possemus) argumenta debemus afferre, ut hæresis contraria manifestius revincatur.

Hæc itaque conclusio primum certa est per definitionem Leonis Papæ in epist. ad Theodorum episcop. 69. & refertur de Pœnitent. dist. 1. cap. *Multiplex*. *Multiplex*, inquit, *misericordia Dei ita lapsibus subvenit humanis, ut non solum per baptismi gratiam, sed etiam per pœnitentiæ medicinam spes vitæ reparetur æterna. Et qui regenerationis donum violassent, proprio se iudicio condemnantes, ad remissionem criminum pervenirent sic divina bonitatis presidio ordinatis, ut indulgentia Dei, nisi supplicatione sacerdotum nequeat obtineri, mediator enim Dei & hominum hanc præpositis ecclesia tradit potestatem, ut*

poenitentibus actionem poenitentia darent: & salubri satisfactione purgatos ad communionem sacramentorum per ianuam reconciliationis admitterent. Et concludit tandem in hæc verba, *Necessarium est, ut peccatorum reatus ante ultimum diem sacerdotali supplicatione solvatur.*

Præterea Matth. 16. *Tibi, inquit Dominus, dabo claves regni cælorum; & quodcumque solveris, &c.* Ergo, cum per peccatum mortale a baptismo commissum, cælum peccatori obseretur, necesse est, ut per claves Petri & successorum aperiat: quod non aliter profecto fit, quam per sacramentum absolutiois, nec enim soluta erunt in cælo, quæ non solverit Petrus in terra.

Præterea, Ioannis 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt:* ergo quæ non absolvent sacerdotes, retenta erunt. Quæ propter, necesse est, si retineri non volumus, ut a sacerdotibus absolvantur.

3. concl.

Tertia conclusio. *Non satis est ad æternam salutem consequendam peccatoribus baptizatis, votum implicitum huius sacramenti, sed explicitum, & formale requiritur.* Quod ad eundem modum poenitentia sacramentum est necessarium peccatoribus baptizatis, ad quem baptismus non baptizatis, eo quod per utrumque virtus passionis, & sanguinis Christi in peccatorum remissionem applicatur, sine qua quidem applicatione ne unum quidem mortale peccatum remitti potest. At sine voto explicito baptismi nullus salvatur, *Marc. ultim., Prædicare evangelium omni creature, qui crediderit & baptizatus fuerit salvus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur.* Vnde primum colligitur, baptismum in voto satis esse, cum re ipsa suscipi non potest. Idcirco enim non dixit. *Qui non fuerit baptizatus, condemnabitur: sed Qui non crediderit.* Colligitur deinde, fidem huius sacramenti, hoc est baptismi, esse ad salutem necessariam, id est, quod per baptismum in nomine Christi præstat remissio peccatorum omnibus gentibus. Id enim est evangelium, quod qui non crediderit, condemnabitur, ut Lucæ ultimo declaratur. Nec hanc huius loci nos intelligentiam comminiscimur, sed etiam nobis sancti patres tradidere. Waldens. in libr. de sacramentis, cap. 130. Hugo de S. Victore, lib. secundo de sacramentis, part. 6. cap. 7. Bernardus episto-



la 77. ad Hugonem. August. lib. 1. de Baptismo contra Donatistas cap. 8. & libr. 4. cap. 21. & 2. libr. contra Crescon. cap. 13. Si igitur extra baptismi votum explicitum nullus omnino salvari potest, cum non adest facultas baptismum re ipsa suscipiendi: nec sine voto quidem pœnitentiæ explicito salvabitur, qui peccatum mortale post baptismum perpetravit. Noluit enim Deus sine Christo, & ecclesia sua cuiquam patere salutem, ac remissionem peccatorum: Cum igitur peccatores possunt Christo, & ecclesię suæ uniri, & reconciliari, exterius etiam, susceptis sacramentis, id Deus requisivit. At, cum non adest facultas exterioris unionis, & conciliationis, voluntas pro facto cedit, suppleturque per interiorē exterior unio. Confirmat etiam hanc conclusionem id quod usu venire videmus: ut quantumcumque mors subito occurrat, pœnitentiæ remedia fideles efflagitent, nec sane sentiunt de salute eius, qui moriens, nec re, nec in voto hoc sacramentum accepit.

Ex his colligere licet, quæ sunt ad salutem necessaria, ea esse in duplici differentia. Nam quædam sunt necessaria, solum quia præcepta, ut ~~ertere innocentem a morte~~, vota reddere, iuramenta servare, quoniam necessitas videtur esse præscripta, ibi (5), *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*. Alia vero sunt ad salutem necessaria, ut media; & inde in præcepto quia media necessaria, ut credere in Christum, suscipere baptismum, pœnitentiam agere. Inter hæc autem haud mediocriter discrimen est. Nam, quæ sunt tantum, quia præcepta, ad salutem necessaria, non est opus in voto habeantur explicito ad salutem consequendam: sed satis est implicite, & in genere propositum habituale tenere implendi divina mandata. At quæ sunt ad finem salutis media necessaria, si in re haberi nequeunt, oportet teneantur in voto: ut Sacramentum baptismi, & pœnitentiæ, quod paulo ante docebamus.

Sed est tamen quæstio non parva, *An exigatur votum ex-* Questio.

Yyy 2

pli-

(5) *Matth. 9.*

placitum huius Sacramenti ad remissionem peccatorum, quæ post baptismum admissa sunt. Nam ad æternam salutem consequendam, iam diximus, huiusmodi votum explicitum esse necessarium. Et quidem de hac re inter viros doctos magna dissensio est. Sunt enim qui credant, votum explicitum huius Sacramenti, non esse opus ad remissionem peccatorum: ut si quis commisit adulterium post baptismum, per solam contritionem, aiunt, quæ est actus virtutis, consequi poterit veniam sine proposito explicito suscipiendi hoc Sacramentum. Id tenet Adrianus, quæst. de confessione ad secundum principale. Est autem argumentum huius, quod baptismus non est necessarius in re, vel in voto explicito ad justificationem, ut 3. part. quæst. 69. art. 4. ad 2. D. Thomas asseruit. Cornelius siquidem & Eunuchus ante fidem explicitam evangelii justificationem quidem consequi potuerunt, licet æternam salutem non potuerint adipisci.

Item, quilibet se potest convertere ad Deum in momento, & tamen notitiam baptismi habere in quolibet momento non potest: quomodo enim audiet sine predicante, aut quomodo credet, nisi audierit? igitur, nec Sacramenti poenitentiae votum explicitum ad peccatorum remissionem necessarium est. Nec ab hac sententia abhorret D. Thom. 3. part. q. 86. art. 2.

Si quis tamen contrariam sententiam tenere voluerit, habebit pro se, quantum coniectura colligere licet, Magistrum sententiarum, 4. dist. 17. cap. 2. & D. Thomam, eadem dist. quæst. 3. art. 5. quæst. 1. & apertius, art. 1. quæst. 1. & dist. 18. quæst. 1. art. 3. quæst. 1. lib. 4. contra gentes, cap. 72. & 3. part. quæst. 84. art. 5.

Sunt quoque arguments non levia ad hanc opinionem confirmandam. Primum ex concilio Complutensi sub Alphonso Carrillo, Archiepiscopo Toletano, quod probatum est a Sixto Quarto, in bulla, qua condemnavit Petrum Oxoniensem, cuius prima conclusio ibi damnata est, in hac formam, *Peccata mortalia, quantum ad culpam & penam alterius seculi, delentur per solum cordis contritionem sine ordine ad clavos.* At, si per poenitentiam, quæ est actus virtutis, peccata remittuntur sine explicito voto huius Sacramenti, re-

vera defentur peccata sine ordine ad claves. Rursum in concilio Tridentino, sessione 6. cap. 14. definitur, quod pœna æterna cum culpa, vel Sacramento, vel Sacramenti voto remittitur. Item, Ioannis ultim. *Quorum retinueritis, retenta sunt*: ergo quando quis nec re, nec voto accepit hoc Sacramentum, cum sacerdotes eiusmodi peccata retineant, retenta sunt.

Præterea, nulli hæretico vel schismatico remittitur culpa, nisi formaliter & explicitè proponat ecclesiæ uniri, atque ab ea veniam peccati implorare: ergo sola contritio, quæ est actus virtutis, non satis est ad remissionem peccatorum sine ordine ad claves ecclesiæ. Antecedens asserit August. libr. de vera & falsa pœnitentia, cap. 12.

Sacramentum igitur pœnitentiæ esse ad salutem necessarium, hunc in modum sit definitum.

Utrum  
confes. sic  
ad salutem  
necess.

Sed enim cum hoc Sacramentum quatuor habeat partes neque omnes sint æque necessariae ad huius Sacramenti constitutionem, merito poterit in quæstionem revocari, an singulæ huius Sacramenti partes sint ad salutem necessariae. Et quoniam de absoluteione & contritione, post ea, quæ diximus, aut parva, aut nulla controversia est: de confessione primum quæritur; *An sit ad salutem æternam necessaria.* Nam Wiccleph impudentissime docuit, eam esse superfluum, & inutilem, ut Thomas Waldensis refert libr. de Sacramentis, cap. 135. & in concilio Constantiensi, sess. 8. inter illius errores septimus ponitur in hanc formam, *Si homo debet fuerit contritus, omnis confessio exterior est ei superflua, & inutilis.*

Massiliani etiam negaverunt necessitatem confessionis (6), ut auctor est Damascenus libr. de hæresibus. Deinde Iacobitæ, referente Guidone Carmelita, in lib. etiam hæresum. Hoc sequuntur nostro tempore Lutherani, atque adeo Erasmus in libro de ratione veræ Theologiæ circa finem, & in colloquio cui index, *pietas puerilis*: in summa (7) omnes qui tenuerunt confessionem novitiam esse, & institutionis ec-

cle-

(6) Vide Rophens. art. 8. 2. (7) In annotationibus super libellum.

clesiæ. In quibus fuit B. Rhenanus in asserenda confessione parum beatus & pius. Adversum quos conclusionem statuimus.

Conclus.

*Confessionem exteriorem, qua sacerdoti fit (8), esse ad salutem necessariam ex Christi institutione, confessionem (inquam) omnium mortalium, tam publicorum, quam occultorum, probatur efficaciter. Quia peccata occulta non remittuntur, nisi remittentibus sacerdotibus, ut patet ex testimonio Ioannis citato, Quorum retinueritis, id est, non remiseritis, Retenta sunt. Ex eo enim quod dixit, Quorum remiseritis, remissa erunt, satis ostenditur, verbum e regione additum, scilicet, Retinueritis, perinde esse, ac si dixisset Christus, Non remiseritis. Sed remittere sacerdotes non possunt, nisi cognoscant, ut ostensum est, cognoscere autem nequeunt, nisi peccato res confiteantur: ergo confessio etiam occultarum culparum ex divina institutione est ad salutem necessaria. Qui enim instituit finem necessarium, media etiam instituit, quæ essent ad eundem finem necessaria, nisi legislatorem velimus in necessariis defuisse. Nam eandem rationem eisdem quoque verbis resumere non piget.*

Præterea in concilio Constantiensi Martinus quintus in bulla condemnationes articulorum Wiccleph, Ioannis Hus, & Hieron. Pragensis, condemnans errores Wiccleph, ac reliquorum discipulorum, ait, *Verum credat, quod Christianus ultra contritionem cordis, habita copia sacerdotis idonei, soli sacerdoti de necessitate salutis confiteri teneatur, ubi licet non explicetur, an ex institutione divina, an ex humana sit illa necessitas: sine dubio tamen est intelligenda ex divino iure: Id enim Wiccleph negabat.*

Præterea, hoc manifeste determinatum est in concilio illo Complutensi, & in illa extravaganti Sixti quarti contra Petrum Oxomensem. Nam, post illam primam damnatam conclusionem, quam ante retulimus; hoc est, peccata mortalia deleri per solam cordis contritionem sine ordine ad claves, damnatur secunda in hanc formam: *Confessio de peccatis*

in

---

(8) *Tertullianus de penitentia.*

*in specie fuit ex aliquo statuto universalis ecclesie, non de iure divino. Deinde damnatur tertia in hæc verba: Prava cogitationes confiteri non debent, sed sola displicentia delentur sine ordine ad claves.*

Præterea, in concilio Florentino definitum est, idque adeo firmiter constituimus, materiam huius Sacramenti præcipuam esse confessionem. Si igitur Sacramentum pœnitentiæ est ad salutem necessarium, certe non forma solum & absolutio sacerdotis, sed & materia, hoc est, confessio peccatorum ad salutem necessaria est, nec enim Sacramentum sola forma subsistit. Cuius etiam rei definitio habetur in concilio Tridentino, sess. 6. cap. 14. ubi cum concilium docuisset, hoc sacramentum esse secundam tabulam post naufragium, per quam fieret lapsi hominis post baptismum reparatio, subdit: *Docendum est, christiani hominis pœnitentiæ multo aliam esse a baptismali: eaque contineri, non modo cessationem a peccatis, & eorum detestationem, verum etiam eorundem sacramentalem confessionem: salutem in voto, & suo tempore faciendam, & sacerdotalem absolutionem.*

Quibus ita constitutis, manifestissime colligitur, hanc secretam confessionem de peccatis secretis (quam quidem alii auricularem vocant, alii clandestinam) institutionis divinæ esse, non humanæ; hoc est, Christum instituisse, peccata secreta secreto esse confitenda. Nam publicorum, publice fieri confessio potest. Nec id Caiëtanus inficiatur, nam licet in commentariis super cap. Ioannis 20. adversari videatur, at ipse tamen mentem suam explicuit, respondens ad censuras Parisienses sexdecim articulorum, art. 5.

Corollar.  
præced.,  
conclus.

Probatur hoc corollarium in primis, quia confessio de peccatis occultis est necessaria, ut ex fundamentis iactis constare facile potest. Constituit enim sacerdotes Dominus iudices, non solum publicorum, verum etiam occultorum. Sed rationis naturalis est, ut occulta peccata acculta correctione purgentur: ergo cum Christus instituerit hoc iudicium fieri secundum rectam rationem, instituit ex consequenti, occulta peccata occulte esse iudicanda.

Præterea, si modus confitendi ad aurem de peccatis occultis ex ecclesiæ institutione esset, in arbitrio ecclesiæ etiam

## 544 RELECTIO DE POENITENTIA.

esset, oppositum constituere: quemadmodum potest de immersione, vel aspersione, vel infusione in baptismo, legem pro suo arbitratu, & ferre & tollere. At non est in facultate ecclesiæ præscribere, ut cordis occulta peccata peccatoris publice confiteantur.

Præterea, Leo Papa epistola ad universos episcopos Campaniæ, numero 57. & refertur, *de poenitentia*, dist. 1. cap. *Quamvis plenitudo: illum, inquit, contra Apostolicam regulam præsumptionem, quam nuper agnovi a quibusdam illicita usurpatione committi, modis omnibus constituo submoveri: de poenitentia videlicet, qua a fidelibus postulatur, ut scripta professio publice recitetur: cum reatus conscientiarum sufficiat solis sacerdotibus iudicare confessione secreta.* Et infra, *Removeatur ergo improbabilis consuetudo, ne multi a poenitentia remediis arceantur.* Hactenus Leo. Id ergo quod adversatur remedio a Christo instituto ad remissionem peccatorum, nimirum contra divinam institutionem est, cum contra Apostolicam regulam id fieri summus pontifex asserat. Ex apostolorum certe traditione secreta peccata in aurem sunt confitenda: quod vel ex eo liquet quod in ecclesia non habetur memoria, unde inceperit secreta confessio. Nam & Origenes eius meminit homilia prima, & secunda in Psalm. 37. & homil. 10. super Numeros: Basilius item in libello de institutione monachorum, cap. 21. & 98. Dionysius etiam in epist. ad Demophilum 8. & Sozomenus lib. 9. historiæ tripartitæ, cap. 35. *Quoniam ii, inquit, qui confiteri refugiunt maius peccatorum onus acquirunt: propterea visum est antiquis pontificibus, ut velut in theatro sub testimonio ecclesiastici populi, delicta pandantur: & ad hanc causam presbyterum bonæ conversationis, servantiemque secretum, ac sapientem virum statuerunt, ad quem accedentes ii qui deliquerunt, delicta propria fateantur.* Nota, *servantiem secretum*; nam si non esset occulte confitenda peccata, non oporteret servare secretum.

Postremo. Sigillum confessionis non est ex humana institutione, sed ex divina: ergo ex divina est, quod aliqua peccata, scilicet occulta, iudicentur occulte. Et confirmatur. Quia magister Oxomensis in concilio illo Complutensi damnatus est, quod assereret, confessionem non debere esse

secretam, & a Sixto quarto in illa extravaganti, cuius initium, *Ad perpetuam rei memoriam*, definitur contra eundem, necessario exigi, ut confessio secreta sit. Quamobrem ex revelatione; & institutione Dei est; quod confessio sit secreta, alioqui non esset hæresis, ab evangelica veritate penitus aliena, assertio contraria: cum tamen aliena esse ibidem decernatur.

Sed oritur circa ea quæ diximus dubium. Si enim peccata oportet confiteri, ut innotescant sacerdoti; ergo peccata publica, quæ alias sunt illi manifesta, non erit necessarium confiteri: quippe ob hanc causam, si circumstantia manifesta est, non est opus eam explicare confessori: ut si quis sit sacerdos, vel maritatus, idque confessori liqueat, non est necesse, ut, cum confitetur fornicationem, exponat se esse, vel sacerdotem, vel maritatum.

Dubium  
de confes.  
pec. publ.

At, erroneum est credere, sine confessione publicorum etiam peccatorum cuiquam patere salutem. Primum, quia delictum iudicandum in aliquo foro, debet esse notum in illo foro: sed, etiam si peccata sint publica, non sunt confessori nota in foro Sacramenti: ergo opus est ut peccator illa sacerdoti confiteatur. Et hoc est quod Divus Thomas, dist. 17. quæst. 3. art. 2. part. 1. ad primum, docet, inquit, *Quamvis sacerdos aliquando sciat peccatum, ut homo: non tamen scit ut Christi Vicarius: sicut etiam iudex aliquando scit peccatum, ut homo: quod nescit, ut iudex.*

Resp. ad  
dubium.

Præterea, confessio est materia præcipua huius Sacramenti: ergo etiam ad absolutionem publicorum peccatorum est necessaria; nam sacramentum sine præcipua materia esse non potest. Denique si peccator publicum peccatum non confitetur, non potest innotescere iudici, an pœniteat, necne; an proponat emendationem, an non. Quare non valet discernere, an solvere debeat, an ligare. Necessarium est igitur, ut non modo secreta etiam peccata, verum etiam publica peccator se sacerdoti subiiciens confiteatur.

Iam vero posterior illa quæstio relinquitur, *An satisfactio ad sacerdotis arbitrium, sit ad salutem necessaria.* Sunt enim auctores qui negant, in quibus Div. Thomas 4. dist. 17. quæst. 3. art. 1. quæst. 1. ad primum argumentum

Quæstio.

Opinio D.  
Thom.

videtur esse, Dicendum, inquit, quod post remissam culpam, adhuc est peccator debitor pœna temporalis: sed gratia tamen infusio sufficit ad culpæ remissionem, ad gratiæ vero infusionem consequendam ordinata sunt gratiæ Sacramenta: ante quorum susceptionem, vel actu, vel proposito peccator gratiam non consequitur. Sed tamen, ex hoc quod operatur confessio ad pœnæ remissionem, non habet, quod sit de necessitate salutis: quia pœna ista est temporalis, ad quam post culpæ remissionem remanet homo ligatus. Vnde sine hoc, quod in presenti vita experiatur, esset via salutis; habet igitur confessio, quod si de necessitate salutis, ex hoc quod ad remissionem culpæ ordinatur. Hactenus D. THOMAS. At, vel fallor ego, vel contrarium probabilius est. Nam, sicut ante docuimus, exterior pœnitentia est ad salutem necessaria: ergo quemadmodum contritio in lege naturæ, & scripturæ habebat, annexum propositum confitendi, & satisfaciendi Deo, iuxta illud, Dixi, confitebor iniustitiam meam Domino, &c. ita & in lege nova habet annexum propositum confitendi sacerdoti, & satisfaciendi ad arbitrium eius; hoc est enim subiicere se clavibus, & iudicio ecclesiastico, quod est ad salutem sine dubio necessarium.

Præterea, concilium Tridentinum, ses. 6. cap. 14. postquam definivit, Sacramentum pœnitentiæ ad lapsi reparationem, velut secundam post naufragium tabulam, necessarium esse, decernit protinus, hoc Sacramento contineri, non modo cessationem peccatorum, & eorundem sacramentalem absolutionem, verum etiam satisfactionem, per ieiunia, eleemosynas, orationes, & alia pia spiritualis vitæ exercitia non quidem pro pœna æterna, sed pro pœna temporali, & de hac, inquit, pœnitentia scriptum est. *Memor esto unde excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac.* Et iterum, *Qua secundum Deum tristitia est pœnitentiam in salutem stabilem operatur.* Et rursus, *Pœnitentiam agere, & facere fructus dignos pœnitentiæ.* Quæ omnia loca de pœnitentia exteriori esse intelligenda, per quam scilicet exterior satisfactio pro peccatis fit, superius certis argumentis demonstravimus.

Præterea, Leo Papa, epist. 69. ad Theodor. episc. Mediator, inquit, Dei, & hominum hanc propositis ecclesiæ tra-

Opinio  
Auctoris.



*didit potestatem, ut & pœnitentibus actionem pœnitentiæ darent, & salubri satisfactione purgatas ad communionem Sacramentorum per ianuam reconciliationis admitterent.* Igitur, nisi proponant pœnitentes, se ecclesiæ potestati subiicere, ut iuxta eius arbitrium peccata compensent, servari non possunt. Iam enim docuerat summus Pontifex, hanc sacerdotalem auctoritatem, & iudicium, esse ad salutem necessaria.

Denique, cum de satisfactione ad arbitrium sacerdotis præceptum sit, ( ut nos proxime definiemus) certe satisfactio est ad salutem necessaria, nam si non esset, non esset in præcepto. Ac re vera frustra fuissent sacerdotes iudices constituti, si eorum sententiæ parere non esset necessarium. Inanis enim est auctoritas iudicandi, quæ impune reiici potest: idque eo magis, quod iudicium hoc non est ad dirimendas lites, sed ad vindicanda scelera. Et quod iudicibus necessarium est, scilicet, pœnam indicere reis, ne sint iudices iniqui: id nos exequi necessario debemus, ne falsi pœnitentes & inobedientes tum videamur, tum etiam simus. Nec argumentum quod in contrarium insinuavimus operæ pretium est nunc eludere: partim, quod facile est: partim, quod postea diluere debemus. Quapropter eadem argumenta confutanda sunt, quæ a principio huius controversiæ fecimus.

Ac primum quidem argumentum a plerisque sanctorum facile diluitur; nam utrumque apostoli Pauli locum interpretantur, non de pœnitentiâ, quæ post baptismum fit, sed de pœnitentiâ, quæ fit in baptismo. Qui videlicet semel dumtaxat percipi potest: nam pœnitentiâ baptismum appellari, habes apud Lucam cap. ultim. *Oportebat, inquit, prædicari in nomine eius pœnitentiâ & remissionem peccatorum in omnes gentes.* Vbi, quæ Matthæus de baptismo dixit, Lucas nomine pœnitentiæ ac remissionis peccatorum tradidit. Hanc expositionem Chrysostomus, & Theophylactus sequuntur in eadem loca. Item Ambrosius lib. 2. de pœnitentiâ cap. 2. & August. lib. de vera & falsa pœnitentiâ, cap. 3. Colligunt autem ex multis coniecturis, hanc esse eorum testimoniorum intelligentiam. Quas ego coniecturas referrem, nisi ad metam huius disputationis festinaret oratio.

Potest tamen uterque locus intelligi etiam de pœnitentiæ

Respon.  
ac ration.  
dubit.

Sacramento: ut, videlicet, intelligamus, impossibile esse per poenitentiam Sacramentum rursus renovari; id est, priorem novitatem, quam per baptismum accepimus, iterum accipere. Vnde Gregorius Nazianzenus oratione tertia in sanctum lavacrum. *Non superest, inquit, regeneratio secunda, nec reformatio seu in pristinum statum restitutio: etiam si perquam vehementer illam lacrymis, & multis quaramus suspiriis: ex quibus tunc quidem cicatricum obductio exemit.*

Nec te moveat, quod apostolus ait, esse impossibile: nam per excessum loquitur, atque hyperbolice ingentem rei difficultatem impossibile vocat: non, ut desperent audientes, sed, ut terreantur. Idcirco enim subdit apostolus. *Confidimus tamen de vobis dilectissimi meliora, & viciniore salutis: tamen si ita loquimur.* Loquutus sum, inquit apostolus, ita, ut vos a peccatis retraherem, & desperationis metu facerem cautiore. Ceterum confido de vobis, & reliqua, quae sequuntur. Quae quidem huius loci interpretatio mea non est, sed Hieronymi, lib. adversus Iovinianum 2. referturque a Gratiano de poenitentia, dist. 2. cap. *Si enim.* Nec modus hic loquendi a sacris literis alienus est. Nam Matth. 19. quod ante Dominus dixerat, difficile esse divitem intrare in regnum caelorum, e vestigio dixit, esse impossibile, quemadmodum exposuit Hieronymus super cap. Esaiae 60. Sed de Arist. 1. lib. de celo cap. 11. inter reliquas significaciones huius vocabuli, *impossibilis*, etiam numeravit, ut quod non facile, neque cito, nec bene fieri potest impossibile dicatur. Et ad eandem formam per hyperbolem cap. 10. eiusdem epistolae apostolus locutus est: ut ostenderet, quam adversione peccata nostra digna sint, post acceptam notitiam veritatis, si ad iustitiae rigorem examinentur. Sed aliud tamen est quod iustitia posulari: aliud quod clementia, & misericordia suggerit.

Ad secundum argumentum certe possemus respondere, negando maiorem; sentiunt enim plures viri docti, licitum esse, ab haeretico recipere poenitentiam in articulo mortis, ut Petrus Palud. 4. dist. 25. quaest. 11. Sylvester in verb. *Confessor* primo, & ultimo, & Maior dist. 17. & Glossa extr. de spons. cap. *Non est vobis.* Quia licet recipere baptismum ab eiusmodi praecisis, cum extrema necessitas cogit, ut August.

gust. tradit, cap. *Si quem forte*, 24. dist. 1. Ergo & pœnitentiæ Sacramentum licet ab exciso suscipere. Huic vero loco solent occurrere, negando consequentiam. Quia minister baptismi est institutus quilibet de iure divino, quam ob rem ecclesia id tollere non potest. At pœnitentiæ minister, non est quilibet sacerdos divino iure, sed cui ecclesia demandaverit. Quo circa sicut potest committere, cui voluerit, ita & potest auferre. Sed hæc responsio non facit satis argumento. Primum, quia probabilissimum est, quemlibet sacerdotem in mortis articulo habere auctoritatem absolvendi iure divino. Idque asseruit Palud. dist. 20. quæst. 1. art. 2. Durand. dist. 19. quæst. 2. Capreolus eadem dist. art. 3. ad 4. Id quoque D. Thom. sentire videtur, dist. 19. quæst. 1. art. 3. quæst. 1. & dist. 20. art. 1. quæst. 2. Atque est præterea rationi consentaneum: quia Deus non deficit in necessariis, nullus enim providus gubernator in necessariis deficit: ergo quemadmodum providit, ut in articulo mortis, quicumque posset licite baptizare, non obstante quacumque ecclesiastica censura & prohibitione, ita etiam cavet, ut in eodem articulo quilibet sacerdos licite absolveret. Cum utrumque sit Sacramentum necessitatis, utrumque iure divino præceptum. Est insuper alia ratio, qua id confirmari possit. Quod, auctore Augustino quarto libro de baptismo contra Donatist. cap. 24. quod universa tenet ecclesia, semperque retentum est, nec a Pontificibus, aut conciliis tempore aliquo post apostolos definitum, traditione Christi & apostolorum rectissime creditur constitutum. At, quod quilibet sacerdos in mortis articulo quemlibet possit absolvere, semper in ecclesia observatum est, nec nova aliqua hominum constitutione sancitum: a Christo igitur, & apostolis est institutum. Præterea ecclesia non posset hoc rescindere & abrogare, ferendo, scilicet, contrariam legem: ergo est de iure divino. Antecedens suadet. Quia, seclusa quacumque ecclesiæ lege, talis abrogatio esset contra rectam rationem; si (ut verum est) pœnitentia est Sacramentum ad salutem necessarium. Sic igitur rationi maxime consentaneum est, quemcumque sacerdotem in articulo mortis pœnitentiæ ministrum divino iure esse constitutum. Quod fit, per ecclesiæ censuram talem auctoritatem abrogari non posse.

Quod

## 550 RELECTIO DE POENITENTIA.

Quod si Christus Dominus non contulisset in mortis articulo periclitantibus, ministrum absolutionis necessarium exhibendo, ecclesia tamen, cuius prudentiæ dicitur esse commissum, cum pia mater sit, non est credenda filiis suis in articulo mortis deesse voluisse, idque eo magis, quo exemplo Christi sponsi sui facere, & potuit & debuit: quem constat in Sacramento baptismi (quod necessarium esse ad salutem voluit) nulli in articulo mortis defuisse. Præterea, *Necessitas non habet legem*, ut habes in cap. *Quod non est, de regulis iuris*: non ergo existimanda est ecclesia, legem, qua præcisum amovet a Sacramentorum ministerio, ad extremum necessitatis articulum extendere voluisse. Præterea, odia restringi, favores convenit ampliari, ut etiam iuris regula tradit. Quod autem quilibet sacerdos in articulo mortis quemlibet possit absolvere, gratia est & favor populi Christiani. Quo circa ampliari potius, quam stringere debemus.

Quod autem præcisi Sacramentorum ministerio privantur, in odium est: restringendum itaque esse videtur; nam poenæ, legum interpretatione, molliendæ sunt, non exasperandæ, de poenitentia dist. I. cap. *Pœna*. Probabile igitur est, a præciso sacerdote fideles posse Sacramentum absolutionis in mortis articulo recipere: videlicet, si absque periculo fidei recipi potest. Ac profecto non ambigo, quin a catholico excommunicato etiam nominatim, in mortis articulo poenitentia possimus suscipere Sacramentum, si alius desit. Quippe, non video causam, quare fideles in articulo mortis, præsentate sacerdote catholico, priventur Sacramento ex divina institutione ad salutem necessario.

Quod utique esset minus tolerabile, quam in mortis articulo casus reservare: præsertim cum homines fere, non contritionem, sed attritionem habeant: qua propter durum esset, hominibus maiori ex parte imbecillis; in tali periculo velle deesse. Quod si hæc exceptio ministri catholici, etiam per excommunicationem præcisi, iure optimo defenditur: non est absurdum, & alios præcisos excipere, tantum in mortis articulo. Quoniam extrema necessitas, sive corporalis seu spiritualis sit, ab omni ecclesiæ lege videtur excepta.

Id vero, quod obiici in contrarium solet ex 24. quæst. 1. cap. *Audivimus*, per hæc facile diluitur; cui simile est, quod Ambrosius ait, de pœnitentia dist. 1. cap. *Verbum*, & cap. *Potest fieri*: ob idque simili ratione solvitur. Illud autem, quod opponitur ex cap. ultimo eiusdem causæ & quæstionis adversus hanc sententiam mihi penitus fãcit. Primum, quod ibi sermo est de eucharistiæ Sacramento, quod non est Sacramentum necessitatis. Deinde, quod id fecit Hermogildus, ne Arriano episcopo faveret, quem rex ob eum finem destinaverat. In quo eventu ne Sacramentum quidem baptismi ad hæretico recipiendum esset. Nam, quod in *Extrayaganti, Vnam sanctam de maioriãte & obedientia*. Bonifacius docet, extra ecclesiam non esse remissionem peccatorum: & ex dictis modo, explicari facile potest, & quemadmodum intelligendum esset, in superioris anni relectione docuimus.

At si quis communem opinionem sequi velit, cuius etiam D. Thom. fuisse videtur 4. dist. 19. art. 2. quæst. 2. ad 3. & dist. 17. quæst. 3. art. 3. quæst. 1. ad 2. & 3. part. quæst. 82. art. 7. ad 2. respondere aliter potest, negando minorem. Non est simile de baptismo & pœnitentia, quoniam baptismus multo magis est necessarius, quam pœnitentiæ Sacramentum: eo quod non solum opus est, quatenus remedium peccati, sed quatenus professio est Christianæ fidei, & in Christum incorporatio.

Vnde ad tertium argumentum, iuxta duas has differentes opiniones dupliciter item responderi potest. Nam, difficile est de doctissimorum virorum iudicare sententiis, & in medio seniorum, iuvenesedere arbitros. Itaque ex his duabus ultra sit opinio deligenda, prudentiorum ego & doctiorum arbitrio derelinquo.

Ad quartum, ubi difficultas est, a quonam habeat iurisdictionem, qui summum Pontificem absolvit, communis opinio respondet, quod summus Pontifex eligendo confessorem, confert ei potestatem, quam tamen ipse exercere non potest, ut diaconus electus episcopus, potest demandare absolutionem a peccatis, cum ipse tamen peccatores absolvere non queat: quæ est solutio Cardinalis Turrecremata, lib. 1. summe ecclesiasticæ, cap. 98. & D. Bonaventuræ 4. dist. 19. & D. Thomæ dist. 19. quæst. 1. art. 3. quæst. 3. At Paludanus

eadem dist. quæst. 2. & Capreolus eadem dist. quæst. unica, art. 3. melius sentire videntur, iurisdictionem, qua sacerdos electus a Pontifice eum absolvit, a Christo esse, & non ab ipso Pontifice, quia Deus non deficit in necessariis. Quare summo Pontifici de ministro Sacramenti ad salutem necessarij providit. Item summus Pontifex post peccatum mortale factus est subditus in foro interiore: nam obligatur confiteri sacerdoti, sicut & quilibet alius, qui mortaliter peccavit, iudicio huius fori sacramentalis obnoxius fit: ergo sine commissione ipsius est in ecclesia iudex, cui scilicet confiteri tenetur.

Præterea, licet episcopus diaconus committere alteri absolutionem possit, sed non tamen, nisi eorum, quorum est pastor, committere potest, hoc est, suorum subditorum. At summus Pontifex non est pastor sui ipsius nec iudex, quamobrem sui ipsius absolutionem committere alteri non potest. Nec me fugiunt, quæ Cardinalis Caietanus, vir alioqui doctissimus, scripsit quæstione unica de ministro huius Sacramenti quæ mihi non placent omnia, sed (humanorum ingeniorum ea, vel sors, vel conditio est) alii non placebunt nostra. Equidem, quamdiu ratio melior non succurrit, non audeam asserere, confessorum summi Pontificis nullam habere iurisdictionis potestatem super ipsum, nec a Christo, nec ab ecclesia, nec ab ipso summo Pontifice, quod Caietanus videtur admittere. An admittendum sit viderint alii, nam ego, principium absolutionis sacramentalis existimo, non solum esse potestatem ordinis, verum etiam iurisdictionis. Quippe, cum minister huius Sacramenti (iuxta concilium Florentinum) sit sacerdos habens auctoritatem, vel ordinariam, vel ex commissione superioris: cumque etiam Sacramentum hoc iudiciale sit, ministrum eius, nisi iudicem intelligere non valeo: iudicem autem sine iurisdictione, ne cogitatione quidem informare possunt, eo vel maxime, quod minister huius Sacramenti solvit, & ligat, ac proinde, iurisdictionis potestatem habet. Igitur, sicut summus Pontifex propter crimen hæresis subditus fit ecclesiæ in foro exteriori, idque ex divina institutione: sic per quodlibet mortale peccatum ecclesiæ subiicitur in foro interiori, Christo instituenti & obligante Pontific. summum, ut coram sacerdote compareat: tametsi hanc illi dederit facult-

cultatem, ut eligat, quem maluerit. Quam traditionem sicut & cæteras Christi, licet scriptas non habeamus, ab apostolis accepimus.

Itaque sacerdos simplex, cum initiatur, non ordinis modo potestatem, sed iurisdictionis etiam accipit, non simpliciter & quantum ad omnes, sed primum quantum ad venialia peccata, D. Thom. dist. 18. art. 3. quæst. 1. ad tertium, & est communis opinio: Deinde, quantum ad mortalia, quibus est iam peccator a proprio sacerdote solutus: quoniam illud iudicium est penitus arbitrarium, cum nulli teneat me subdere: neque apparet unde proprius sacerdos habeat solus potestatem in illa peccata, cum non sit materia subiecta proprio sacerdoti. Præterea, quantum ad omnia in articulo mortis: denique ad summum Pontificem absolvendum. Atque horum omnium radix eadem est; etenim, (ut Capreolus & Durandus dist. 19. 4. diligenter annotaverunt) in universum apostolis dictum est: *Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata*, &c. Restrictio autem facta ex speciali commissione Divo Petro: cui, quoniam claves tanquam primo clavigero collatæ sunt, id consequenter est damnatum, ut eius auctoritate, quicumque alius aperit, aperiat, &c. nam illa commissio de aliis a D. Petro facta est, ideoque D. Petrus, & eius successores non subiacent illi restrictioni, quin possint absolvi a quolibet sacerdote.

Ad quintum vero argumentum nonnulli respondent, illud verbum Domini, non de corporali, seu Sacramentali manducatione corporis Domini, sed de spiritali esse intelligendum. Qui autem per fidem Christum habet in se manentem, is spiritaliter manducat corpus, & bibit sanguinem, quia Christi membrum efficitur, ac proinde particeps ipsius, & carnis, & sanguinis. Id autem necessarium est ad salutem, non solum adultis, verum etiam parvulis. Atque huius sententiæ videtur esse D. Thom. 3. part. quæst. 65. art. 4. ad 1. & quæst. 80. art. 9. ad 3. Et D. Hieronymus in primum cap. epistolæ ad Ephes. de cons. dist. 2. cap. *Dupliciter* 10. Imo Origenes homil. 7. in Levit. & August. lib. 3. de doctrina christ. cap. 16. manifeste docent, hunc locum figurate esse accipiendum, ut per metaphoram, qui credit in Christum; eique incorporatur, Christum dicatur manducare. Eandemque expo-

sitionem ubique locorum Div. Augustinus probat, ut tractatu in Ioann. 26. & 27. Et lib. 1. contra duas epist. Pelag. cap. 22. & lib. 1. cap. 4. de consecr. dist. 4. cap. *In ecclesia*: & cap. sequenti, ubi & refert, Innocentium huius sententiæ fuisse, ac re vera fuit, ut patet in epistola eiusdem Innocentii ad concilium Carthaginense. Et ratio quoque illius suffragatur, quia, si de sacramentali manducatione Dominus loqueretur, falsum esset illud. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem in me manet, & ego in illo*; constat enim multos carnem Christi, atque eius sanguinem in Sacramento accipere, & non eosdem in Christo manere. Item etiam, cum sermo universalis sit, si de Sacramentali manducatione intelligeretur, iam parvulis esset eucharistia necessaria, ut vitam haberent in semetipsis, quod est erroneum. Ac Laicis præterea sumptio huius Sacramenti sub utraque specie esset ad vitam necessaria: quæ est hæresis Lutherana.

At vero, licet Dominus ibi de spiritali manducatione sermonem faciat, non tamen excluditur Sacramentalis, ut patet ex D. August. in Ioann. tract. 26. atque ex D. Thom. 3. part. quæst. 80. art. 11. Vnde & eiusdem partis quæst. 65. art. 4. ad 2. ait, Illud verbum Domini intelligendum esse de spiritali manducatione, & non de sola Sacramentali. Non dixit: *Et non de Sacramentali*. Quod autem de sumptione etiam Sacramentali verba fiant, mihi facile persuadco. Primum, quia de futuro loquitur Dominus dicens: *Panis quem ego dabo, caro mea est*, nondum enim instituerat eucharistiæ Sacramentum. Deinde, quia discernit manducationem & potionem, & inquit: *Nisi manducaveritis carnem, & biberitis*, &c. ubi integrum Sacramentum carnis & sanguinis, quod in cibum & potum daturus erat, aperte distinxit. Accedit ad hoc, quod Ioannes evangelista, si eo capite de eucharistiæ Sacramento non fecisset mentionem, omnino nullam altissimi Sacramenti rationem habuisset, cum in reliquis sui evangelii partibus ne verbum quidem ullum de eucharistia fecerit. Adde, quod plerique Sancti de eucharistiæ Sacramento illum locum interpretantur, ut D. Chrysostomus in Ioannem, homil. 45. & lib. 3. de dignitate sacerdotali, cap. 4. & Div. August. lib. 1. de baptismo parvul. cap. 20. Ambrosius lib. 4. de Sacram. D. Bernardus in sermone de resurrectione, cuius



ius initium, *Vicit Leo*. Cyrillus quoque atque Theophilaetus in commentariis super Ioann. atque alii, quos refert Gratianus de cons. cr. dist. 2. Certe ecclesia, cum adversus hæreticos de eucharistiæ Sacramento disputat, ex eo capite vel maxime testimonia sumit. In concilio præterea Constantiensi, sess. 13. cum hæreticorum argumento obiter responderetur, qui ex hoc testimonio sumebant, Laicis sub utraque specie hoc Sacramentum esse conferendum, non confugerunt Patres ad spiritualem manducationem, sed crediderunt id quod Dominus dicit, *Nisi manducaveritis*, &c. etiam a Laicis sub specie panis servari, *Cum firmissime*, inquit, *credendum sit, sub utraque specie integrum Christi corpus & sanguinem contineri*. Et (ne longum faciam) concilium Ephesium in epistola ad Nestorium, hunc ipsum locum, de quo disserimus, de sumptioni Sacramenti corporis & sanguinis Domini interpretatur. Atque, id nos late persecuti sumus, ut vim argumenti conservaremus, scilicet, quod difficilius est, quam ut per illam priorem intelligentiam eludi possit.

Igitur, ut ex locis citatis apud D. Thomam colligere licet testimonium illud, licet dissimiliter, utramque tamen expositionem complectitur, & spiritualis, & sacramentalis manducationis. Non enim qui corporaliter dentibus terit eucharistiæ Sacramentum, habet vitam æternam, nisi & spiritualiter manducet, hoc est, credat in Christum viva fide, & ecclesiastici corporis, cuius Christus caput est, membrum fiat. Ergo spiritualis manducatio per fidem, medium est necessarium ad salutem & adultis & parvulis. Suscipitur quoque hoc medium, cum baptismus suscipitur, ut Div. Augustinus exponit, lib. 1. de baptismo parvulorum, cap. 20. & locis quoque paulo ante citatis, ac D. Thomas 3. part. quæst. 73. art. 3. Sacramentalis autem manducatio non hoc modo est de necessitate salutis, sicut baptismus, videlicet quia baptismus est necessarius non solum necessitate præcepti, verum etiam ut medium, sine quo salus non constat. At Sacramentalis eucharistiæ manducatio solum est necessaria, ut præceptum, ac præinde solis adultis quibus duntaxat præceptum imponitur. Quod autem hæc sit mens Divi Thomæ, colligere possumus ex 3. part. q. 75. art.

art. 11. Quid autem in causa sit, quamobrem similibus verbis non similis necessitas præscribitur, non facile dicitur, nisi ad ecclesiæ sensum nostras intelligentias referamus, quæ Sacramentalem eucharistiæ sumptionem nunquam intellexit esse medium ad salutem necessarium, poenitentiam esse intellexit. Vel utrumque quidem Sacramentum necessarium est in re, vel in voto, sed aliter tamen utrumlibet: nam votum eucharistiæ in baptismo continetur, votum autem poenitentiae in nullo alio Sacramento. Quo fit, ut votum eucharistiæ satis sit implicitum. Atque id forsitan est a D. Thom. sensum accommodatius.

Ad sextum argumentum respondetur, quod Nectarius antecessor Divi Chrysostomi confessionem secretam de medio sustulerat, ut illo capite Sozomenus tradit. Quamobrem Chrysostomus Nectario succedens, de confessione hac auctulari populo verba facere noluit: quia enim nondum scandalum sedatum erat, quod in ecclesia Constantinopolitana per occasionem secretæ confessionis fuerat exortum, non est ausus eam restituere, quam scilicet vir probatæ fidei apud Constantinopolitanos abiecerat. Nec apud Græcos confessio, quæ sacerdotibus in aurem fit, tam est recepta, quam apud Latinos: Vnde Sozomenus loco illo citato, apud Occidentales ecclesias ritum confessionis asserit maxime, & traditum: & retentum. Sed de poenitentia, dist. 1. cap. finali Theodorus dicit, Græcos existimare, soli Deo esse confitenda peccata. Quemadmodum itaque baptismus non statim a passione Christi cœpit esse medium omnibus necessarium ad salutem, sed post sufficientem evangelii, & baptismi evulgationem; ita & confessionis Sacramentum ex eo tempore cœpit omnibus hominibus esse necessarium, etiam de peccatis secretis, quo sufficienter promulgatum est. Quo fit, ut Græci ante plenam invulgationem sine peccatorum confessione occultorum salvari potuerint. Iurisconsultis vero, ac nonnullis etiam Theologis sane parcendum est, quod in questione perobscura, & quæ eo tempore nondum erat satis explicata, ac definita, ignorantiter erraverint.

## PARS SEXTA.

*De præcepto Sacramenti Pœnitentiæ.*

**S**ED quoniam plus nimio longa facta est disputatio, iam ad partem Relectionis postremam pergamus, in qua illud quærebatur: *An de pœnitentiæ Sacramento divinum præceptum sit.* Et quoniam primam huius Sacramenti partem, hoc est, contritionem cordis, quemadmodum in præcepto divino esset, ostendimus: reliquæ sunt duæ, de quibus nobis instituenda est disputatio, confessio videlicet oris, & satisfactio operis: nam alterius præceptum hæretici negant, alterius etiam Catholici.

Ad illud igitur explicandum prius aggrediamur: *An confessio, quæ sacerdotibus in aurem fit, evangelio iure sit præcepta.* Suadet enim non esse: Primum, quia tale præceptum divini iuris nullo sacrarum literarum loco reperitur. Quod si ita est, ut certe videtur esse, non est cur divini iuris præceptum esse fingamus.

Deinde, si confessio divinæ institutionis esset, eius quoque integritas ab evangelico iure proficisceretur. Unde fieret, ut & pœnitens omnium peccatorum & species, & numeros dicere, & Confessor sollicite utrumque interrogare deberet, quod esset revera molestissimum. Ac præterea non liceret ecclesiæ ulla ex causa confessionem partiri. At partitur, ut cum sunt casus reservati, absolvit Romanus Pontifex ab illis, pro aliis vero non reservatis remittuntur pœnitens ad proprios sacerdotes. Non igitur divinæ institutionis est, omnia simul peccata sacerdoti confiteri.

Præterea, si hoc præceptum evangelicum fuisset, tunc non obstante damno vel proprio, vel alieno, confiteri teneremur, sicut & baptizari. Et asserunt Doctores, iacturam aut meam, aut alterius idoneam esse causam, cur ego non debeam confiteri: non est ergo divini iuris obligatio.

Præterea, si Christus Dominus confessionem iussit, certe eam iussit, quæ medium est necessarium ad salutem, scilicet

Quæstio  
princip.

Vtrum  
conf. sit  
præcept.  
divin.

Arg. pro  
part. neg.

## 558 RELECTIO DE POENITENTIA.

formatam. Quamobrem qui præstaret confessionem informem, eam iterum facere teneretur, quod esset profecto durissimum.

Præterea, si præceptum de confessione divinum esset, mutus hac etiam lege constringeretur. Id vero tam est absurdum, quam esset absurda confessio, quæ a muto proficeretur. Item & absens per epistolam confiteri deberet absenti sacerdoti, atque adeo peccator ignotæ linguæ præsentem per interpretem.

Ad hæc, eadem ratione Dei præceptum esset, solis propriis sacerdotibus confiteri, cum soli sint a Deo iudices constituti; unde & in cap. *Firmiter, de summa Trinitate*, claves solis apostolis, & eorum successoribus dicuntur esse collatæ.

Postremo, si mandatum hoc ex evangelio posset haberi, id vel maxime ex illo Ioannis 20. cap. *Quorum remisistis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt.* At inde non habetur: pari enim ratione oporteret venialia confiteri, cum de illis etiam ibidem sermo sit, alias confessio venialium ad hoc Sacramentum non pertineret; & si de utriusque loquitur Christus, cum ait, *Quorum remisistis peccata*, ad utraque etiam pertinet, quod dicit, *Quorum retinueritis*, &c. Compertum igitur videtur esse, aut utrorumque, aut neutrorum confessionem in præcepto divino esse.

In contrarium est, quod Sacramentum poenitentiae ad salutem necessarium est, ut ante docuimus (1). Quod utique Sacramentum citra confessionem constare non potest, quæ videlicet est præcipua huius Sacramenti materia. Cum itaque peccata mortalia confiteri opus sit ad salutem, efficitur manifeste, de confessione divinum esse præceptum.

Resol.  
quæstio-  
nis.

In hac controversia post ea, quæ in superiore definita sunt, vix quicquam superest, quod adiciere debeamus. Quippe certum, & persuasum nobis esse debet, omnem exteriorum virtutum actum ad salutem ex divina institutione necessarium, ex eadem quoque institutione in præcepto esse. Facia-

(1) In 5. pars. præced.

**ciamus enim**, hominem peccatorem contritionem habere peccati sui: tunc quæritur, an hic teneatur confiteri ex divino iure, necne. Si tenetur, id fides catholica docet, id nos in præsentia conficere volumus: si non tenetur, sine peccato mortali poterit confessionem omittere. Quare per solam contritionem salvabitur, ac proinde confessionis Sacramentum non est ad salutem necessarium.

Præterea ( ut reliqua argumenta prætereamus, quæ modo repetere molestum negotium esset ) definitio illa concilii Complutensis sub Reverendissimo Archiepiscopo Toletano Alfonso Carrillo, manifesto convincit, non solum confessionem divina lege iussam esse, verum etiam id negare, hæreticum esse.

Prima igitur conclusio Petri Oxomensis, ibidem damnata, sic habet: *Peccata mortalia, quantum ad culpam & pœnam alterius sæculi, dolentur per solam cordis contritionem sine ordine ad claves.*

Secunda conclusio. *Quod confessio de peccatis in specie fuerit ex aliquo statuto universalis ecclesie, non de iure divino.*

Tertia conclusio. *Quod prava cogitationes confiteri non debent sed sola displicentia delentur sine ordine ad claves.*

Quarta conclusio. *Quod confessio non debet esse secr.ta.* Has omnes, & singulas hæreticas esse, Synodus definivit. Est autem congregata auctoritate Sixti Quarti, & confirmata postea ab eodem Sixto in *Extravaganii*, cuius retro mentionem fecimus: Vbi denuo condemnantur, tamquam hæreticæ, illæ propositiones. Quo fit, ut qui asserunt hunc errorem esse temerarium, aut hæresim sapere, hanc Sixti definitionem minime viderint, quam non piguit semel atque iterum sumere, ut frequentius ob oculos posita perenni memoria teneatur.

Ad primum argumentum: Iam ostendimus locum in evangelio Ioannis, unde confessionis præceptum ducitur. Nam quod Caietanus in commentariis super hunc locum asserit, institutionem Sacramenti pœnitentiæ inde haberi, non præceptum, certissime fallitur. Habetur enim necessitas comparandi coram iudicibus a Christo constitutis, atque ex consequenti præceptum confessionis, sine qua peccata nostra a

Resp. ad  
1. arg.

sacerdotibus iuste, ac prudenter discerni, iudicarique non possunt.

Iam quod hæretici tradunt, Innocentium tertium fuisse confessionis auricularis auctorem, imprudenter errant, Leo siquidem Papa multis annis ante Innocentium præcepit, confessionem non publice fieri, sed occulte. Quin etiam asseruit, contra Apostolicam regulam publicam confessionem postularit, ut patet epist. 57. ad episcopos Companiæ, & 69. ad Theodorum episcopum. Huius etiam iudicii sacramentalis apud sacerdotes meminit Innocentius primus, in epistola ad Decentium, cap. 7. Sed & Clemens in 1. epistola ad Iacobum fratrem Domini, Petrum apostolum tradidisse refert, cogitationes etiam malas oportere Christianos, mox ad Christum illidere, & sacerdotibus Domini manifestare. Eius etiam est mentio apud Div. Hieronymum in illud Ecclesiast. 10. *Si mordeat serpens in silentio*, &c. Nam quod super Psalm. 84. refertur solet, forsitan reiiceretur, quod commentaria illa, an Divi Hieronymi sint, incertum est, quemadmodum liber 2. de visitatione infirmorum, & libellus ad Comitum, & liber de vera & falsa poenitentia D. Augustini esse negantur. Sed est tamen in Augustino locus, quem evertere ne Erasmus quidem possit, in libro 3. de baptismo contra Donatist. cap. 17. & 18. ubi nititur iudicium hoc sacerdotale eodem hoc ipso Ioannis asserere testimonio. Vide etiam tractat. 2. in Psalm. 101. super illud, *Ut audiret gemitus compeditorum*. Cyprianus quoque serm. 5. de lapsis, etiam eos, qui corde tantum lapsi sunt, docet, hoc ipsum apud sacerdotes Dei dolenter debere confiteri. Poenitentia huius insuper, quæ apud sacerdotes fit, mentionem fecit Tertullianus in libr. de poenitentia. Divus Ambrosius autem lib. 1. de poenitentia, cap. 2. hanc sententiam eodem, quo & nos Ioannis testimonio confirmat. Nam alia, quæ solent afferri, ut est illud Iacobi 5. *Confitemini alterutrum*, &c. Et illud Lucæ 17. *Ite, ostendite vos sacerdotibus*, &c. non adeo firma videntur adversus hæreticos testimonia. Tametsi dici etiam facile poterat, quod licet ex sacra-Scriptura huiusmodi præceptum non haberetur, habetur tamen ex traditione Christi, & Apostolorum, quemadmodum & alia pleraque nostræ fidei docu-

men-

mentā. Quod si rara apud antiquos secretæ confessionis mentio est, frequens vero publicæ, ut in concilio Niceno, cap. 9. & aliis item plurimis, id sane nihil nostræ huic definitioni adversatur. Ostensum est siquidem non solum ex traditione maiorum, verum etiam ex evangelico testimonio confessionem peccatorum sacerdoti fieri debere, quod quidem est de necessitate Sacramenti. Secretam vero, aut publicam confessionem fieri, prudentiæ est naturali relicta, quæ dicitur, ut occulta peccata occulte, publica publice iudicentur.

Ad secundum argumentum non possumus breviter respondere, quoniam rei gravitas & utilitas multa nos dicere compellunt, quæ præteriri nulla ratione debent. Resp. ad 2

Primum igitur, confessionem integram esse debere, apud Theologos exploratissimum est, ut patet in 4. dist. 16. & 17. ubi ea de re a scholasticis Theologis disseritur. Habetur autem manifeste, huius assertionis definitio in concilio Florentino, ubi posteaquam decretum est, confessionem esse huius Sacramenti materiam, ad confessionem id pertinere definitur, ut quis omnia peccata sua, quorum memoriam habet, integre confiteatur. Et concilium Lateranense, in cap. *Omnis utriusque sexus, de pœnitentiis, & remissionibus. Omnia,* inquit, *peccata sua proprio sacerdoti confiteatur.* Quod etiam usu totius ecclesiæ declarari facile potest: nam qui tacet aliquod peccatum mortale, eum communi consensu fideles damnant. Confessio deb. esse integra.

Divus quoque Thomas 4. distinct. 17. quæst. 3. art. 4. quæst. 2. rationibus hoc suadere conatur: Prima, quod confessio mutila non est confessio, sed confessionis simulatio: non enim vere vult sanari ab illis morbis, quos explicat medico, qui alios tacet, cum medicina sit eadem omnibus sanandis instituta: quæ ratio sumitur ex Divo Augustino de vera, & falsa pœnitentia, cap. 15. *Quidam,* ait, *uni celant qua alii manifestanda conservant. Quod est ad hypocrisim rendere, & semper carere venia, ad quam totam se per frustra putant pervenire.*

Secunda, quod confessio fit sacerdoti vice Dei cum spe veniæ consequendæ: sed impium est, a Deo dimidiatam sperare veniam, de vera, & falsa pœnitentia, cap. 9. ergo &

a confessore impium est dimidiatam peccatorum remissionem expectare. Quæ eadem est ratio Divi Augustini in illo capite 15.

Tertia, quod Sacramentum hoc ordinatur ad medicinam omnium peccatorum mortalium, quibus sacerdos curationem adhibiturus est. Quod nisi cognoscat medicus ægri totam habitudinem, non potest prudenter medicinam apponere. Nam quæ uni morbo competit, alteri affert quandoque perniciem. Quæ ratio sumitur ex cap. *Omnis utriusque sexus*: Vbi Innocentius ait, *Sacerdos more periti medici diligenter inquireat peccatoris circumstantias & peccati, ex quibus prudenter intelligat, quale debeat ei præbere consilium, & cuiusmodi remedium adhibere, diversis experimentis utendo ad salvandum ægrotum.*

Durandus tamen, dist. 17. quæst. 15. hanc quidem rationem calumniatur, sed eam tuetur Paludanus, quæst. 5. eiusdem distinctionis, ac multo etiam magis Adrianus, quæst. 4. de confessione. Nos vero fatemur, conclusionem Mathematica demonstratione plane exploratam haberi non posse; sed *fidè posita*, afferuntur argumenta, quæ probant, consentaneum esse, ita fieri oportere. Ac re vera, cum huius Sacramenti finis non tam vindicare sit, quam sanare. (*non enim venit filius hominis in mundum, ut iudicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum*, Ioann. 3.) notitia necessaria iudici ad hoc salutare iudicium, ex tali finis salutis depromenda est. Tantum itaque criminum poenitens confessori debet manifestare, quantum opus erit ad salubre poenitentis iudicium, atque vindictam. Et quemadmodum leges considerant, quod plerumque necesse est, raros autem eventus negligere solent; sic & rationes legis in ea spectant, quæ plurimum accidere solent, quæ vero raro incidunt, nec legem, nec rationem legis infirmant. Compertum sit igitur, confessionem peccatorum integram esse oportere. Sed an id sit de iure divino, in dubium vertitur. Cui tamen (ne longas moras trahamus) breviter respondetur, confessionis integritatem ex Divina institutione fuisse. Qui enim confessionem instituit, non mancam & mutilam, sed integram instituit. Dei quippe perfecta sunt opera.



Deinde, materia Sacramenti ex Divina institutione fuit. Ac confessio integra est materia huius Sacramenti, ut in concilio Florentino definitur. Imo adeo perspicuum est, cum formæ absolutionis confessio mutila & dimidiata repugnet. Non enim absolvit ligatam multis funibus, qui unum præscindit, aliis non præcisit.

Denique Ioannis 20. sacerdotes iudices constituuntur a Domino ad remittenda peccata loco Dei: Si ergo sacerdos partem peccatorum remitteret, partem non remitteret (quod paulo ante ratiocinabamur) & Deus quoque partim absolveret, partim non absolveret, quod impium est. Cumque omnium peccatorum mortalium sint iudices, si quibusdam cognitis, aliis neglectis, reus absolveretur, proculdubio iudicium non solum imprudens esset, verum etiam iniquum.

Porro si omnia hæc argumenta defuissent, usus ecclesiæ usque ab apostolis receptus id satis ostendit: semper enim intellexit ecclesiæ, confessionem, quam a Christo accepit, integram esse debere.

Verumtamen adhuc dubium est: *An satis sit confiteri omnia peccata, quorum quis ante memoriam habet, an oporteat etiam adhibere diligentiam, ut peccata in memoriam revolentur.* Nam videtur illud prius satis esse, quoniam in concilio Florentino dicitur, ad confessionem pertinere, ut omnia peccata, quorum homo memoriam habet, integre confiteatur. In contrarium est communis sententia Theologorum, atque adeo communis usus totius populi Christiani.

Pro huius rei explicatione, cum primis advertendum est, unum idemque præceptum esse de confessione, de eius integritate, de examine conscientiæ, ac peccatorum inquisitione. Nam ob id tenetur homo integre confiteri, quia tenetur confiteri, & idcirco examinare conscientiam, & peccata, quæ fecit, inquirere, quia debet integritatem in confessione servare.

Illud deinde commemorandum est, quod alias sæpe diximus, huius iudicii sacramentalis finem non tam punitionem, & vindicationem iustitiæ esse, quam vindicationem salutarem. Ex quo fit, ut licet in iudicio pure vin-

dicativo exacta culparum cognitio requiratur, ut videlicet tanta sit pœna, quantam quis per culpas meritus est; at in iudicio hoc sacramentali non exigitur exacta cognitio peccatorum, sed qualis, & quanta necessaria est ad curationem, & salutem poenitentis: hæc enim huius iudicii finis est. Quæ quidem doctrina habetur ex cap. *Omnis, de poenitentibus, & remissionibus*, ibi: *Mores perit medici sacerdos diligenter inquirat peccatoris circumstantias, & peccati, &c.* Idem traditur ab eodem Innocentio, in cap. *Deus*, eodem titulo: *Cum poenitentia*, inquit, *non tam secundum quantitatem excessus, quam poenitentis contritionem per discreti sacerdotis arbitrium sit moderanda, pensata qualitate personarum, & consideratis circumstantiis omnibus, prout saluti eorum viderie expedire.*

1. conclus.

His animadversis, prima conclusio sit, *Non tenetur quis omnem operam quam potest dare, ut omnia peccata qua fecerit, in memoria conservet, videlicet, ut postea tempore confessionis nullum intermittatur.* Hanc conclusionem vel eo solo argumento amplecti deberemus, ne Christi iugum insuave, imo adeo importabile hominibus redderetur; ne Germani merito possint obiicere (quod quidam illorum impudenter faciunt) Doctores Scholasticos, homines nimium argutos, confessionem hodie talem reddidisse, ut iuxta illorum hetherosin impossibile sit confiteri.

Præterea, pauci admodum eorum, qui semel in anno confitentur, memoria tenent universa peccata mortalia, omnes circumstantias, omnesque cogitationes; & tamen si peccator, simul atque peccat, scriberet peccatum, oblivioni certe frequentissime morderetur. Non igitur quamcunque potest curam impendere homo tenetur, ut omnia peccata memoria teneat, nisi velimus ad hanc scribendi scrupulosam diligentiam homines obligare.

Item, quidnam is faciet, qui literas nescit? Num locis & signis peccata denotavit, ut eo pacto memoriæ imbecillitate succurrat? Minime gentium. Age vero quid cum rusticis agemus, si hæc sententia vera non est? Nempe nihil aliud, quam eos obligare, ut non semel modo, verum etiam centies in anno confiteantur, si quidquid valent, præ-

stare

stare tenentur, ne ullius peccati obliviscantur. Et cum ex duobus iactis fundamentis hæc conclusio maxime constet, non est cur nos in ea probanda amplius immoremur.

Secunda conclusio. *Tempore quo quis tenetur confiteri, aliquam diligentiam adhibere debet peccatis omnibus, qua commisit inquirendis.* Tenetur enim integram confessionem facere, quod nulla adhibita diligentia est moraliter impossibile. Idem patet ex fine confessionis, sive quatenus iudicium voluntarium est, sive in quantum est iudicium medicinale.

2. Concl.

Tertia propositio, *Qui adhibet humanam vel mediocrem diligentiam* (qualem videlicet præstare solent viri mediocriter timentes Deum, quisque iuxta conditionem gradus & ordinis sui), *vere implet legem de confessione integre facienda.* Verbi gratia, si ego adhibui aliquam diligentiam, & per parvam ulteriorem probabiliter existimo aliqua mortalia fore in memoriam revocanda, teneor ulterius inquirere. Quod si puto nullum aliud peccatum venturum in mentem, nisi forsitan ingenti quadam discussione, & magni temporis inquisitione, non oportet esse sollicitum, satis nempe est illa mediocris, & humana diligentia.

3. concl.

Quarta propositio, *Si quis adhibuit diligentiam & curam in examinanda conscientia, quam credit esse sufficientem, etiam si fallatur, excusari talis negligentia a peccato mortali, & potest, & debet: Non in omnibus id quidem, sed in multis partibus, qui timent Deum, atque habent mediocrem curam anime sue.* Cæterum impios, quos videlicet nulla anime suæ cura tangit, ego nulla ratione a peccato mortali excusarem, etiam si existiment, se diligentiam idoneam adhibuisse, cum videlicet omittunt, vel ignorant, aliqua peccata, ex insufficienti discussione. Nam cum huiusmodi hominibus minima diligentia esse videatur maxima, cumque sint soliti adhibere mediocrem, timere sibi necessario debent. Quod si non timent, nullam excusationem habent peccati. Contra, viri conscientia sobria & timorata, cum adhibere diligentiam & curam soleant, si quando ex ignorantia & inconsideratione prætermittant, iure optimo a mortali culpa saltem excusantur.

4. Concl.

Quod si obiicias, eam diligentiam mediocrem non sufficere, ex eo quod D. Augustinus ait, de vera, & falsa peccati-

Obiectio  
contra 4.  
concl.

ni-

## 566 RELECTIO DE POENITENTIA.

nitentia, cap. 15. Ponat se omnino pœnitens in iudicio sacerdotis, nihil sibi servans sui, paratus faceret pro reparanda animæ vita, quæcunque facere pro vitanda corporis morte.

**Respons.** Item doctores asserunt, eam diligentiam facturos pœnitentes, quam facerent in inquirenda pretiosa margarita. Probatissimum id est, quis negat? At quoniam infirmis etiam oportet consulere, non præscribimus quid faciant optimi, sed quid ad salutem necessario facere debeant vel imbecilles.

**Corollar. præc. concl.** Ex his manifeste colligitur, numerum peccatorum mortalium ad confessionis integritatem pertinere. Nam qui commisit decem, & solum exprimit novem, celat unum. Quare non confitetur omnia peccata, quæ in memoria habet.

**Coroll. 2.** Fit deinde, non oportere eos, qui sæpe peccant, ad Mathematicos numeros peccatorum multitudinem exacte redigere. Difficilis sane propositio, sed vera, quia vix possibile est iis, qui semel in anno confitentur, certum peccatorum numerum recensere. Sat igitur erit, mediocri diligentia adhibita, paulo plus vel minus numerum explicare: Verbi causa, est qui consuetudinem habet fornicandi, si maximam sollicitudinem haberet, forsân certum posset exprimere: sed non tenetur, inquam: quâ satisfuerit ita dicere: habeo consuetudinem semel, vel bis in hebdomada fornicandi, vel peccavi huiusmodi peccatis fere quinquaginta aut circiter centum, &c. Hæc enim notitia sufficit confessori, ut finem confessionis præstet, sive consilium, sive remedium, seu vindictam salutarem, quemadmodum exemplo Medici facile declarari potest.

**Coroll. 3.** Colligo tandem, interim non opus esse hanc mediocrem diligentiam ad numerum peccatorum exprimendum, etiam pingui, crassaque Minerva. Sit prostibulum (exempli causa) decem annos in lupanari, hanc, inquam, non est opus sollicitam reddere, ut explicet, an centum millia peccatorum commiserit, plus minusve: sed sat erit ita dicere: Ego decem annos in hoc vitio fui, quoslibet homines admissi, quoslibet hora parata fui, &c. Probatur, quia ex eo tantam accipit confessor notitiam, quanta opus est ad quemcunque finem confessionis consequendum: Imo quantam potest pœnitens ei dare, etiamsi exprimat sexcentis millibus peccavis-

se. Non ergo debet confessor vexare pœnitentes, punctim interrogando de numero per anxiam & puerilem superstitionem faciens eos vel mentiri, vel certe falsum dicere.

Huic & aliud corollarium adiunctum est, videlicet, non necesse esse, ut pœnitens omnes actus explicet, mortales etiam, singulatim, cum in uno actu intelliguntur, ut si volo inimicum occidere, quero arma, equum, &c. Item qui furatur, scalas suspendit, aperit seras, &c. Quia licet omnes illi actus sint peccata, omnes tamen ordinantur ad perficiendum actum unum, quem confiteor: licet enim in genere entis sint multa entia, sed in moralibus pro uno actu computantur. Hæc tamen ratio calumniam habet, quia actus interior & exterior, in genere moris, una culpa censetur; & tamen non satis erit, actum interiorem confiteri, nisi simul aperias actum exteriorem. Nam ille actus exterior est peccatum mortale, & omne mortale confiteri necessum est. Ratio igitur vera huius conclusionis corollariæ fuerit: quod sacerdos in actu præcipuo explicato per meam confessionem sufficienter intelligit actiones committantes. Quemadmodum qui confitetur exteriorem actum, stultus est, si velit interiorem explicare. At cum in interiore non intelligatur exterior, explicetur oportet. Vnde fit, ut si ad perfectionem peccati principalis actus alius adiunctus intervenire non soleat, explicandus sit: ut si per internuntium sollicitavi puellam, vel si ad occidendum, socium accersivi.

Sed iam quæstio valde difficilis urget, *An teneamur peccatorum circumstantias confiteri, ut integra confessio sit.* Qua explicanda primum intelligatis, circumstantias esse in duplici differentia: alias minuentes, alias vero aggravantes. Aggravantes rursus bifariam partiri necesse est: quædam enim mutant speciem, ut furtum in loco sacro; aliæ non mutant, ut furtum centum aureorum, quod eadem specie continetur ac furtum aureorum decem.

Tunc sit prima propositio, *Circumstantia, quæ ita minuit, ut ex mortali fiat veniale, omnino debet explicari, ut communicare in divinis cum excommunicato, veniale fit, si ex inconsideratione procedat.* Quod si confitear, me cum excommunicato in Divinis communicasse, sacerdos seducitur in re

Vtrum ad integrit. confes. requiratur manifest. circumstantiarum.

x. concl.

gra-

## 568 RELECTIO DE POENITENTIA.

gravi ad iudicium pertinente; nam intelligit, me peccasse mortaliter.

2. Concl. Secunda propositio, *Si circumstantia minuunt peccati malitiam, intra latitudinem mortalis culpa tamen, non est necessarium illas confiteri, nisi forsitan rarus eventus contingeret, ubi tanta esset ex circumstantia adiacente culpa diminutio, ut dupla, vel tripla a sacerdote intelligeretur.* Tunc enim iudex in re gravi decipitur. In universum tamen, si quis animo pure & simpliciter confitendi, & non ut quærat excusationes in peccatis, eiusmodi circumstantias explicet, consilium saluberrimum est, & nos reprobare non possumus. Nec in hoc sensu reprobarunt aut Petrus Paludanus, dist. 26. quæst. 3. aut Sylvester in verbo confessio 1. §. 9.

3. Concl. Tertia propositio, *Circumstantia mutantes speciem, & ex nova specie novam peccato mortalem malitiam adiicientes sunt omnino explicanda, ut stuprum cum virgine Deo sacrata, incestus cum consanguinea, quia vere ibi continentur plura peccata contra plura præcepta, & contra plures virtutes.* Item, quia alias maior pars malitiæ sacerdoti celaretur. Quamobrem merito præcipitur sacerdoti, in cap. *Omnis, de pœnitentiis*, ut diligenter inquirat, & peccatoris circumstantias, & peccati, &c. Quod etiam præfinitum est in Decreto quodam Wormatiensis concilii, quod refertur a Rhenano circa finem Tertulliani: oportere, scilicet, sacerdotes rei veritatem ad liquidum interrogando discutere, & studiose perscrutari diversos pœnitentis errores. Idem eleganter præscriptum est in 6. Synodo generali apud Trullum congregata, canone ultimo. Est quoque diligenter animadversum ab Augustino, in libro de vera & falsa pœnitentia, cap. ultimo, & habetur de Pœnitentia, dist. 6. cap. 1.

Sed argumentantur quidam contra hoc, quia etiam si confessor non inquirat eiusmodi circumstantias omnes, fiunt omnia quæ sufficiunt, ut pœnitens gratiam consequatur; ergo eiusmodi confessoris scrutinium non est necessarium.

Deinde pœnitens non tenetur maiorem diligentiam adhibere in inquirendis peccatorum circumstantiis, quam adhibuit: ergo nec Confessor.

Præterea, quia confessio ex multis huiusmodi interroga-  
tio-

tionibus fiet molesta nimis tum pœnitentibus, tum, ac multo etiam magis, confessoribus.

Demum, plurimæ peccatorum species, atque earum differentię ignorantur, non ab indoctis modo, verum etiam a doctis.

His argumentis priusquam ego respondeam, dico, necessarium esse confessori interrogare pœnitentem, quando probabile est, quod pœnitens ex negligentia prætermittit aliquam eiusmodi circumstantiam, quam diximus explicandam esse: tum quia alias peccaret absolvendo ponentem obicem absolutioni: tum quia iudex non servaret debitam fidem officio suo: tum quia medicus & negligens, & malus haberetur, si ab ægrotto morbi circumstantiam, & qualitatem non exquireret.

Secundo dico, quod si confessori probabile est, pœnitentem diligentiam idoneam adhibuisse in inquirendis & peccatis, & peccatorum circumstantiis, adhuc tenetur interrogare atque disquirere, cum probabiliter credit, aliquam peccati circumstantiam necessariam se per huiusmodi inquisitionem inventurum. Verbi gratia, sit rusticus, qui pro ruditate sua mediocriter fuit diligens in peccatorum circumstantiis commemorandis; si confessor probabili coniectura tenet, alicuius circumstantiæ pœnitentem oblivisci, tenetur sine dubio interrogare.

Primo, quia medicus etiam si cognosceret, ex oblivione inculpabili ægrotum tacere aliquas circumstantias morbi pesitentes, revera teneretur inquirere.

Secundo, quia iudex infideliter ageret, si sciens, testes oblivisci alicuius criminis, de quo ius habet interrogandi, omitteret tamen ac dissimularet.

Tertio, quia confessor institutus est loco Dei ad compensandas iniurias contra Deum factas, & taxandas pœnas pro offensis debitas: ergo hac etiam ex parte infidelis sequester ac mediator esset, quemadmodum is, cuius fidelitati ego committerem, ut rationem dati & accepti ab Oeconomo meo acciperet, &c.

Quarto, de illa peccati omisa circumstantia non posset confessor præbere nec consilium, nec remedium, ut pœni-

tens in futurum caveret illam, &c. Vnde in cap. *Omnis, de Pœnitentiis*, Innocentius ait: *Diligenter inquirat peccatoris circumstantias, & peccati, quibus prudenter intelligat, quale debeat præbere consilium, & cuiusmodi remedium adhibere.*

Resp. ob-  
iect.

Ad primum igitur respondetur, quod hoc sacramentum non solum ordinatur ad reconciliationem pœnitentis cum Deo & ecclesia, sed etiam ad compensandas iniurias Deo factas, imposita pœna iuxta quantitatem culparum: alioquin superflua esset tertia pœnitentiæ pars, scilicet satisfactio. Ordinatur etiam hoc Sacramentum ad medendum vulneribus universis, & remedium adhibendum ægroto, debitumque consilium præstandum, ne eadem vulnera iterum accipiantur.

Ad secundum negatur consequentia; alia est enim diligentia adhibenda a teste & reo in iudicio, alia a iudice, cui ex proprio munere competit inquisitio.

Ad tertium, Nolo ego confessores importunos esse, & intolerabile negotium facessere pœnitentibus. Quemadmodum nec eos quidem probo, qui imprudenter interrogando pœnitentibus scandalum iniiciunt, atque eos peccare docent. Qua in re confidenter etiam reprobo summas istas confessionum interrogationibus plenas, quæ idiomate vulgari non solum eduntur, ut in publicum prodeant, sed passim etiam mulierculis, & idiotis conferuntur, ut inde discant non confitendi, sed (ut ego sentio) peccandi rationem, & normam. Sed id nos modo asserimus, cum moraliter constat confessori, aliqua vel peccata, vel peccatorum circumstantias ex oblivione præteriti, oportere vel commonefacere, vel interrogare, ut res in iudicio palam fiat. Quod si mediocrem probabilitatem sacerdos habet, qua sibi persuadet, pœnitentem omnia peccata, & eorum circumstantias confiteri, non oportet confessorem esse sollicitum, & scrupulosum sed sane intelligere, quod Sylvest. in verb. *Confessor* (2), 3. 6. 13. 14. & 15. tradit.

Dubium  
Adriani.

Hinc vero facile patet, quid in ea quæstione tenendum sit,

---

(2) *Vbi tractat de scientia requisita, ut confessor munere suo rite fungatur.*



sit, quæ Adrianum post quintam quæstionem de confessione, dubio septimo male habuit: *An cum pœnitens ignorat, aliquam circumstantiam non esse peccatum, & propterea non conicitur, oporteat confessorum interrogare, & commone- re.* Et quidem cum ignorantia est vincibilis, nulla controversia est, sed pœnitentem etiam invincibiliter ignorantem confessor admonere tenetur illius peccati, aut circumstantiæ, quæ ex ignorantia præteritur, sive præceptum divinum sit, sive humanum, quia moraliter loquendo, ut Theologos docet, confessor tacens, & absolvens pœnitentem errantem circa materiam peccati mortalis, suo opere probat, confirmatque pœnitentis errorem. Mox etiam quia confessor doctor est, ad quem accedit pœnitens, tanquam ad Vicarium Dei, ut instruat: unde infideliter ageret contra magisterium sibi commissum, nisi doceret errantem. Liquet enim, pœnitentes accedere ad confessores, non solum ut absolvantur, sed ut instruantur. Nam etsi confessor, quatenus confessor est, non sit nisi aut iudex, aut medicus; at quia proprius sacerdos, & pastor, & doctor est (ad Ephes. 4.) fit inde, ut omnes leges, tam divinas, quam humanas, quæ spectant ad pœnitentem, eum docere teneatur; unde in concil. Wormat. iam citato interrogationes etiam proponuntur, quæ ad pœnitentis eruditionem necessariam pertinent. Quia vero proprii sacerdotes vicarios constituunt sui muneris, & officii delegatos, sentiant qui vices suscipiunt priorum sacerdotum, id sibi negotii dari, ut non modo pœnitentes & audiant, & absolvant, verum etiam erroribus amotis instituant.

Atque id ego intelligi volo, cum existimo me pœnitenti profuturum. Nam frustra niti, & nihil aliud, quam laborando odium quærere (ut Sallustius ait) extremæ demeritiæ est; & Div. Augustinus de pœnit. dist. 7. cap. *Si quis. Ideo, inquit, do tibi pœnitentiam, quia nescio; nam si scirem nihil tibi prodesse, non tibi darem, non te admonerem.* Ratio quoque perspicua est, quia nulla lex obligat ad actus inutiles & otiosos. Item, sicut correctio ad bonum illius, qui corripitur; ita confessio ad bonum pœnitentis ordinatur. Sed quando scio, nihil me mea admonitione profuturum, non teneor fratrem corripere, aut delinquentem, aut ignorantem: er-

go, &c. Nam ex fine ratio mediorum est. Hinc facile discernetur, quid in multis eventis confessor habeat facere, si prudens esse velit, ut si mulier nupsit Petro occulte non consummato matrimonio, deinde contraxit cum Ioanne publice, & consummavit, cum quo manet bona fide. Item, si mulier contraxit cum fratre suo, aut affine, quem invincibiliter ignorat esse fratrem, &c. Nam in his omnibus, si credo meum consilium profuturum, teneor admonere, sin vero minus, teneor non admonere, sive id sit in detrimentum proximi, sive non sit, sive contra ius divinum, sive humanum.

Testimonia vero, quæ Adrianus in contrarium refert ex Divo Ambrosio, sermone 82. 83. & 84. ex Divo Paulo apostolo, Actor. 20. ex Gregorio 43. dist. cap. *Ephesius*, ex Innocentio 83. dist. cap. *Error*, de doctore publico intelligenda sunt. Cuius doctrina licet aliis sit odor mortis in mortem, debet tamen populo tradi, ut aliis sit odor vitæ. Nam (ut idem Div. Ambrosius ait serm. 83.) prædicatio sacerdotis in plebe salvandis correctio est, contestatio iudicandis. Doctrina ergo, quæ ad bonum publicum ordinatur, propter malum privatum non est intermittenda. Ad Doctrina, quæ bonum privatum pro fine habet, cessante fine, id est, privato bono, cessare debet.

Id vero intelligendum est, si nec statim, nec postea fructus admonitionis speraret. Deinde, cum verisimiliter credo, hanc ignorantiam esse duraturam. Nam si aliunde constaret, submovendam esse ab alio videlicet confessore, qui imprudenter medebitur illi malo, certe consultius ignorantem admonebo, præterquam si remedium est intolerabile: ut si exemplis propositis addas susceptos filios ex existimato matrimonio diutinam cohabitationem, scandalum publicum, &c. Quo eventu nullus tam imprudens erit, qui non periculum præsens horreat, nullus tam temerarius, qui sibi fidat.

Ad quartum argumentum respondetur ex Cajetano quæst. 3. de confessione, quod cum circumstantiæ specificè differentes nullam differentiam in iudicio sacerdotali faciunt, non oportet explicentur: ut divinare per astra, vel per terram, specie forsitam distinguuntur. Item, accedere ad bestiam unius, vel alterius generis, &c. At circumstantiæ secundum speciem dif-

differentes, quæ in iudicio salutari diversum remedium exigant ac medicinam, hæ mediocriter doctis notæ sunt : eas nos asserimus esse explicandas.

Sed enim gravi simum dubium est, *Ancircumstantia aggravantes intra eandem speciem sint necessario confitendæ.* Suadent enim nonnulli, eismodi circumstantias explicari non oportere, quia alias cogremur intensionem, & continuationem actus explicare, quas quidem circumstantias nec confiteri populus solet, nec prudens confessor exigere. Et confirmatur *Quia circumstantia non mutans speciem nunquam aggravat in infinitum : ergo non est necessario declaranda. Antecedens probatur, quia intendit pœnam, non extendit. Extensio enim est infinita sine circumstantia, & per nullam circumstantiam crescit. Intensio verò finita est, & per nullam circumstantiam fit infinita.*

Dubium.

Quibus argumentis D. Thom. 4. dist. 16. quæst. 3. art. 2. quæst. 5. expresse tenet, solas circumstantias, quæ speciem mutant, esse confitendas. Item Di Bonaventura in ead. dist. & Paludan. quæst. 3. ac Durandus quæst. 4. eiusden distinctionis, & Sylvest. in verb. Confessor 1. §. 9. *Quamvis in fine ea quæ dixerat, inturbare videatur. Adrianus tandem quæst. 4. de confessione id sequitur, licet postea contrariam opinionem probabiliorum, & securiorum videatur asserere.*

At contra viri quoque graves, & nobiles sentiunt. Alexander 4. part. quæst. 77. membro 3. art. 5. Gabr. dist. 17. quæst. 1. & Maior dist. 17. quæst. 4. *Qui etiam Altifioderensem in hanc sententiam referunt, ut omnes circumstantiæ sint explicandæ, quæ etiam in eadem specie moraliter aggravant. Atque hæc opinio suadetur ante omnia ex D. August. lib. de vera, & falsa pœnitentia, cap. 14. & habetur de pœnitentia, dist. 5. cap. Consideret. Qualitatem, inquit, criminis consideret in loco, in tempore, in perseverantia, in varietate persone, & quali tentatione fecerit. Et inferius ait : Omnis ista varietas confitenda est, & desclenda. Et cap. 17. Versum quidem puto, qui dolet de crimine : conversum, qui dolet de omnibus, quam exposuimus, varietate. Et cap. ult. Diligens inquisitor, cognito crimine, varietates eius non dubitat investigare, & locum & tempus, & cetera, qua supra diximus in exponendo eorum qualitates.*

Dein.

## 574 RELECTIO DE POENITENTIA.

Deinde circumstantia, quæ non variat speciem, maiorem malitiam nonnumquam addit, quam quæ variat: ergo si hæc confitenda est, etiam illa. Nam malitiæ quantitas facit ad mores, species facit ad methaphysicam. Methaphysicum itaque commentum videtur esse, compellere poenitentem, ut rerum species differentes sacerdoti manifestet, propter malitiam ad litam; non item cogere ut explicet ei circumstantiam non differentem, cum gravior ex ea iniquitas adungatur.

Præterea, si decem horis, quis odisset proximum, sic tamen, ut in fine cuiusque horæ odium interrumparet, illa peccata essent necessario confitenda: ergo etsi nulla facta est interrupta peccata.

Præterea, qui vult fornicari bis eadem volitione, id explicare tenetur: ergo etiam si quis unico actu velit occidere Petrum & Paulum: ac proinde etsi voluit furari, ducentos aureos.

Præterea, si adderetur species nova, & non malitia mortalis, non teneremur explicare. Tota igitur causa necessaria explanationis non est species differentis, sed adiecta malitia; ergo ubi additur malitia dupla, sive sit eiusdem speciei, sive alterius, oportebit exprimere.

Equidem, in re vehementer ambigua non mihi satisfacere, si solas circumstantias, quæ mutant speciem, explicarem. Nec cuiquam consulere, ut in eum modum confiteretur. Omnes quippe incestus (ut in 2. 2. Caietanus probabiliter astruit) sunt eiusdem speciei; & tamen si quis cum matre coiisset, ne sibi quidem faceret satis, solum exprimendo, se incestum commisisse. Item & peccata contra naturam non videntur specie discriminari, quod Caietanus etiam confirmat. At non satis esset confiteri, effudi semen contra naturam, circumstantias vero illius peccati celare, aut etiam negare. Istæ specierum differentię (mihi credite) ad subtiliores disputationes potius referantur, quam ad Christianas confessiones. Itaque omnes eas & solas circumstantias oportebit exprimere, quæ addunt malitiam mortalem; dum tamen illa nova malitia circumstantiæ notabilis sit, nec intelligatur a Confessore in expressione culpæ principalis.

Et

Et per hoc ad primum argumentum facile responderi potest. Intensio enim actus vel non addit notabilem malitiam, vel fere intelligitur a confessore iuxta delicti quantitatem. Et eodem modo de continuatione respondeo. Nam si continuatio parva fuit, non est opus eam explicare; si vero diu multumque duravit, opus erit. Similiter dicendum est & de interruptionibus. Nam si interruptio facta est per actum contrarium, necesse erit confiteri, quoties eiusmodi culpam renovavit. At si interruptio fuit naturalis, qualis plerumque fit, non oportebit exprimere, sed satis erit in hunc modum confiteri: *Tota die amavi feminam, &c.* sufficiens namque notitia confessori datur & ad medendum, & ad iudicandum.

Sed si maior pars ipsius culpæ iudici celaretur, (quod iuxta contrariam opinionem fieret) tacendo videlicet circumstantias intra eandem speciem aggravantes, primum quidem sententia indicens pœnam esset vehementer absurda, nec esset iuxta nomen, satisfactio: deinde etiamsi pœna non esset satisfactoria, sed medicinalis: maiori tamen morbo eiusdem quoque speciei maior est adhibenda medicina.

Ad confirmationem, quæ Palud. movere potuit, tam facilis responsio est, ut post ea, quæ diximus, non sit opus quicquam superaddere. Nam *D. Thomas* (ut mea fert opinio) sententiam retractasset, si tertiæ parti extremam manum imposuisset. Atque olim iuvenis opiniones sæpe communes sui sæculi seclabatur.

Multa hic de peccatorum circumstantiis ad confessionem pertinentibus Theologi solent adficere, quæ nos silentio volumus præterire, ne iustum atque integrum volumen unius diei disputatione conficiamus. Sed illud tamen paucis admonendum est, circumstantiam loci esse necessario confitendam: Primo, quando quis furatur a loco sacro: Secundo, cum in loco sacro semen effundit, etiam cum uxore propria: Tercio, cum sanguis humanus ibidem etiam funditur: & in genere, quando actus peccati commissus directe adversatur sanctitati loci, id est ei, ad quod locus est sanctificatus, ut ad immunitatem confugientium, & rerum, quæ ibi sunt vel collocatæ, &c. At qui existens in ecclesia vult aut furari, aut seminarè, aut occidere extra ecclesiam, non tenetur explica-

re,

re, se in templo id voluisse. Nec enim talis volitio est sacrilegium; imo nec aspectum, aut etiam sermonem turpem in templo factum exprimere oportet. Tametsi Silvester in verbo confessio 1. §. 10. repugnare videatur.

De circumstantia vero temporis sacri, ut cum quis in die festo fornicatur, non est necesse plebem sollicitari, quoniam huius circumstantiæ malitia non est mortalis. Nec D. August. lib. de vera & falsa pœnitentia, cap. 14. solas necessarias circumstantias docet esse & defendas, & confitendas, ut patet de circumstantia peccati in die ieiunii commissi: & cum de hac quæstione Sylvester in Rosa aurea, quæst. 63. & Caietanus in opusculo vigintiseptem quæstionum, quæst. 10. copiose, doctèque disseuerint, non est nobis animus de ea re in præsentiarum plura verba facere. Nec vero sumus tam aut ineruditi, aut antiquitatis expertes, ut ignoremus, quæ Origenes homil. 18. super Numer. & D. Ambrosius in 13. Luc. cap. & D. Hieronymus in Esai. cap. 56. & 58. & Div. Augustinus epist. 119. ad Ianuarium de observatione Sabbathi, iuxta spiritualem intelligentiam tradidere. Quæ videlicet nostræ huic sententiæ non sunt adversa, si sensum sanctorum, non verba sectemur.

De recidivo etiam minime necessarium est pœnitentes macerare. Nec Div. Thomas (ut quidam illi imponit) somniavit oppositum, sed solum, cum ingratitude recidentis in peccatum specialis culpa est. Nam cum est generalis ingratitude, etiamsi non explicetur, intelligitur a confessore. Quamquam optimum consilium est, recidivum & peccandi consuetudinem explicare sacerdoti, non ob verecundiam solum, cuius fructus id confessione maximus est, verum etiam ob remedium: aliter enim simplici febrî, aliter hæcticæ medemur. An vero teneamur explicare circumstantiam, qua explicata intelligit confessor complicem criminis, paulo post opportunis definiemus.

Cæterum ex definitis secundum illud argumentum satis superque confutatum est, nisi ea parte, qua de partitione confessionis, per casus reservatos ambigitur. In qua scilicet quæstione tot sunt sententiæ, quot capita. Vide Durand. in 4. dist. 17. quæst. 15. & Palud. quæst. 5. & Gabrieli quæst. 1. & Adrian.

Adrian. de Confess. quæst. 4. & Caiet. in sum verbo Confessio, conditione 10. Post quorum tractationem, quoniam adhuc sub iudice lis est, operæ pretium fuerit quædam fundamenta supponere.

Primum, superiores prælatos licite posse aliqua peccata reservare, a se solum absolvenda. Hoc ponit contra Wicleff. Thomas Waldensis in libro de Sacramentis, cap. 149. probatque testimonio Innocentii asserentis, quædam peccata esse, quorum absolutio est Petro reservata. 1. Fund.

Item, 33. quæst. 2. cap. *Latorum*, refertur Ratholdus Argentorat. Ecclesiæ episcopus quendam particidam ad Nicolaum Papam misisse, ut ab illo absolveretur. Nec mihi, quæso, obiicias alia nomina haberi apud Gratianum, quoniam innumera sunt in eo libro menda, nec omnia Gratiani culpa, sed typographorum.

Habet præterea Origenem, hom. 10. super Numer. ubi docet, laicum peccantem indigere quandoque non solum sacerdote, sed & Pontifice.

Cyprianus quoque lib. 3. epist. 16. & 17. tradit non esse lapsos reconciliandos, nisi ab episcopo, præterquam cum mortis periculum urget. Vide etiam Gratianum de pœnitentia, dist. 1. cap. *In actions*, & 26. quæst. 6. per totam, sed maxime cap. ult.

Præterea, Benedictus XI. in *extrav.* cuius initium est: *Inter cunctas*, enumerat quatuor crimina episcopis reservata. Et denique *extrav.* Sixti IV. *Et si Dominici*: ubi excommunicantur, qui absolvent a casibus reservatis Romano Pontifici.

Secundum fundamentum: Non solum censuræ ipse reservantur a superioribus Prælati, sed etiam culpæ, & earum absolutio. Hoc videtur esse contra Durandum, loc. cit. & probatur ex cap. *De Pœnit.* in 6. ubi dicitur, quod si episcopus concesserit subdito, ut sibi possit idoneum eligere Confessorem, electus in casibus, qui eidem episcopo specialiter reservantur, nullam habet penitus potestatem: quod si nullam habet, nec in pœnas, nec in culpas habet. 2. Fund.

Et confirmatur hoc: Quoniam aliquorum criminum absolutio reservatur episcopis, quæ non habent excommunicationem adiunctam, ut homicidium voluntarium, & alia, pro

quibus est imponenda poenitentia publica. Nec valet dicere, homicidium habere irregularitatem annexam: tum quia irregularitas impedit non poenitentiam, sed Ordinis Sacramentum; tum quia episcopus a culpa homicidii voluntarii absolvere potest, irregularitatem tollere non potest. Non ergo reservantur culpæ, propter annexas censuras, sed absolute propter ipsas culpas.

Præterea idem ostenditur in *extrav.* *Inter cunctas*; ubi Benedictus ait, Fratres privilegiatos non debere recipere confessiones criminum, pro quibus solemnis est poenitentia indicenda, quod inconueniens sit, ut a peccato absolvat, qui poenitentiam debitam imponere non potest.

Id postremo manifestatur ex uso ecclesiastico: Nam prælati religiosi reservant sibi aliqua peccata nulli censuræ subiecta, ut votorum transgressionem. Nec usui ratio deest. Nam in omni iudicio, & foro superior potest sibi reservare aliquas causas, præsertim gravissimas, idque Principes in Republica facere solent: ergo & summus Pontifex, cum habeat supremam iurisdictionem, non solum in exteriori foro quantum ad pœnas, verum etiam in interiori quantum ad culpas.

3. Fund. Tertium fundamentum: Non potest quis absolvi a iudice inferiori de crimine reservato sine facultate superioris. Quod si tentet inferior ab eiusmodi absolvere, nihil facit: quia non habet iurisdictionem circa illa peccata excepta a superiore, qui non commisit absolutionem eiusmodi peccatorum.

1. Concl. His iactis fundamentis, sit prima conclusio. *Si iudex superior, & inferior sint presentes, non potest inferior absolvere a non reservatis, nisi prius petatur facultas absolvendi a reservatis.*

Probat, quia integritas confessionis est de iure Divinæ ergo, cum ille poenitens habeat cepiam confessoris, cui potest integre confiteri, non potest inferior dividere absolutio-nem. Antecedens probatur, quia vel superior potest integram absolutionem præstare, cum presto sit, vel inferior, habita facultate superioris. Probat etiam hæc propositio ex usu probatissimo religiosorum, qui nunquam absolvent a non reservatis, nisi prius petita facultate, ut etiam absolvant a reservatis. Et idem est, si Parochus & episcopus sint præsentibus, & cum patet facilis aditus ad superiorem.

Sed



Sed quid, si superiore nolit dare facultatem, sed velit ipse audire confessionem? Respondeo, quod inferior non debet absolvere ab aliquibus peccatis, sed remittere ad superiorem, & pœnitens tenetur id pati: quia quando potest integram confessionem facere confessori idoneo, viola ius Divinum de integritate confessionis, accipiendo absolutionem ab eo, qui dimidiatam absolutionem præbet.

Secunda conclusio. *Si superior audiat confessionem, priusquam inferior, tenetur totam confessionem audire, & non solum peccatorum reservatorum, si velit sacramentalem absolutionem impendere.* Hæc est Adriani & Durandi contra Caietanum: & suadetur, quia integritas confessionis est de iure Divino: ergo episcopus, vel prælatus alius superior illicite dividit confessionem & absolutionem, cum possit facile integritatem servare. Et confirmatur, quia materia Sacramenti est confessio integra: ergo illa dimidiata confessio non est materia Sacramenti, potest enim commode (ut diximus) peccator omnia superiori confiteri.

2. Concl.

Deinde, si Romani Pœnitentarii partiri absolutionem possunt, Parochus, nedum episcopus, etiam posset suos Parochianos ab uno peccato solum absolvere, pro cæteris vero dare facultatem eligendi confessorem; Abbas quippe, vel prior absolvere Monachum ab una culpa reservata, & pro reliquis pœnitentem ad alios confessores mittere, & sic pro suo arbitratu confessionem atque absolutionem tum etiam partiri, cum commodissime fieri integra potest.

Præterea, cum sacerdos ille superior solva vice Dei, & possit omnia solvere; si dimidiatam præstaret veniam, quædam solvendo, alia non solvendo, cum omnia tamen posset, certe significare, Deum etiam, cuius minister est, dimidiatam præstare veniam; & pœnitens quoque ad talem superiorem accedens dimidiam a Deo veniam speraret, quod impium est.

Sed arguit tamen Caietanus ex Romanæ ecclesiæ usu. Nam pœnitentarii summi Pontificis non audiunt, nisi a reservatis, &c. & tamen illa absolutio est sacramentalis: alias eluderentur pœnitentes, nec pœnitentarii tenerentur confessionis servare sigillum. Ad hoc, cum Durando & Adriano nequæ equidem, talem absolutionem esse sacramentalem.

Sed pœnitens accedens ad Romanos confessores, a censuris excommunicationibus absolvitur. Nullum enim crimen est Pontifici summo reservatum, quod non habeat excommunicationem annexam. Vnde ex consequenti fit ei copia, ut inferiori omnia peccata sua fateatur, quo eo ipso reservatio tollitur, & facultas inferiori datur, ut possit ab omnibus absolvere. Quod si pœnitentiarii intendant absolutionem sacramentalem impartiri, errant, inquit Adrianus. Nec is ecclesiæ Romanæ usus erit, sed impietas sacerdotum, qui existimant, quæstum esse pietatem.

Cum vero obiicitur, quod pœnitentes deluderentur, nego id certe, quia iudex superior, cum ab eo casus reservatus petitur, tenetur sigillum confessionis servare: Verbi gratia: Si confessor accedat ad Abbatem, vel Priorem, petiturus facultatem absolvendi, debet servare secretum eodem vinculo, ac si sacramentaliter ipse absolveret.

Et si rursus obiicias, neminem obligari ad aperiendum peccatum suum secretum extra confessionem sacramentalem: ergo male faceret summus Pontifex, si pœnitentes cogeret, ut extra confessionem sacramentalem peccata Romanis pœnitentiariis aperirent: Ad hoc primo responderi potest, ex cap. *Ea noscitur*, de sententia excommunicationis, & cap. *Eos qui*, lib. 6. eodem tit. quod si quis in articulo mortis absolvatur ab excommunicatione summo Pontifici reservata, tenetur, si evadat, sistere se Romano Pontifici, atque consequenter aperire peccatum, pro quo in excommunicationem inciderat. Et tamen certum est, iam esse ab illo peccato absolutum.

Secundo etiam respondetur, illam confessionem quodammodo esse sacramentalem: quemadmodum cum peto facultatem a superiore, ut absolvi possim a culpis reservatis, censetur esse confessio sacramentalis, quoniam id totum ordinatur ad sacramentalem absolutionem. Ideoque tenetur superior servare sigillum.

3. Concl. Tertia conclusio contra Durandum, & Adrianum. *Si non pateat aditus ad superiorem, videlicet quia episcopus est absens, & insit necessitas celebrandi, vel si quis religiosus iter agat sine facultate recipiendi absolutionem a casibus reservatis, tunc inferior potest absolvere a non reservatis, & pro*

*reliquis peccator expectare absolutionem superioris.* In quo eventu D. Thomas loquitur in 4. dist. 17. quæst. 3. art. 4. quæst. 2. ad 4. Hæc conclusio probatur, quia & confessio integra est, & absolutio, cum ille sacerdos absolvat ab omnibus, a quibus potest, & quantum ad reservata, pœnitens non habeat copiam confessoris. Quemadmodum si pœnitens tacet aliquod peccatum ex causa rationabili tacendum, quamvis sacerdos id cognoscat, debet absolvere, & est tum confessio, tum absolutio integra, hoc est, de omnibus, quæ ad illud iudicium spectabant.

Hanc propositionem intelligo, nisi excommunicatio peccato sit adiuncta, ut sunt omnia, quæ reservantur summo Pontifici in Bulla Cœnæ Domini. Tunc enim male faceret inferior absolvendo a non reservatis, cum pœnitens sit excommunicatus, & prius habeat tolli vinculum excommunicationis, quam absolutio sacramentalis impendi.

At vero circa hanc tertiam conclusionem grave dubium exoritur: *An pœnitens teneatur omnia peccata, etiam reservata, inferiori iudici confiteri, quando non adest facilis adiutus vel superiorum.* Et suadetur pars negativa: Quia in tali eventu non requiritur unitas absolutionis, cum inferior a non reservatis, superior postea a reservatis absolvat: ergo nec requiritur unitas confessionis. Ideo enim confessio debet esse integra, ut absolutio sit integra. Quocirca si divisionem Sacramenti forma recipit, materiam quoque recipere necesse est.

Deinde si sacerdos nullam haberet potestatem absolvendi, nulla etiam culpam tenerentur pœnitens confiteri: ergo quando non potest inferior iudex, sive sacerdos a reservatis absolvere, ea pœnitens eiusmodi inferiori iudici confiteri non debet. Confirmat autem hoc vel maxime, quod superius ostendebamus necessitatem confessionis: quia necessarium erat, peccata a sacerdote remitti: ergo si peccatum aliquod sacerdos nullo modo remittere potest, non tenetur pœnitens illud sacerdoti confiteri. Ostensum est autem, iudicem inferiorem reservatam culpam remittere non posse. Itaque non tenemur culpam eiusmodi illis sacerdoti confiteri; nisi (quod absurdum est) ecclesia cogat, ut idem peccatum bis confiteamur, *semel*  
in

## 582. RELECTIO DE POENITENTIA.

inferiori, a quo non absolvimur, iterum superiori, ut ab illo absolvamur.

Pro parte vero affirmativa primum est Innocentius in cap. *Omnis utriusque sexus de poenitentis*, inquit: *Omnis sua peccata semel in anno sacerdoti suo confiteatur; non dixit, Sacerdotibus.*

Deinde, Divinum præceptum est, ut homo omnia peccata suo sacerdoti confiteatur, ut d. in ceptis ostendimus; ergo prælati, reservando culpas, hanc obligationem tollere non queunt.

In hac quæstione Divus Thomas loco citato asserit, omnia peccata esse inferiori reservanda. Quem sequuntur fere Doctores Theologi. Imo Durandus ait, assertionem oppositam, quippe quæ contra communem doctrinam, sit periculosam esse, quoniam iuxta eam dividitur licite tam confessio, quam absolutio. Quod videtur erroneum, inquit.

At Gersoni non videtur erroneum: nam (ut proxime nobis confirmandum est) nihil vetat ex causa rationabili confessionem parti, id est, quædam parte tacere, alteri confitenda, quæ est divisio confessionis mathematica, cum poenitens integrum moraliter facit, explicans omnia, quæ videlicet explicare tenetur. Nondum autem ostendit Durandus, obligari peccatorem ad ea peccata confitendum, quæ sacerdos remittere non potest. Et sic prælati reservando culpas licite faciunt, ut quandoque absolutio dividatur: ita non est penitus absurdum, si proinde fiat, ut poenitentes dividant confessionem, cuius & necessitas, & integritas ex absoluteione, tanquam ex fine, sumitur.

Nec mihi facit satis, quod nonnulli asseverant, confessionem integram esse iniunctam peccatoribus, absoluteionem integram sacerdotibus non item. Nam (ut sæpe resumpsimus) confessio integra materia sacramentalis est, quoniam confessio mutila cum forma sacramentali pugnat. Non igitur minus iniuncta est absoluteionis integritas sacerdotibus, quam confessionis integritas poenitentibus. Alioqui liceret sine sacrilegio confessori a quibusdam poenitentem absolvere, & quorundam peccatorum absoluteionem in alium diem reservare.

Sed

Sed quoniam Theologis non licet sine gravi causa nova placita cudere, communem sententiam nos sequamur, ea potissimum ratione, quod lex non in id spectat, quod raro paucis evenire potest, sed quod plerumque hominibus usuvenit. Est autem necessarium fere populo, ut omnia crimina sacerdoti proprio confiteatur, vel reservata: Tum quia fere populus ignorat, quæ peccata sint reservata, quæ contra non sint: qua de re a sacerdote proprio instituat oportet: Tum etiam quia medicus ad eos morbos curandos, quorum ad se pertinet medicatio, ut plurimum necesse est, reliquos graves morbos intelligat, ut & consilium aptum, & remedium opportunum impendat ægroto. Quod si quis obiiciat, posse doctum esse peccatorem, atque instructum, peccataque usque adeo seiuncta, atque diversa, ut vel consilium, vel medicina una applicata, alteri nec obsint, nec prosint: iam nos huic obiectioni respondimus, eiusmodi privatos eventus legibus non obsistere quominus in universum obligent, quæ videlicet id considerant, quod maiori ex parte populo necessarium est.

Verum adhuc Adrianus instat adversus hanc tertiam conclusionem: Quia forma sacramentalis, cum ex vi Sacramenti conferat gratiam, vel nulla mortalia, vel omnia peccata remittit, &c.

Et confirmat hoc: Quia sicut sacramenta, quæ pluribus formis conficiuntur, unica forma confici nequeunt; ita Sacramentum, quod una forma conficitur, pluribus confici non valet.

Confirmat deinde: Quia absolutio iure Divino debet esse integra. Superiores ergo prælati etiam partiri non possunt, ut videlicet inferiores absolvant a non reservatis, superiores a reservatis.

Ad primum: Idem argumentum fieret, cum ex causa rationabili tacetur aliquod peccatum; idem etiam de peccatis oblati, cui tamen nos e vestigio respondebimus.

Ad secundum: Nos minime asserimus, unicum esse Sacramentum, si quis absolutus a non reservatis, postea confiteatur superiori reservata. Quemadmodum si peccata oblati memorie occurrant post priorem absolutionem, memoriam confessio, & absolutio est verissimum Sacramentum, habet  
que

Resol.  
Quæstio.

que integram materiam, & formam, ac illud prius, in quo homo confessus est omnia peccata, quorum recordabatur. Atque idem omnino sentio, si quis ex iuxta causa peccatum aliquod in priori confessione celaverit, reciperet quidem verum Sacramentum, & gratiam: cunque rursus illud, quod tacuit, alteri postmodum confitetur, verum quoque Sacramentum suscipere, novumque proinde & gratiæ, & virtutis augmentum. Quod si unum esset idemque Sacramentum, & collatio gratiæ ad posteriorem reservaretur absolutionem, (quod nonnulli perpetram imaginantur) tunc certe si pœnitens esset attritus, per primam absolutionem non iustificaretur: nec illud signum exterius adhibitum esset sanctificativum, quandoquidem non ponenti obicem gratiam minime largiretur.

Ad tertium: Nihil vetat, ut absolutio, quæ iure Divino per se quidem integra esse debet, per accidens tamen mutiletur, ut propter oblivionem alicuius peccati, vel propter periculum quod urget, si exprimatur. Quare si ex reservatione quorundam peccatorum, quæ legitime in ecclesia fit, & simul ex absentia prælati superioris per accidens eveniat, ut confessor præsens solvere omnia nequeat, non exinde integritas absolutionis tollitur, iure Divino instituta. Quæ tunc scilicet tolleretur, cum confessor habens auctoritatem absolvendi ab omnibus, partim remitteret, partim retineret.

Id vero (quod sæpe in huius argumenti explicationem diximus) inferiorem a reservatis absolvere non posse, intellectum cupimus, donec superior ab eis non absolverit. Quod si iam solvit, ratio reservationis cessavit. Quæ cum quodammodo pœnalis sit, & odiosa restringi non debet, sed ampliari. Imo asserit Adrianus, & bene, quod si præmissa sufficienti discussione, confessus est quis habenti facultatem absolvendi a culpis reservatis, & oblitus est forte unam ex illis, asserit (inquam) quod non tenetur adire superiorem. Cum autem memoriæ occurrerit, poterit confiteri cuicumque, qui semel habuit facultatem. Adrianus dicit, cuicumque simplici sacerdoti: quod equidem nulla ratione probarim, quoniam (ut supponimus) absolutio requirit iurisdictionem in absolvendo. Simplex autem sacerdos iurisdictionem nunquam habuit, &c. Quemadmodum, si ego oblitus sum confiteri aliquod peccatum

tum mortale proprio meo sacerdoti, non possum deinde, cum in mentem venerit, confiteri cuilibet sacerdoti, sed solum habenti facultatem ac iurisdictionem.

In tertio principali argumento, inter Doctores Scholasticos magna dissensio est, an, cum iactura sequitur vel propria, vel aliena, a præcepto confessionis, & ipsius integritate liberemur. Et ne in opinionibus aut recensendis, aut confutandis longa texatur oratio, sit prima propositio.

*Si ex confessione alicuius peccati sequitur scandalum, vel meum vel Confessoris, ego possum tacere tale peccatum, reliqua confitendo.* Et ratio est, quia quantum ad illud non habeo copiam Confessoris, cui videlicet recte atque honeste confiteri possum eiusmodi peccatum. 1. Prop.

Item (iuxta Divum Bernardum, lib. de præcepto, & præcepti dispensatione) quod pro charitate institutum est, contra charitatem non debet militare. Confessio autem instituta est in remedium penitentis. Quocirca, si scandalum ipsi ex confessione alicuius peccati accedit, poterit idem licite reticere. De vitando autem scandalo confessoris iuris naturalis præceptum est. Præceptum ergo divinæ legis positivum illius obligationem non abolet: Lex enim gratiæ legem naturæ non destruxit, sed perfecit. Loquimur autem de scandalo confessoris infirmi: nam si ex malitia paratus sit ad ruinam, utilius scandalum nasci permittitur, quam Dei præcepta relinquere. Exempla vero huius conclusionis non adhibemus, quoniam cuique erunt in præcepto.

Secunda propositio, quæ communis etiam Theologorum est. *Si ex confessione mea sequatur aut mors, aut infamia vel mea, vel aliena, excusor ab obligatione confitendi tale peccatum.* Et ratio est, quia divina præcepta positiva non obligant cum iactura vitæ, aut publicæ famæ, verbi gratia, si confessor crederetur revelaturus confessionem, &c. 2. Prop.

Item, præceptum de vitanda morte, vel infamia proximi est naturale: ergo per præceptum positivum adveniens de confessionis integritate non abrogatur. Quod si excusor a confessione peccati, ex qua sequitur mors, vel infamia publica proximi, excusabor etiam, si inde sequatur sive mors, seu infamia mea publica.

## 586 RELECTIO DE POENITENTIA.

Sed obiicies tamen, quia illa argumenta probant quidem esse cessandum a confessione, non autem confessionem esse dividendam. Nam dividere confessionem sacrilegium est: Tum quia impium fuerit, a Deo dimidiam expectare veniam: tum quia tali divisa confessio formæ sacramentali repugnat.

Et augetur difficultas, si capiamus pœnitentem attritum, qui habeat duo peccata mortalia, quorum alterum nos asserimus posse reticere ex causa probabili: nunc confessor absolvit ab uno peccato, ab altero non absolvit: ergo & Deus absolutionem ipsam partitur: quod absurdum est.

Pro quorum argumentorum solutione commemorandum est, confessionis integritatem non oporteret mathematicam esse, sed moralem: unde non necesse est omnia peccata contineat, sed quæ in memoria sint, adhibita humana diligentia. Inde etiam fit, ut si pœnitens cœperit peccata dicere, & ex morbo, vel alia causa linguæ usum amiserit, confessionem quidem faciat integram, non omnium absolute peccatorum, sed eorum tamen, quæ & debet, & potest confiteri. Ex qua etiam radice illud colligimus, non esse necessarium, hominem confiteri omnia peccata, quæ memoria tenet, sed illa quæ confessori rationabiliter exprimentur. Lex enim Christi de moribus ad moralem integritatem obligat, id est, rationi consentaneam. Nam quod a ratione dissonat, non præcipit. Peccatum itaque, quod rationabiliter tacetur, irrationabiliter explicatur, non est materia confessionis a Christo institutæ. Dimidiare igitur confessionem a Christo Domino præceptam, hoc est aliquid mortale peccatum tacere, quod Christus instituit esse in illa confessione aperiendum, id sacrilegium est, &c. Nec sacerdos dimidiatam absolutionem prebet: nam absolutio limitatur etiam ad confessionem institutam a Christo, sicut forma per materiam limitatur. Ab omnibus ergo absolvit sacerdos, quæ ad suum iudicium spectant ex Christi institutione. Illud vero peccatum, quod causa urgente tacetur, non pertinet tunc ad illius sacerdotis iurisdictionem, reliqua vero pertinent: unde pœnitens alia confiteri tenetur: sicut qui non potest ieiunare uno die Quadragesimæ, a reliquorum ieiunio non absolvitur.

Ad id vero, quod tandem obiiciebatur, respondeo, sa-



cerdotem quidem immediate & directe remittere, quæ audit in confessione peccata, sed ex consequenti, & indirecte remittere omnia etiam, quæ non audit. Quia enim effectus sacramentorum gratia est, quæ omnia peccata tollit, inde fit, ut omnia sacramenta suos effectus immediatos producendo, consequenter omnes mortales culpas remittant. At per hunc modum peccata oblita per absolutionem remittuntur, non directe, ex vique absolutionis, sed secundo & consequenter.

Sed enim, quoniam leve detrimentum esse videtur, quod Confessor sciat peccatum proximi mei, hinc gravis auctorum concertatio est: *An teneamur explicare circumstantiam, qua explicata confessor intelligit complicem criminis, ut exempli causa, si confiteor me commississe incestum cum sorore, nec habeo plures, &c.* Quo quidem loco nec est quæstio, cum ego habeo copiam confessoris, cui possum confiteri sine revelatione alieni peccati: tunc enim iniquum erit illi confiteri, qui ex mea confessione crimen alienum intelligit. Sed est quæstio, cum confessor non adest, nisi parochus, qui & me & sororem cognoscit, ut in pagis & oppidulis frequenter solet accidere. Igitur communis sententia tenet, non esse desistendum ab illius peccati confessione propter parum illud proximi nocumentum. Quemadmodum ex parva iactura famæ meæ, quam facio ex eo, quod confessor meum peccatum intelligit, confitendi obligatio non cessat. Hanc sententiam D. Thomas amplectitur 4. distinct. 16. quæst. 3. art. 2. quæst. 5. ad quintum, Durand. eadem dist. quæst. 4. Div. Bonavent. distinct. 21. in 2 part. distinct. art. 1. Petr. Palud. dist. 17. quæst. 2. art. 1. & Gabr. quæst. 1. conclusionem 5. Et Adrian. quæst. 1. de confess. ad quartum argumentum, Sylvest. verb. Confessor, 1. §. 24. Causa vero horum est, quod potius debet pœnitens providere conscientiæ suæ, quam alienæ famæ. Item, quod præceptum de integritate confessionis divinum est, nec debet omitti, ut bona opinio alterius apud confessorem servetur.

At Caietanus in summa, in verbo *Confessio*, conditione 3. ubi multa adhibuit remedia, quibus peccatum alienum in confessionem celaretur, tandem subiicit: *Quod si nullum re-*

*medium est, & differri non potest confessio, quia oportet aut celebrare, aut eucharistiam sumere, debet illam circumstantiam tacere pœnitens, quia confessio non debet esse cum aliena iactura. Damnum siquidem propria fama confessionis & absolutionis utilitate pensatur. Damnum vero fama aliena non pensatur aliqua incommoditate ipsius, qui patitur incommodum; & ideo non videntur nostra commoda proximorum nostrorum incommodis comparanda.*

Præterea, si ego non possum confiteri, nisi per interpretem quendam, confiteri non teneor: ergo si cum iactura aliqua famæ proceptum confessionis non obligat, nec cum iactura quidem alienæ famæ obligabit.

Præterea, si ego cognoscerem, confessorem revelatum esse socium criminis cuiquam alteri, non deberem explicare: ergo nec ipsi debeo socii crimen aperire. Quia etiam apud ipsum confessorem bona opinio proximi mei vel infirmatur, vel prorsus interit, eo vel maxime, quod illius pœnitentiam non videt, meam videt. Nec naturæ lex solum obligat, ne grave damnum proximo demus, verum etiam ne mediocre demus.

3. Prop. Vt igitur hoc dissidium componamus, sit tertia propositio, *Si habita ratione confessoris & complicitis, vir prudens iudicaverit esse iacturam, licet non gravem, mediocrem tamen. tunc eiusmodi peccatum, aut circumstantia taceri potest. Atque hanc mihi videntur probare argumenta, quæ fecimus pro Caietano.*

4. Prop. Quarta propositio, *Si habita ratione utriusque & confessoris & complicitis, vel nulla iactura sit, vel minima, ex eo quod sacerdos intelligat socium criminis, videtur esse necessarium, circumstantiam explicare.*

5. Prop. Ultima propositio, *In articulo mortis, non obstante illa fama iactura, qua plerumque apud confessorem fit, tenetur pœnitens circumstantiam explicare, quia & ipse socius criminis debet sub re tale dispendium pro salute pœnitentis. Secus ubi iactura esset gravis & magna, ut si mors, vel infamia publica sequeretur.*

In quarto argumento principali multa variæ a doctorebus scholasticis disseruntur, in 4. dist. 18. Sed ego, quanta maxima brevitate potero, ea in hac disputatione tractabo,

quæ

quæ & necessaria sunt, & digna quæ a nobis magnopere animadvertantur.

Dupliciter itaque confessio informis est: aut ex parte confitentis, aut ex parte absolventis. Ex parte quidem pœnitentis, quia non erat in gratia, quando eam fecit, sive quia carebat contritione, sive quia eius confessio non erat integra, vel ex verecundia, vel ex negligentia, &c. Ex parte vero absolventis, quia vel non impendit absolutionem, quæ est forma huius Sacramenti, vel si impendit, non erat Sacerdos habens iurisdictionem ad absolvendum; ergo si confessioni deest charitas, quæ est forma virtutum, vel absolutio vera, quæ est forma sacramentalis confessionis, talis confessio appellatur informis.

Et (ut certa ab incertis separemus) primum, in quo conveniunt viri docti, est, confessionem informem ex defectu absolutionis esse a pœnitente repetendam. Nam (ut retro docuimus ex Ioannis testimonio) necesse est, ut peccata a sacerdotibus remittantur. Igitur qui non percepit absolutionem a peccatis, quamlibet millies ea fuerit confessus, eo usque tenetur peccata fateri, quousque veram absolutionem accipiat.

Aliud quoque in hac materia certum est, aliquam confessionem ex parte pœnitentis esse repetendam. Nam qui debita opera non faciunt integram confessionem mortaliū, sed ex verecundia unum aliquod mortale tacent, ii sine dubio, iuxta omnium doctorum communem sententiam, tenentur iterum confiteri, quia confessio non integra Sacramenti pœnitentiæ materia non est, cum ex propria ratione formæ Sacramenti repugnet. Vnde in concilio Florentino definitur, ad confessionem, quæ est huius Sacramenti materia, pertinere, ut omnia peccata mortalia, quorum homo memoriam habet, suo sacerdoti integre confiteatur.

Tertium, me quidem iudice, certum est, non omnes confessiones informes esse resumendas. Nam (ut D. Thomas argumentatur, distinct. 17. art. 4. quæst. 1.) si opus esset omnem talem confessionem repetere, nullus tranquillitatis locus relinqueretur. Cum enim viri pii de propitiato peccato non debeant esse sine metu, Eccli. 5. omnis confessio,  
de

de qua verentur, an fuerit informis, an legitima, esset illis identidem repetenda. Quod omnino alienum est a prudentissimorum hominum consuetudine.

Præterea, cum Sacramentum extremæ unctiois, atque matrimonii, & item in univrsam reliqua ex informitate non sic invalidentur, ut iterum sumenda sint, cur unum hoc ex sola informitate quassabitur? eo vel maxime, quod etiam sine contritione necessariam & materiam & formam huius sacramenti constare posse, certis argumentis astruximus. Non igitur ex informitate, sed aliunde sumendum est, quando sit confessio repetenda.

Illud denique compertum, & exploratum est, confessionem Sacramentalem, hoc est, ex qua cum absolutione verum poenitentiae Sacramentum consistit, eam non esse rursus faciendam. Sed si sit aliqua confessio, ex qua non est constitutum verum poenitentiae Sacramentum, ea videlicet resumenda est.

Prior huius fundamenti pars vel ex eo constat, quod si semel accepimus veram aliquarum culparum absolutionem, veram (inquam) & validam, non oporteret peccata, a quibus sumus vere absoluti, iterum confiteri. Quippe (ut Benedictus XI. in *extravag. Inter cunctas*, eleganter docet) absurdum est, ut liberatus debitor adhuc ad solvendum maneat obligatus.

Atque inde posterior pars eiusdem fundamenti constabatur. Si enim mea confessio fuit talis, ut ex ea cum absolutione Sacramentum poenitentiae non sit confectum, illa nimirum peccata, quæ confessus sum, non sunt per sacerdotem remissa. Quapropter debeo iterum confiteri, ut clavium auctoritate solvantur.

Ex quo quidem quarto fundamento manifeste colligitur, confessionem, quæ sine culpa poenitentis non est integra, iterum facere non oportere, ut si propter scandalum, aut proprium, aut ipsius confessoris evitandum aliquod peccatum tacerem, vel si diligentiam adhibui sufficientem, & tamen adhuc alicuius peccati sum oblitus. Nam in moralibus ex fine voluntario res denominatur. Qui igitur voluit omnia sua peccata confiteri, & idoneam adhibere diligentiam, eius confessio, si moraliter

loquamur, est integra. Quod & ex concilio Florentino, & ex aliis multis capitibus, & causis ante nos liquido probavimus.

Colligitur deinde, quod si peccator negligentiam affectatam, aut omnino crassam in facienda integra confessione habuit, ita ut ex eiusmodi negligentia peccatum aliquod mortale prætermiserit, talis debet confessionem repetere, ac si data opera mutilaretur: verbi gratia, qui sine aliquo examine conscientiaæ suæ post transactum annum accedit ad confessionem: semper enim in peccatorum oblivione necesse est incidere. Quare non aliter vult confessionem mutilare, atque qui venenum homini porrigit, vult occidere, & qui ignem subiicit, vult comburere. Qui igitur ad eum modum imparatus accedit, re vera vult confessionem mutilam facere, quia volens, prudensque ita se gerit, ac si facere ex processu mutilam velit.

Colligitur tertio, quod si peccator nullum dolorem habeat, nec contritionem, nec attritionem, talis confessio est repetenda. Non enim est confessio, quæ sit materia Sacramenti penitentiaæ, cum a nulla penitentia proficiatur. Imo vero, cum nec confessio quidem sit, sed pura confessionis simulatio, ut Capreolus, distinct. 17. quæst. 2. & Durandus eadem distinct. quæst. 13. & Caietanus, quæst. 5. additionum, & in summa sua, & fere auctores scholastici tradiderunt.

Colligitur postremo (id quod etiam paulo ante insinuavimus) quod si quis habet attritionem, ex qua virtute Sacramenti attritus fiat contritus, gratiam scilicet consequendo, eius confessio non est resumenda: suscipit enim veram penitentiaæ Sacramentum, gratiamque ac remissionem peccatorum per absolutionem sacramentalem. Hæc omnia (nisi ego erravi) in controversia non debemus.

Sed illud primò in hac materia, tanquam incertum, in dubium vocari merito potest: *an confessio ex negligentia mutila, & manca, non quidem penitus crassa & supina, sed culpabiliter sumpta, sit in penitentia querens satisfactio, & si quis peccata præterita querat, & diligentiam nonnullam adhibeat, quare esse idoneam arbitratur, cum tamen non sit.*

Huic vero questionii respondetur ex sententia Caietani,

talem confessionem non esse repetendam, sed si postea in memoriam peccatum illud negligenter omissum venerit, sat erit illud confiteri, & negligentia in conscientia examinanda, ac proinde sacrilegium illud, quod in suscipiendo poenitentiae Sacramento commissum est.

Hæc vero sententia non potest (fateor) perspicue, ac dilucide demonstrari. Sed in rebus, quæ ad mores pertinent, non sunt (mihi credite) scientiæ moralis dogmata ad viyum rescanda. Suadetur itaque primum, quia moraliter loquendo talis confessio est integra, cum intendat poenitens omnia confiteri, quorum memoriam habet.

Item, quia alias nimium anxios redderemus scrupulosos; imo piorum etiam animos turbaremus perpetua iterandæ confessionis sollicitudine. Verentur enim plurimum non scrupulosi modo, verum etiam mediocriter liberi, atque cordati, sese in examine conscientiæ negligentes extitisse.

Sed obiiciet fortasse quisquam, quod talis confessio ex parte poenitentis non est integra: peccat enim non adhibendo diligentiam debitam, atque ex consequenti poenitens confessionem volens mutilam facit.

Ad hoc primum dico, omissionem illam diligentiae debitæ aliquando esse solum venialem, scilicet ex inconsideratione culpabili quidem proficiscentem, sed non mortali tamen. Quoniam poenitens is iste, qui alias diligentiam debitam adhibere solet. Atque in hoc eventu non Sacramentum modo, sed etiam fructus Sacramenti recipitur. Nec hoc loco (ut reor ipse) Theologus quisquam nobis erit adversus, nisi plane velit & confessionis iugum importabile facere, & sine idonea ratione mortalis culpæ reatum inducere, nisi confessio venialiter tantum culpabilis resumatur.

Dico secundo, quod etiamsi negligentia mortalis sit (non sit modo adeo supina & crassa, ut perinde habeatur, atque ex industria res fieret) quia confessio tamen ex intentione formali poenitentis est integra, non est cogendus eiusmodi confessionem iterare. Nam quando salva pietate id facere possumus, confessionis iugum molle faciendum, sicut ab omnibus laqueis liberemur.

Ac forsitan, qui in concertatione scholastica nobis con-

nantur obsistere , si ad rem ipsam conferantur , non aliter facient , quam nos in præsentia consulimus : verbi causa , si quis ex ignorantia vincibili existimet , periculum pro conservanda vita hominis esse licitum , unde non confitetur illud peccatum , quia non patat se peccasse . Item , si quis mercator aliquem contractum licere credebat , vel muliercula aliquam superstitionem censebat esse religionem ex culpabili quidam ignorantia ; non arbitror equidem tam criticos ac severos iudices esse futuros , ut omnes horum anteaçtas confessiones iubeant iterari . Intrepide igitur cum Caietano tenere possumus , eiusmodi confessiones repeti non debere .

Alterum quoque verti in quæstionem potest , *An , cum quis attritionem habuit tam imperfectam , ut virtute Sacramenti non fiat ex attrito contritus , quin potius sacrilegus sit in eo , quod irreverenter suscipit penitentia Sacramentum , an huius (inquam) confessio sit iteranda .* Et quidem D. Thomas loco ante citato manifeste docet , quod sicut fictus sine debita dispositione & dolore potest verum Sacramentum baptismi suscipere : ita etiam & confessionem sacramentalem facere , ac veram absolutionem percipere .

∴ Contrariam sententiam tenet Maior , dist. 14. quæst. 9. & Adrianus , quæst. 4. de confessione ad 3. argum. & dubio 5. corum , quæ de confessione proponit .

Est autem primum argumentum contra Div. Thomam , quod si esset verum Sacramentum , peccator ille fictus esset vere a sacerdote absolutus . Consequens est falsum : ergo & antecedens . Maior probatur , quia si quis verum Sacramentum baptismi , vel confirmationis accepit , vere manet baptizatus , & confirmatus . Consequentis vero falsitas ostenditur , quia tunc vere etiam esset absolutus a Deo : quia quæcunque solvunt sacerdotes in terra , solvuntur in cælo ; & tamen non est ille absolutus in cælo , cum maneat eisdem peccatis obligatus , & novam insuper addiderit , sacrilegii culpam .

Et confirmatur : quia illi non sunt a Deo remissa peccata ; ergo non est absolutus a sacerdote . Patet consequentia ex illo : quorum remiseritis peccata , remittuntur eis , &c .

Confirmatur deinde : Quia Sacramenta gratiæ Sacramen-

## 594 RELECTIO DE POENITENTIA.

ta veritatis sunt, non sunt falsitatis: forma autem illa, qua confessor utitur, cum fictum absolvit, falsa est, scilicet: *Ego te absolvo a peccatis tuis*. Nec valet dicere, formæ sensum esse: *Ego te absolvo, quantum in me est*: quia licet ex parte sua confessor vere conetur absolvere; non tamen ideo vere absolvit, cum poenitens impedimentum obiiciat absolutioni. Quamlibet enim quis ianuam nitatur aperire, non tamen vere aperit, si qui intus est, obicem ponat.

Præterea, vel ille, qui non contritus confitetur, & accipit absolutionem, habet aliquam displicentiam de peccato, vel nullam: si nullam; ergo non est vera confessio, sed simulata enunciatio peccati: si habet aliquam, illa erit attritio. Quare adveniente absolutione, confertur gratia, iuxta D. Thomam, qui tenet Sacramentum poenitentiae attrito conferre gratiam, sicut & Sacramentum baptismi.

Præterea, vel ille talis cognoscit se habere dolorem sufficientem, vel credit potius ex ignorantia, se satis dolere, cum tamen non doleat satis. Si primum, est illi absolutio deneganda, si illam fictionem confitetur: si vero non confitetur, confessio de composito non est integra, ac proinde irrita est, ac nullius prorsus momenti censenda. Si secundum, iam virtute Sacramenti conferetur gratia, cum ille non ponat obstaculum.

Hæc tamen argumenta movere non debent, ut D. Thomæ sententiam relinquamus, quæ multo quidem probabilior est. Primum, quoniam nullus certo cognoscit, se sufficientem dolorem habere, cum confitetur. Quocirca semper oporteret homines esse sollicitos de eadem confessione iterum, atque iterum repetenda: probabiliter enim timemus, nostras confessiones non fuisse formatas.

Præterea (ut etiam paulo ante argumentabamur) cætera Sacramenta recipiuntur a fictis: ergo & hoc Sacramentum a ficto recipi potest. Negabis forte consequentiam, quia contritio est, pars huius Sacramenti (ut in concilio Florentino definitur) non est autem pars aliorum. Atque hæc est causa, cur alia Sacramenta non contritis etiam conferuntur; hoc vero Sacramentum non nisi a contrito recipitur. Contra, quia contritio non est pars essentialis huius Sacramenti, sed inte-

gra-



gralis. Non autem quælibet integralis pars ad esse totius necessaria est, ut patet de satisfactione, sine qua verum Sacramentum consistit. Deinde quia licet contritio esset prima huius Sacramenti pars, non est tamen ordo necessarius, ut oporteat esse priorem confessione. Nam si post confessionem hominis attritio iam completam sequatur contritio tempore, quo quis absolvitur, sine dubio suscipitur verum Sacramentum; & tamen confessio tota fuit informis. Rursum etiam nos ante constituimus, attritionem esse idoneam huius Sacramenti materiam. Quod si non esset, nec claves ecclesiæ culpam remitterent, nec pœnitentiæ Sacramentum gratiam conferret. Denique si dolor interior assignatur pars Sacramenti; ideo est, ut confessio vocalis ad iudicium sacerdotale necessaria, sit confessio, & non simulatio, aut figura confessionis: sed sola attritio satis est, ut homo vere confiteatur, & accuset se coram sacerdote, quemadmodum D. Thomas ad 3. argum. illius articuli docet: ergo, &c. Non enim huiusmodi appellamus fictam fictione contraria Sacramento, sed fictione contraria effectui Sacramenti: adhibet quippe materiam necessariam Sacramento, dispositionem vero necessariam effectui sacramenti non adhibet.

Quod si ita est, ut certe videtur esse, confessionem informem esse veram materiam sacramentalis absolutionis, impertinens fuerit per illam dari gratiam, vel non dari ponenti obicem. Nam si extrema unctio veram materiam, & formem habet, verumque ministrum, si suscipiens impedimentum oppouit effectui Sacramenti, non inde Sacramentum irritum est. Idem in matrimonio videre licet, atque in reliquis Sacramentis.

Et cum in superiori dubitatione docuerimus, confessionem ex culpabili negligentia mutilam, si tamen formaliter & ex intentione fuisset integra; non esse repetendam, tenere compellimur, fuisse verum Sacramentum, quamvis a ficto susciperetur sine præsentis fructu Sacramenti.

Ad primum argumentum, concedo pœnitentem illum esse vera sacramentali absolutione absolutum: & cum obiicitur, illum fore absolutum a Deo, concedo item. Sed cum rursus instatur, illum manere iisdem peccatis obligatum,

distinguo. Nam ex parte sacerdotis, & Dei absolventis absolutus quidem manet, sed ex parte poenitentis poenitentis obstaculum, absolutio sacerdotis presentem non habet effectum. Quemadmodum qui in peccato mortali suscepit baptismum, vere baptizatus est a ministro, sed baptismi non recepit effectum propter obicem, quem opposuit.

Et per hoc ad priorem confirmationem respondetur, quod remissio peccatorum dupliciter intelligitur: altera, quæ habet annexam iustificationem, atque effectum remissionis peccatorum; & sic qui peccata remittit, semper gratiam confert, per quam remissio peccatorum efficitur. Altera peccatorum remissio iudicialis est, qua nihil aliud continetur, quam sententia, cuius virtute quis solvitur a peccatis in tali iudicio peccatorum remissivo. In quem sensum sacerdos non semper peccata remittit.

Ad posteriorem confirmationem respondetur, quod idem argumentum fieri posset de sacramento baptismi, cum recipitur a ficto. Nam verbum baptizo in forma baptismi, non solum ablutionem corporis, sed ablutionem quoque mentis significat. Sacerdos ergo non abluit interius sacrilegum, qui ficto baptizatur: nihilominus verum Sacramentum baptismi confert, quia veram materiam, veramque formam subministrat, ex quibus, nisi ponatur obex, ablutio interior consequatur. Idem iam confirmatione videre est. Qui enim in peccato mortali confirmatur, cordis firmitatem, quæ significatur in forma, non recipit, &c. Sic ergo sacerdos absolvens fictum, verum absolutionis Sacramentum impendit, & quantum in se est, veram formam apponit, cuius effectus tunc quidem impeditur per indispositionem recipientis. Nec sensus formæ sacramentalis est: *Ego te absolvo*, id est, *do absolutionem, qua nunc effectum suum habeat remissionis peccatorum*; sed sensus est: *Ego iudiciali absolutionem impendo, qua vi sua potens sit te absolvere, si tu velis fructum eius obtinere*: Quemadmodum si absolutionis sententiam proferret iudex, qua liberaberis a carcere, in quo postea tu voluntate tua manere vis, etsi ego extrinsecus clave ianuarum seram aperirem, & tu volens intus obicem opponeres, ego vere innuam aperui.

Ad secundum principale respondetur, illum, de quo lo-

qui-

quimur in conclusione, displicentiam aliquam habere de peccatis, hoc est, attritionem. At non quælibet attritio est sufficiens, ut accedens ad Sacramentum pœnitentiæ gratiam consequatur. Potest enim dolor esse tam imperfectus, qui satis sit ad confessionem faciendam; non item, ut ex vi illius dispositionis homo etiam per Sacramentum iustificetur. Nam primo, cum quis habet attritionem conditionatam, id est, quæ oritur ex velleitate, qua homo vellet placere Deo, & ipsi reconciliari, tunc non fit ex attrito contritus Sacramento suscepto: recipit tamen verum Sacramentum; si tristatur, quia caret dolore inefficaci, & accusat se etiam huius indispositionis. Hæc est autem communis attritio meretricum, usurariorum, & concubinariorum, &c. quos omnes si iterare confessiones cogereamus, immensi esset operis & laboris. Nec tamen quisquam erit adeo remissus in rigore disciplinæ christianæ, qui eiusmodi homines excuset a sacrilegio. Altera quoque attritio est, ex qua cum Sacramento pœnitens non iustificatur: verbi gratia, quæ ex timore infamiæ proficiscitur, vel cuiusque mali temporalis, ut qui detestatur peccatum, & proponit confiteri, ne eiiciatur ab ecclesia, vel ne mulctetur pecunia, &c. Sive enim discutiat conscientiam suam, & imperfectionem doloris, sive ex negligentia omittat examen necessarium, homo sic attritus non fit etiam virtute Sacramenti contritus, id est, non accipit gratiam. Sic enim hoc loco intelligi volumus ex attrito fieri contritum, id est, gratiam & iustificationem consequi virtute Sacramenti, perinde ac si vere fuisset contritus.

Et si quæris, *quando ex attrito fiat contritus virtute Sacramenti*: Respondeo id primum evenire, quocumque attritionis genere homo sit attritus, si existimat se se præstitisse, quod necessarium erat, ignoratque invincibiliter, se non habere sufficientem dispositionem, quia is non ponit obicem, sed bona fide accedit ad Sacramentum: Sacramentum autem in non ponente obicem suum semper habet effectum. Quo fit ut omnia Sacramenta ex huiusmodi attrito contritum faciant. Quod D. Thomas lucide tradit tertia parte, quæst. 79. articulo 3., & in commentariis super Io, cap. 11. in illud: *Solvite eum.*

Deinde etiam attritio efficax ex timore pœnarum supernaturalium idonea dispositio est ad Sacramentorum baptismi, & pœnitentiæ gratiam percipiendam, ut cum quis detestatur omnia peccata mortalia, & propterea confitetur, ne per peccatum excludatur a gloria, vel ne infœrum ignem coniciatur. Qui etiam si cognoscat, se non habere contritionem, sed solam attritionem, licite accedit ad baptismi, & pœnitentiæ Sacramenta suscipienda. Quod (nisi me fallit coniectura) sentit Div. Thomas, tertiâ parte, quæst. 79. art. 3. ad 2. & quæst. 80. art. 4. ad 2. & 4. sent. dist. 25. quæst. 1. artic. 3. quæst. 1. ad 3. Ratio vero D. Thomæ non est contemnenda; quia Sacramentum baptismi, & pœnitentiæ per se ordinantur ad præstandam vitam mortuis. Quare licite sumi possunt ab his, qui habent conscientiam peccati mortalis, modo habeant attritionem, qua tollitur obex, & complacentia in peccatum commissum.

Est quoque altera eiusdem ratio, quia cum hæc duo Sacramenta sint medicinæ directe paratæ contra morbos animæ, absurdum est, ut nullus, qui se ægrum esse cognoscit, possit iure hæc sumere Sacramenta. Quemadmodum res esset penitus absurda, quod medicinas corporales a natura potissimum institutas ad sanandos corporis morbos non posset sumere nisi sanus, aut qui se iam esse sanum existimaret. Unde & Innocentius, 1. quæst. 1. cap. *Ventum est. Vbi vulnus*, inquit, *infixum est, medicina est adhibenda, qua possit recipere sanitatem, atque ubi pœnitentia remedium necessarium est, ordinationis honorem locum habere non posse decernimus; & cætera*, quæ inferius adiiciuntur.

Tertio etiam attritio, quæ procedit ab amore naturali Dei super omnia, forsitan dispositio est idonea, ut virtute Sacramenti baptismi, & pœnitentiæ gratia conferatur: quia talis etiam attritio tollere videtur complacentiam in peccato, & obicem Sacramenti: & per hoc patet tertium argumentum.

Sed quæstio parva se offert circa ea, quæ dicta sunt. Nam si peccator intelligit imperfectionem doloris, qui videlicet non est sufficiens, ut virtute Sacramenti gratia conferatur, sed committit sacrilegium, Sacramento irreverentes

sus-

suscipiendo, tunc aut confitetur talem indispositionem, & fictionem, aut non: si confitetur, sacerdos non absolvet, ne sit sacrilegus impendendo absolutionem, sicut peccator ipse petendo sacrilegus est. Confessio igitur erit irrita, & absolutio per novam confessionem denuo quærenda. Sin vero non confitetur illam indispositionem, confessio non erit integra, itaque erit repetenda.

Ac hoc respondetur, quod sine dubio sacrilegus erit sacerdos, si certo cognoscens pœnitentem esse indispositum, illum absolvit. Cuius rei exemplum habes de pœnitentia, capite *Quod quidam*. Nec te moveat, quod ibi Alexander præcipit, talem confessionem recipere, eorum videlicet, qui, quamvis confiteri velint, se tamen asserunt abstinere non posse. Recipienda enim est talis confessio, quæ ad ecclesiæ præceptum pertinet; quod vere implet, qui in illum modum confitetur; ut alio loco forsam ulterius ostendetur. Sed non est tamen recipienda, ut absolutionem sacerdos impartiat, cum ibidem Alexander asserat, huiusmodi pœnitentiam non esse veram: fictæ autem pœnitentem absolvere, sacrilegium est.

Nec te rursum moveat, quod talis confessio videtur esse sacrilega, cum sit sacramentalis, & fictæ facta in peccato mortali. Quoniam tunc confessio ficta sacrilegium est, cum a pœnitente fit animo recipiendi absolutionem. At cum quis confitetur; ut præcepto ecclesiæ pareat, & consilium salutare a sacerdote recipiat, ut si forte vel inter confitendum, vel confessione facta, animus permutetur, absolutionem a sacerdote recipiat, eiusmodi confessio licita est: licet quodammodo pars Sacramenti sit, non actu, sed potentia, quod satis est, ut sacerdos ad sigillum secreti teneatur.

Illud vero, quod ibidem dicitur, eiusmodi hominibus pœnitentiam esse indicendam, non de satisfactione sacramentaliter iniungenda intelligendum est, sed de pœnitentia, quæ sit in peccatoris remedium, &c. Non est igitur ille talis absolvendus: sed si absolvatur tamen vel ex ignorantia, vel ex affectu, & passione sacerdotis, absolutio valida erit, si tamen illam fictionem peccator confiteatur, quam habuit antequam susciperet absolutionem, videlicet negligentiam, &

in-

## 600 RELECTIO DE POENITENTIA

indispositionem præcedentem, animumque recipiendi Sacramentum, &c. Nam fictio illa exterior (hoc est sacrilegium, quod peccator commisit recipiendo exterius absolutionem) post confitenda est, ut D. Thomas illo articulo tradit: nam ante explicari non poterat.

Sequitur alia quæstio per difficilis, *An sacramentum poenitentia, recedente fictione, suum effectum sortiatur.* Et quidem Adrianus de confessione, dubio quinto, & Gabriel 4. dist. 17. quæst. 1. art. 3. dubio 2. atque alii nonnulli negativam sententiam tenent. Primo, quia si quis in peccato mortali eucharistiam recipit, non recipit effectum, recedente fictione: cum iuxta apostolum prioris ad Corinth. 11. *Qui inligne manducat corpus Domini, non ad utilitatem, sed ad iudicium manducet.* Igitur ne prænitentiæ quidem Sacramentum suum, recedente fictione, habet effectum.

Deinde, causa, quæ non est, nihil agit: effectus enim supponit existentiam causæ. Sed, recedente fictione, iam transiit absolutio, nec quicquam illius manet: ergo, &c. Nec potest dici, quod licet non maneat absolutio, manet tamen ornatus quidam, veluti gratiæ futuræ semen. Quoniam superiori relectione multis eisdemque firmis argumentis hunc ornatum e medio sustulimus.

Sed enim opinio D. Thomæ (1) articulo illo iam sæpe citato contraria est, atque ea quidem multo magis rationi consentanea, si id teneamus, quod iam ostendimus, Sacramentum receptum a ficto esse verissimum Sacramentum. Probatum sic: Ille talis non tenetur rursus confiteri peccata, quæ semel confessus est: ergo recedente fictione consequitur effectum Sacramenti. Antecedens patet, quia si sententia in aliquo foro semel fuit valida, non est opus eam iterum ferri, nec qui semel absolutus est sacramentaliter, tenetur confessionem repetere. Iam vero consequentia probatur: Quia illi homini est apertum regnum cælorum, quod erat clausum per eiusmodi peccato: ergo virtute clavium est illi apertum. Nam sacerdotibus claves regni cælorum datæ sunt, nec ali-

---

(1) 3. part. quæst. 79. art. 5.

aliter peccatoribus, nisi per claves regnum clausum aperiri potest. Confirmatur ex illo Ioann. 20. *Quorum retinueritis peccata, retenta sunt.* Ergo si illa peccata non sunt remissa virtute absolutionis, semper erunt retenta: Quare oportebit eadem iterum confiteri. Nec alia ratio Divum Augustinum movit (2), ut assereret, baptismum, recedente fictione, effectum suum consequi, nisi hæc. Nam si postea peccator fide baptizatus conteratur, & asseras gratiam illi conferri ex contritione, non ex vi ipsius baptismi ante suscepti, tunc eiusmodi homo non esset renatus ex aqua & Spiritu Sancto. Quare (iuxta Domini sententiam) non intraret in regnum cælorum. Cum igitur pœnitentiæ Sacramentum sit necessarium ad salutem peccatoribus baptizatis, si cui ex vi solius contritionis peccata remitterentur, illi tali sine remissione sacramentali peccata condonarentur, cum tamen scriptum sit: *Quorum retinueritis, retenta sunt.*

Ad primum argumentum, multi negant antecedens, in universum existimantes Sacramenta omnia, recedente fictione, suum effectum habere. Cuius sententiæ est Caietanus in additionibus tertiæ partis, quæst. 5. de confessione, suadetque id pœgulariter de extrema unctione. Nam si quis ungetur in peccato mortali, non iterabitur extrema unctio in eodem morbo, ut ecclesia statuit: ergo si ille conteratur post unctionem, recipiet fructum illius, alias ecclesia non negaret illi unctionem repetitam, &c.

Et D. Thomas huius videtur esse sententiæ, cum ait: *Et sic etiam est in aliis Sacramentis.* Unde iuxta hanc opinionem respondetur, quod idem potuit dicere Paulus de eo, qui fide baptizatur, sed iudicium & condemnationem accepisse ex sacrilego baptismo, nec tamen inde licet inferre, baptismum illum, etiam recedente fictione, nullius fore utilitatis.

Ego tamen non invenio causam, quæ me cogat, ut id quod tribuimus baptismum, & pœnitentiæ, cæteris quoque Sacramentis tribuamus. Sunt enim hæc duo Sacramenta ne-

Tom. II.

Gggg

ces-

(2) Videtur esse locus hic, lib. 1. de baptismo contra Donatistas, cap. 12.

## 602 RELECTIO DE POENITENTIA.

cessaria ad salutem, quorum proprius effectus est, aperire ianuam regni cœlorum peccatoribus oclusam. Vnde si quis semel acceperit vere hæc duo Sacramenta, consequens fit, ut virtute horum sacramentorum regnum cœlorum consequatur. Alias (ut arguebamus) sine his Sacramentis & vi illorum esset apertio ianuæ regni cœlestis, quod sacris literis adversatur.

Hoc autem argumentum pro reliquis Sacramentis non militat. Ignoramus enim, an fructum eucharistiæ perceptæ si quis per sacrilegium impenderit, postea, recedente tali sacrilegio, consequatur. Nec habemus rationem consentaneam, qua id confirmare possimus. Equidem facilius id admitterem in Sacramento Confirmationis & Ordinis: non quod imprimant characterem, vel non imprimant (non enim me hæc ratio mover) sed quod cum repeti non possint, & fructus illorum sacramentorum confirmatis & ordinatis sit pernecessarius, verisimile est, Divinam misericordiam fructum horum sacramentorum, fictione abscedente, conferre, ne perpetuo eiusmodi fructu priventur. Et hoc satis est ad servandam litteram D. Thomæ inquitentis: *Et sic etiam est in aliis Sacramentis.* Non enim dixit, in omnibus, licet referri, possit ad hoc, quod alia Sacramenta recipiunt a fictis.

Ad secundum argumentum, facile dicitur, causam quidem naturalem, quæque agit ad modum naturæ, oportere simul esse cum effectû, vel aliquid relinquere loco sui, quod simul cum re effecta sit: At morales causas non est opus cum effectis esse, sed satis est fuisse, miles enim strenus per rem præclare & fortiter in bello gestam causa est futuri honoris atque coronæ apud Cæsarem; nec tamen aliquid relinquit, etiam opere transacto, quod sit veluti semen futuræ mercedis: sic etiam cum Sacramentum poenitentiae causa moralis sit remissionis peccatorum, per applicationem sanguinis Christi, & meriti ipsius, non est necesse ut comitetur effectum, sed satis est ut præcesserit: mancatque vis eius in divina acceptione, quæ non accepit opus meum sacrilegum & fictum, sed opus Christi & meritum mihi per Sacramentum applicatum.

His ita constitutis, nihil superes, quam ut quarto argumento principali explicatius respondeamus. Nam Adrianus  
post



post quitam quæstionem de Confessione, dubio 4. in univ-  
ersum tenet, nullum hominem per actum culpabilem præ-  
cepto sive Dei, sive ecclesiæ satisfacere, quia præceptum est  
de actu saltem moraliter bono: ergo per peccatum præcep-  
tum impleri non potest.

Item, de regulis iuris, cap. octavo: qui ex timore fa-  
cit præceptum, aliter quam debet, facit, & ideo iam non  
facit. Vnde Glossa colligit, quod non dicitur factum, quod  
legitime non fit.

Præterea, Deus non præcipit confessionem sacrilegam,  
sed idoneam ad absolutionem percipiendam. Ergo qui fide  
confitetur, Dei præcepto non facit satis. Et cum ecclesia non  
præcipiat immediate confessionem, sed præceptum a Deo li-  
mitet ad certum tempus, certe qui confessionem iure divi-  
no debitam non facit, ecclesiæ mandatum de confitendo se-  
mel in anno non implet. Vnde in cap. *Omnia utriusque sexus.*  
*Omnia sua peccata, Innocentius inquit, fideliter confiteatur*  
*proprio sacerdoti, & iniunctam sibi penitentiam propriis viribus*  
*studeat adimplere, suscipiens reverenter in Pascha eucharistiæ Sa-*  
*cramentum.*

Inde colligit Adrianus, sumentem eucharistiam in pecca-  
to mortali non satisfacere præcepto nec Dei, nec ecclesiæ.  
Item & illud, largientem pauperi eleemosynam in extrema  
necessitate ob vanam gloriam, præceptum de cleemosyna  
non implere.

Sed quoniam alterius loci est accuratius id expendere,  
nos cum communi opinione in præsentia teneamus non esse  
transgressorem præcepti, qui actui bono ex genere suo, quem  
lex præcipiebat, apponit aliquam malam circumstantiam. Et  
per hoc patet ad primum argumentum Adriani: Lex enim est  
de actu moraliter bono secundum se.

Ad secundum: Quædam præcepta sunt, quæ sine chari-  
tate non implentur, ut de contritione, de actu charitatis: hu-  
iusmodi autem per timorem satisfieri non potest. At præcepta  
de actibus exterioribus, cum ex timore servili fiant, inutili-  
ter quidem fiunt, & præterea censentur non fieri, sed non  
inde per novam culpam violantur.

Ad tertium, iam patet, confessionem fictam aliquam esse  
idoneam ad percipiendam veram absolutionem, per quam sci-

## 604 RELECTIO DE POENITENTIA.

licet præceptum impletur tum Dei, tum ecclesiæ, cum poenitens Sacramentaliter absolvitur. Imo crediderim ego, quod cum peccator se sistit sacerdoti, iuxta præscriptum illius capituli, Quod quidam, de Poenitentiis, etiamsi non recipiat absolutionem, implet præceptum ecclesiæ ex quadam eiusdem ecclesiæ pia & clementi dispensatione. Nec aliud intelligo, cum Pontifex ait, talem confessionem esse recipiendam. Quare censuræ, si quæ fulminentur adversus eos, qui eo anno non sunt confessi, huiusmodi peccatores impoenitentes non tangunt. Per nullam tamen confessionem impletur divinum præceptum, nisi absolutio sacramentalis supperaddatur, sine qua Sacramentum Poenitiæ non est.

In quinto principali argumento id primum quæritur, an mutus confiteri divino præcepto teneatur. Vbi ego non dubito, mutum ad confessionem obligari, sive per nutus, si habeat copiam sacerdotis, qui nutus intelligat, sive per scriptum, si scribere didicerit. Divus Thomas dist. 17. quæst. 3. art. 4. quæst. 3. ad secundum. Scotus eadem dist. in solutione argumentorum, Gabriel & Maior eadem dist. quæst. 1. imo tandem Caietanus in summa. Probatur vero ex illo Ioannis 20. *Quorum remisistis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* Si ergo mutus peccata aliqua exprimere potest sacerdotibus, illa non remittuntur, nisi sacerdotes remittant. Nec etiam video causam, cur sit præcepto illius cap. *Omnis utriusque sexus*, excipiatur. Namsi nutibus confessio fieri possit, & forum secretissimum erit, & decentissimum, si servetur forma, quam Caietanus tradit in summa. Sini autem scribere mutus sciat; commodissime fiet per scriptum confessio: nam scriptum manu tenere potest, & lancinare. Nam dicere, scripturam suapte natura publicam esse, ac proinde non convenire poenitiæ, metaphysicum commentum videtur esse: sic enim posses asserere, & nutus suapte natura publicos esse, atque adeo verba. Aut ergo asseramus, mutos confiteri non posse; aut si possunt, eos teneri fateamur.

Sed oritur dubium, *An si mutus non possit quidem explicare species peccatorum, & circumstantias, sed nutibus dumtaxat ostendere, se offendisse Deum, an, inquam, possit absolvi: & eadem quæstio est, si agrotus loquelam amisit adveniente sacerdote.*

Et

Et suadetur pars affirmativa, quia si quis confiteretur generaliter venialia, scilicet faciendo confessionem generalem, posset absolvi sacramentaliter, cum non teneatur species, & circumstantias venialium explicare: ergo si quis non possit species mortalium exprimere, satis erit generaliter confiteri.

Deinde Ioannis 20. data est potestas apostolis remittendi peccata quorumcunque: ergo si mutus nesciat exprimere peccatorum species, ecclesia habebit potestatem remittendi illi peccata. Nec enim credendum est, eiusmodi hominibus legislatores in necessariis de fuisse.

Præterea, cum non possum commode splicare speciem peccati, ut si sequatur inde periculum, tunc satis est confiteri peccati genus: ergo satis erit generaliter confiteri ad confessionem sacramentalem. Si enim genus peccati subalternum ad Sacramentum sufficit, non est cur generalissimum non sufficiat.

Præterea, Arausicanum concilium, cap. 12. *Subito, inquit, obmutescens & baptizari, & penitentiam accipere potest, si voluntatis præterita testimonium aliorum verbis habet, vel præsentis in suo nutu.* Et III. concilium Carthagin. cap. 34. *Si aegrotantes, ait, pro se respondere nequeunt, cum voluntatis eorum testimonium sui dixerint, baptizentur; & manus etiam penitentibus imponantur.* Referturque de consecr. dist. 4. cap. *Aegrotantes.* Item apertius concil. Carthag. IV. cap. 77. & habetur 26. quæst. 6. cap. *Is qui, hunc in modum scribit Is, qui in infirmitate penitentiam petit, si casu dum ad eum sacerdos venit, oppressus infirmitate obmutuerit, dene testimonium, qui eum audierunt, & accipiat penitentiam: & si continuo creditur moriturus, reconcilietur per manus impositionem, & infundatur ori eius eucharistia.* Idem habes in epistol. 69. Leonis Papæ ad Theod. in hæc verba: *His, qui in periculi urgentis instantia præsidium penitentia, & mox reconciliationis implorant, nec actio illis penitentia, nec communis gratia denegetur, si eam, etiam amisso vocis officio, per iudicium integri sensus quærere comprobentur: quòd si aliqua aegritudine ita fuerint aggravati, ut quod paulo ante possibant, sub presentia sacerdotis significare non valeant, testimonia eis fidelium circumstantium prodesse debelunt, ut simul & penitentia, & reconciliationis beneficium consequantur.*

In

## 606 RELECTIO DE POENITENTIA.

In hac quæstione Abulensis super 16. cap. Matth. quæst. 79. tenet, quod si quis in articulo necessitatis voce confiteri non potest, quamvis signa contritionis ostendar, absolvi non debet. Est enim, inquit, contra formam absolutionis, in qua dicitur: *Absolvo te de peccatis confessis, & oblitis*: Ille autem nulla peccata confitetur. Quæ quidem ratio nihil me movet; tum quia illa forma non mihi magnopere probatur (ne atrocitius verbum dicant) possem enim uti alia, cum concilium Florentinum aliam, hac neglecta, præscripserit, hoc est: *Ego te absolvo*. Deinde, quoniam ille, de quo disserimus, nutibus confitetur, licet ore non possit. Sed dicet forsitan: non confitetur peccatorum species: fateor id quidem, at id nunc in controversia est: *An confessio generalis sufficiat, cum specialis fieri non potest*: ubi magnopere vellem audire potius, quam docere. Nam D. Thomas nil explicite tradidit, unde hanc quæstionem definire possimus. Distinctione siquidem 21. quarti Sententiarum, quæst. 2. art. 1. ad 1. dicit, quod quandoque confessio generalis est sacramentalis, & quandoque non. Sacramentalis quidem est, quandoque quis in secreto sacerdoti confitetur quædam, quæ meminit, & alia venialia in generali.

Et ad secundum: erat quippe argumentum huiusmodi: *Post confessionem generalem ita remanent occulta peccata penitentis confessori, sicut & prius; quia in his qua generaliter dicuntur, non est aliquis, qui non peccet, &c.* Huic igitur argumento respondet, *Quod procedit de confessione sacramentali, qua iudicium sacerdotale expectat, & ideo requiritur aliqualis peccatorum manifestatio.* Hactenus D. Thomas. At art. 2. asserit, confessionem generalem sacramentalem operari ad remissionem peccata debita propter peccatum oblitum, idque ex vi clavium. Atque idem sequitur Petrus Palud. dist. 21. quæst. 2. art. 2. ubi etiam docet, materiam absolutionis esse peccata confessiva vel in speciali, vel in generali: alias frustra adderemus in confessione, de his, & de aliis, quorum non sum memor, &c. Quod si peccata oblita generaliter ostensa sacerdoti vera sunt, materia absolutionis, non est cur definiamus, generalem confessionem, cum specialis fieri nequit, sacramenti huiusmodi materiam non esse. Quamobrem, ut antea dixi, quæstio multo obscurior est, quam ut a me valeat illustrari.

At inhærendo ecclesiastico usui, quo huiusmodi peccatores in genere pœnitentes absolvi sacramentaliter non solent, teneamus interim (id, quod totius est) confessionem, in qua nullum peccatum explicatur, non esse sacramentalem. Nam, præter ecclesiæ consuetudinem, quæ in huiusmodi rebus magnum momentum habere debet, rationes illæ duæ, quas D. Thomas insinuavit, non sunt omnino leves: Altera, quod hoc Sacramentum est iudiciale: iudicis autem sententia apta esse non potest, nisi iudex crimen aliquod in specie cognoscat. Altera, quod non plus ianotescit mihi conscientia illius peccatoris per talem confessionem quam ante illam, cum vir etiam sanctissimus posset ita generaliter confiteri.

Ad primum, nego antecedens. Nam licet non teneatur explicare species venialium, sicut ne venialia confiteri, si tamen vult absolutionem sacramentalem recipere specialis confessionis, opus est, ut iuxta qualitatem, & quantitatem delicti sententia ipsa feratur.

Ad secundum eodem modo respondetur, quod apostoli acceperunt potestatem, tanquam iudices: iudicium vero ineptum est, nisi delicta a iudice cognoscantur. Nec opus est, Legislatorem privatis, & accidentariis eventis providisse, ut in baptismo parvulorum manifestum est: Sunt enim parvuli, qui baptizari interdum non possunt.

Ad tertium respondeo, quod cum explicatur genus peccati subalternum, ut luxuria, aut incestus, iam cognoscitur & substantia, & aliqua delicti qualitas iudicandi, &c.

Ad quartum dupliciter responderi potest. Præter, quod illi publice pœnitentes olim habebantur excommunicati: unde manuum impositio, seu reconciliatio, quæ iuebatur impendi, non erat sacramentalis, sed quasi quædam absolutio ab excommunicatione. Tali enim signo solebat olim ecclesia in communionem admittere, quos communionem privarat: & ideo eiusmodi manuum impositio non solum presbytero, sed diacono etiam permittebatur: quemadmodum videre licet apud Cyprianum, 3. epistol. libro, epistola 17. Posterius respondetur, quod, cum omnibus illis locis sermo sit de publice pœnitentibus, intelligere debemus, quod illorum peccata iam per confessionem publicam sacramentalem in die Cinerum in-

## 608 RELECTIO DE POENITENTIA.

notuerant sacerdoti. Sed quoniam absolutio ad diem Cœnæ Dômnicæ iuxta antiquum morem proferebatur, id etiam a maioribus cautum est, ut si interim periculum mortis urgeret, impenderetur absolutio, sive nutibus eam peterent istiusmodi pœnitentes, sive constaret petiisse. Est autem imprudentia non mediocris, ea, quæ more maiorum in pœnitentia publica præscripta sunt, ad hanc nostram secretam penitus accommodare.

Quod si quiseiusmodi ægrotis generaliter confitentibus sacramentalem absolutionem impendere voluerit, non equidem valde repugno, sed me auctore, non faciet. Expectavit autem in re nova vir prudens, & modestus, aut episcoporum, aut summi Pontificis auctoritatem, quam ego hoc sane loco desidero. Tametsi D. Augustinus eiusmodi hominibus absolutionem forte præstaret. Cuius in lib. 1. de adulterinis coniugiis, cap. ultimo, hæc sunt verba: *Ego non solum alios chatecumenos, verum etiam ipsos, qui viventium coniugiis copulati retinent adulterina consortia, cum salvos corpore in his permanentes non admittamus ad baptismum, tamen si desperati, & intra se pœnitentes iacuerint, nec pro se respondere potuerint, baptizandos puto, ut etiam hoc peccatum cum cæteris lavacro regenerationis ablatur. Quis enim novit, utrum fortassis adulterina carnis illecebra usque ad baptismum statuerant detineri? Si autem ab illa desperatione recreati potuerint vivere, aut facient quod statuerant, aut edoceri obtemperabunt, aut de contemptoribus fiet, quod fieri etiam de baptizatis talibus debet. Quæ autem baptismatis, hæc reconciliationis est causa, si forte pœnitentem finienda vita periculum præoccupaverit. Nec ipsos enim ex hac vita sine artha suæ pacis exire velle debet mater ecclesia.* Hæc Augustinus.

Alterum, quod in eodem quinto argumento quæstionem habet, est, *An confessio sacramentalis, vel per nuntium, vel per epistolam, absenti confessori fieri possit.* Nam posse fieri, suadetur ex cap. *Qualis*, 30. quæst. 5. ubi Leo Papa tradit, pœnitentiam per scripturam esse recipiendam. Deinde suadetur ex Cypriano, lib. 3. epist. 17. ubi dicitur, quod lapsis per literas petierunt a Cypriano reconciliationem, & pacem.

Tertio item ex eo, quod matrimonium, quia materia eius actibus nostris constat, per epistolam, vel paranimphum fieri potest: ergo & pœnitentia.

In contrarium est, quod D. Augustinus lib. de vera, & falsa pœnitentia cap. 10. tradit, & habetur de pœnit. dist. 1. cap. *Quem pœnitet*, in hæc verba: *Præcepit Dominus mundatis, ut ostenderent se sacerdotibus, docens, corporali præsentia confitenda peccata, non per nuncium, non per scriptum manifestanda.*

In hoc dubio Petrus Palud. 4. dist. 17. quæst. 2. videtur tenere, confessionem, & absolutionem factam literis per absentem, esse sacramentalem. Idem tenet expressius Adrianus, quæst. 1. de confessione, ad tertium. Estque argumentum præcipuum, quia absolutio sententia quædam est in foro iudiciali: de ratione autem sententiæ non est, quod vocalis sit, aut præsentem reo feratur.

Mihi autem hæc opinio probari nunquam potuit, quamvis argumenta, quibus confutari solet, non sint magnopere vehementia. Certè quæ Caietanus in summa sua nobis tradit, nullius videntur esse momenti: præter illud unum, quod re vera grave est, videlicet confessionem, & absolutionem actiones sacramentales esse, ac proinde personales, ideoque per inter-nuncios, aut literas administrari non posse.

Argumentor itaque primum in hunc modum: **Absolutio, & quælibet forma sacramentalis confert gratiam; ergo non operatur in absentem: alioqui si absens dormiret tempore absolutionis, ab ignorante sacerdote iustificaretur.**

Præterea, absens non confitetur internuncius, nec internuncius sacerdoti: ergo nulla est ibi confessio sacramentalis.

Item, sacerdos absens ignorat, an pœnitens post literas mutaverit voluntatem recipiendi absolutionem: ignorat etiam, an pœnitens tempore, quo absolutio impenditur, sit dispositus: rursum quoque, an commiserit aliquod peccatum mortale post literas missas. Quocirca semper se exponit manifesto periculo sacrilegii.

Est desique illud gravissimum argumentum, quod non insolitum modo, verum etiam inauditum est in ecclesia, iudicium sacramentale inter absentes exerceri, aut absolutionem peccatorum a confessore absente per literas, vel internuncium dari.

Ad primum argumentum respondet primum glossæ, quod permittitur mulieri simplici, & verecundæ, dum tamen præ-

## 610 RELECTIO DE POENITENTIA.

sens sit, peccata scripta confessori offerre. Erat enim olim usus, ut de peccatis publicis a pœnitente libellus offerretur, in quo eiusmodi peccata continerentur scripta, ut patet ex epistola Leonis 57. ad episcopos Campaniæ, atque adeo ex epistola Cypriani iam citata. Respondet quoque Gabriel, ibidem esse sermonem de confessione adulteræ in foro exteriori; recipiebatur enim scripto, ut constaret ecclesiæ, eam esse legitime a viro suo repudiatam.

Ad secundum argumentum facile dicitur, nostram sententiam potius ex Cypriano confirmari: ait enim: *Qui libellos a martyribus acceperunt, si infirmitatis periculo occupati fuerint, non expectent præsentiam nostram, quin apud presbyterum quemcunque præsentem exomologesin delicti sui facere possint, ut manu eis in pœnitentiam impositam, ad Dominum veniant cum pace, quam dari, literis ad nos factis, desideraverunt.*

Ad tertium respondetur, quod sententia sacerdotis est iudicialis, nec alterum ab altero potest separari. Matrimonium autem & contractus est naturalis, & sacramentalis, sed aliquando alterum sine altero est. Matrimonium enim, quod per procuratores contrahitur, non est sacramentum, ut Caietanus erudite confirmavit.

Ad postremum, de ratione sententiæ, fateor, non esse iudicis, rei que præsentiam; sed est tamen de ratione sententiæ sacramentalis, quæ gratiam confert. Nisi enim sacramentum præsentem subiecto applicetur, ut per inductionem patet, iustificare non potest. Quærere namque libenter ab huiusmodi auctoribus, an episcopus possit absenti sacramentum ordinis conferre: & cum negaverint, propter usum ecclesiæ perpetuo repugnantem, eodem ego argumento probabo, sacramentum absolutionis conferri absenti non posse.

At existit huic parvum illud dubium: *An pœnitens coram sacerdote per scripturam confiteri possit, ut musus, vel puella veteranda.* Ad hoc respondet D. Thomas Quodlibeto 1. art. 10. quod cum de essentia confessionis sacramentalis non sit vocalis confessio, iis qui verbo confiteri nequeunt, satis est scripta confessio. Atque hæc quidem propositio communis est omnium Doctorum, quos equidem legerim. Sed addit D. Thom. huic alteram, quæ non perinde certa est, nempe, ex in-

stitu-



stitutione ecclesiæ teneri hominem, qui potest, voce confiteri, quoniam in omnibus sacramentis accipit id ecclesia, cuius est communior usus: verborum autem usum & communem esse, & ad confessionem accomodatum, negari non potest. Et quamvis hoc præceptum non inveniatur expressum, satis est tamen consuetudo: quæ videlicet habenda pro lege est. Nullus enim sacerdos confessionem admittit, nisi pœnitens peccata voce proferat. Ac certe fictus videtur esse, qui ore tacet, cum ore accusare se possit. Tutissima rectissimaque via hæc est, quis negat? Sed, si quando contingat, (quod tamen rerum erit) ut puella verecundiæ plena voces edere non queat, cum hac sacerdotis prudentia dispensabit. Item etiam, si ægrotus per gutturis angorem confiteri quidem voce possit, sed vix tamen & ægre possit, non erit eiusmodi compellendus, si scribere facile peccata valet, ut vocalem confessionem exhibeat.

In eodem quinto principali argumento id postremum quæritur: *An cum pœnitens ignorat idioma sacerdotis, atque e diverso pœnitentis idioma sacerdos, oporteat confessionem fieri per interpretem.* Et quidem communis sententia tenet, huiusmodi pœnitentem non obligari ad eam confessionem, quia nemo tenetur revelare secreta peccata, nisi sacerdotibus: hic autem revelaret etiam interpreti, qui non est sacerdos. Assumpta vero priore loco propositio patet ex Leone, epist. 57. ubi ait *Reatus conscientiarum sufficere solis sacerdotibus indicare confessione secreta.* Et D. Augustinus de vera & falsa pœnitentia, cap. 11. *Si peccatum, inquit, occultum est, sufficiat referre in notitiam sacerdotis.* Sed & Innocentius in cap. *Omnis utriusque sexus*, Tit. de pœnitentiis, prudenter limitavit præceptum, inquires: *Omnia sua solus peccata confiteatur proprio sacerdoti: videlicet insinuans, quod si solus confiteri nequit, confiteri non tenetur.*

Hinc ego communem Doctorum sententiam, quod ad præceptum ecclesiæ de quotanni confessione pertinet, libentissime recipio. Sed in articulo mortis non auderem omittere confessionem, si haberem interpretem. Iactura enim illa parva est, ut prætermittam sacramentum, quod est necessarium

## 612 RELECTIO DE PŒNITENTIA.

ad salutem: quemadmodum retro dicebamus, in articulo mortis hominem obligari ad explicandum peccatum, etiam eum aliquo famæ alienæ detrimento. Et in hoc eventu intelligitur D. Thomas 4. dist. 17. quæst. 3. art. 4. quæst. 3. ad secundum, cum utitur illis verbis, *Exigitur, Debemus*: quæ quidem verba obligationem præ se ferunt. In reliquis vero eventibus, etiam quum iure divino confessio est in præcepto, credere sine periculo possumus, neminem obligari ad confessionem peccatorum per interpretem. Quæ autem sint hæc eventa, sine tempora, in quibus præceptum divinum, etiam præter mortis articulum, ad confessionem obligat, paulo post expediemus.

Ad sextum principale argumentum priusquam respondeamus, necesse est explicare, quisnam proprius sacerdos appelletur. Nam Petrus Palud. 4. dist. 17. quæst. 3. & Sylvester in verbo *Confessor*, primo docent, nomen proprii sacerdotis dupliciter accipi: uno modo, pro quocunque habente potestatem absolvendi, sive ordinariam, sive delegatam, & sic capitur (aiunt) in cap. *Omnis utriusque sexus*, ab Innocentio ibi: *Omnia sua peccata semel confiteatur in anno proprio sacerdoti: alias non implemet illud præceptum, qui confiteretur Fratribus mendicantibus: non enim sunt proprii sacerdotes, nisi in hac significatione. Alio modo (inquiunt) capitur sacerdos proprius pro sacerdote habente iurisdictionem ordinariam absolvendi, qualis est vel parochus, vel episcopus, vel summus Pontifex. Quem in modum accipitur in eodem capite, *Omnis*, cum subiungitur: *Si quis autem alieno sacerdoti voluerit iuxta de causa sua confiteri peccata, licentiam prius postulet, & obtineat a proprio sacerdote.**

Sed revera sine causa admittitur æquivocatio in eadem oratione apud Innocentium. Nam illud suum præceptum ipse idem explicuit, exceptionem addens: nisi de licentia proprii sacerdotis. Et quod in illo capite, proprius sacerdos, parochus, intelligatur, manifeste liquet ex quadam extravaganti. Martin. V. quam refert Adrianus, quæst. 5. de confessione. Sic etiam accipit nomen proprii sacerdotis Div. Thomas dist. 17. quæst. 3. art. 3. quæst. 3.

Itaque sacerdos proprius vel intelligendus est parochialis

lis sacerdos, ut Martinus V. intellexit, & ut revera Innocentius accepisse videtur, iuxta plenam illius decretalis intelligentiam; vel intelligendus est sacerdos habens ordinariam potestatem & iurisdictionem. Et in priori quidem significatione, sacerdos proprius vocatur, & ut distinguitur contra alienum, & ut distinguitur contra communem. Contra alienum quidem, ut quilibet parochianus intelligat, suo proprio parochiano non alterius parochiæ sacerdoti debere confiteri. Contra communem autem, quia supponebat Innocentius, Episcopum, & summum Pontificem, qui sacerdotes communes dici possunt, non habere consuetudinem audiendi confessiones. Quare spectans in communem usum (quod leges facere solent) præcepit, ut parochiani suis parochis confiterentur. Nec obiectio illa movere nos debet, quod si in illo capite proprius sacerdos sic acciperetur, qui confessionem faceret vel episcopo, vel summo Pontifici, præceptum illius capituli non impleret. Nam cum parochus iurisdictionem habeat ab episcopo, episcopus a summo Pontifice, pro comperto relinquitur, ut pœnitens, qui privatis suis sacerdotibus confiteri solet, si ad episcopum, vel summum Pontificem recurrat, eisque confiteatur, multo etiam magis præcepto confessionis satisfaciat.

At si quis contendere velit, & episcopum, & summum Pontificem appellari proprios sacerdotes, dicat, ideo proprios appellari, quia propriam habent iurisdictionem absolvendi, quam scilicet sibi proprie vendicant ex officio ordinario pascendi oves.

In hunc igitur posteriorem sensum dubium est: *An ex divino iure sit necessarium confiteri proprio sacerdoti.* Nam Armacanus lib. 11. de quæstionibus Armenorum, cap. 4. ex solo iure humano id existimat necessarium: cum quilibet sacerdos in ordinatione sua accepit potestatem remittendi peccata quorumcumque. Idem quoque videtur insinuare D. Thomas dist. 17. quæst. 3. art. 3. quæst. 4. ad quintum; si literæ tantum superficies spectetur. Durandus etiam 4. distinct. 19. quæst. 2. hanc Armacani opinionem asserit esse probabilem; hoc est, seclusa ecclesiæ lege, quemlibet sacerdotem quemcumque peccatorem absolvere posse. Hanc tenuit Wiccleff. hanc demum nunc temporis Lutherani.

At

## 614 RELECTIO DE POENITENTIA.

At hæc sententia defendi nulla ratione potest : quin exploratum haberi debet, præceptum de confitendo proprio sacerdoti, divinum esse. Primum ex concilio Florentino : ubi minister huius sacramenti definitur sacerdos habens auctoritatem absolvendi, vel ordinariam, vel ex commissione superioris. Quapropter sine huiusmodi commissione sacerdos alienus non est huius sacramenti minister : atque proinde iure divino tenemur proprio sacerdoti confiteri. Nam confessio, quæ fit alteri ex facultate proprii sacerdotis, proprio sacerdoti fieri censetur.

Præterea, cap. *Si episcopus*, de *Pœnitentiis & remissionibus* lib. 6. Bonifacius tradidit, nulla consuetudine introduci posse, ut aliquis, præter sui superioris licentiam, confessionem sibi eligere valeat, qui eum possit solvere, vel ligare. Et tamen si esset solum de iure positivo, aliqua consuetudo posset prævalere : ut patet in decimis solvendis, in comedendis ovis tempore Quadragesimæ, & alia eiusmodi ecclesiasticis legibus, quæ per consuetudinem contrariam abrogari possunt.

Præterea, hoc videtur etiam definiri in illo cap. *Omnis, de pœnitent.* ubi Innocentius, *Licentiam*, inquit, *prius postulet, & obtineat a proprio sacerdote : quum aliter illud alienus non possit absolvere, vel ligare.*

Ratioque id manifeste docet. Nam potestas iurisdictionis non habetur nisi ab his, qui subditos habent. At non quilibet sacerdos ex iure divino subditos habet, sed solum pastores ecclesie, quibus oves Christi commissæ sunt : ergo solus ille, cui ex officio est annexa cura animarum ex divina institutione iudex est : atque ex consequenti ad eum solum iudicialis sacramenti administratio pertinet. Erroneum igitur est hac tempestate asserere, sacerdotem simplicem iurisdictionem habere, potestatem solvendi. Vnde & Martinus V. in concilio Constantiensi circa finem, inter reliquas interrogationes ponit hanc : *Vtrum credat, auctoritatem iurisdictionis Papa, & episcopi esse maiorem in solvendo, ligandoque auctoritate simplicis sacerdotis, etiam habentis curam animarum.* Vide Caietanus in additionibus tertiæ partis, quæst. unica, de ministro sacram. pœnit. Turrecrem. lib. 1. cap. 96. & 97 & 98. Nam in hanc sententiam conveniunt omnes Scholas-

Iastici Auctores, atque adeo Div. Thomas dist. 19. quæst. 1. art. 3. quæst. 1. & dist. 17. quæst. 3. art. 3. quæst. 4.

Ad argumentum vero illud potissimum, quod oponitur ex ordinatione sacerdotum, quibus dicitur, *Accipite Spiritum Sanctum*, &c. quoniam eisdem verbis Dominus apostolis dedit potestatem iurisdictionis, Ioan. 20. cum ibi fecerit eos iudices, & instituerit sacramentum confessionis, cuius eos quoque ministros effecit; respondetur, quod eisdem quidem verbis ecclesia nunc posset tradere potestatem iurisdictionis omnibus initiatis: at revera non tradit, sed solum potestatem ordinis necessariam ad absolutionem sacramentalem. Nam ille actus sacramentalis duplicem potestatem exigit, alteram ordinis, alteram iurisdictionis: neutraque sine altera satis est. Nam episcopus Diaconus subditos quidem habet, sed si tentet absolvere, nihil facit. Simplex quoque sacerdos Ordinis potestatem habet, sed quia caret iurisdictione, nihil facit absolvendo. Accipit itaque sacerdos quisque, cum initiatur, per illa verba, *quorum remisistis*, &c. potestatem ordinis, quæ necessaria est ad remittenda peccata: tametsi (ut retro diximus) iurisdictionem quoque accipiat ad remittenda venialia, &c.

Quod si quæras, unde constare possit, ecclesiam ordinatis solam potestatem ordinis conferre velle, certe ecclesiæ usu constat, intentioneque prælatorum ordinantium. Non enim intendunt episcopi tradere iurisdictionis potestatem. Nam & episcopus titularis cum ordinat, eisdem verbis id facit: cum tamen nullos habeat subditos, &c.

At vero circa ea, quæ dicta sunt, oriuntur aliqua dubia indigna prorsus, quæ a nobis prætereantur.

Primum est: *An, quando non est tutum confiteri peccata proprio sacerdoti, quia timetur scilicet vel scandalum, vel revelatio confessionis possit homo confiteri cui voluerit sacerdoti, si proprius negat facultatem alteri confitendi.*

Ad hoc, Doctores graves asserunt, quod si nec sacerdos proprius, nec episcopus volunt dare facultatem, tunc potest peccator confiteri cui maluerit. Id tenet Hostiensis in cap. *Omnis utriusque sexus*. Id videtur sentire Magister, dist. 21. cap. postremo, & Gratianus de pœnitentia, dist. 6. circa finem. Id Sylvester in verbo *Confessor* 1. §. 6. & Richardus dist.

## 616 RELECTIO DE POENITENTIA.

Dist. 17. art. 3. quæst. 7. & Paludanus eadem dist. quæst. 3. art. 3. cap. ult. de pœnit. dist. 6. ubi Urbanus Papa, *Placuit, inquit, ut deinceps nulli sacerdotum liceat quemlibet commissum alteri sacerdoti ad pœnitentiam suscipere, nisi pro ignorantia illius, cui pœnitens prius confessus est.* Est igitur argumentum: pro ignorantia proprii sacerdotis licet adire ad alium sacerdotem etiam sine proprii consensu: ut hic textus manifeste dicit, & glossa item eodem loco: ergo multo magis pro malitia, &c.

Deinde confirmant hoc auctoritate D. Augustini, libro de vera & falsa pœnitentia, cap. 10. & refertur de pœnitentia, dist. 6. cap. 1. ubi Div. Augustinus, *Et qui vult, inquit, confiteri peccata sua, querat sacerdotem, qui sciat ligare, & solvere, ne ambo in foveam cadant, quam stultus evitare noluit.*

Præterea, sacerdos proprius in tali eventu tenetur dare facultatem: ergo si neget, satis fuerit petiisse: argumento, cap. *Licet, Extra, de regularibus.* Nam (ut ibidem dicitur) prælatus indiscrete negans facultatem iuste petitam, privilegium meretur amittere, qui concessa sibi abutitur potestate.

Præterea, legislator non deficit in necessariis. Sed quando sacerdos proprius est ineptus ad audiendam confessionem; vel ex ignorantia, vel ex malitia, confessionis necessitas instat, sicut & communionis: ergo in tali eventu iam legislator de confessione providit, ut etiam in articulo mortis quilibet sacerdos posset absolvere.

His tamen argumentis præceptor meus bonæ memoriæ commoveri non potuit, quin crederet, hanc opinionem esse, & minus tutam, & irrationabilem. Idem tenuit Caietanus in Summa, in verbo absolutio ex parte absolventis. Atque D. Thomas idem sentire videtur, dist. 17. quæst. 3. art. 3. quæst. 4. ad tertium, ubi dicit, quod electio discreti sacerdotis non est nobis commissa ut nostro arbitrio facienda, sed de licentia superioris, si forte proprius sacerdos esset minus idoneus ad apponendum peccato salutare remedium. Et ad quintum argumentum expresse docet, quod in quibus eventibus probabiliter timet pœnitens periculum sibi, vel sacerdoti ex confessione, debet recurrere ad superiorem, vel

vel ab eodem petere licentiam alteri confitendi : quod si licentiam, ait, habere non possit, idem es iudicium ac de illo, qui non habet copiam sacerdotis. Ne distinct. 21. in expositione literæ huic sententiæ adversatur. Nam prius ex sententia propria asseruerat, quod cum pœnitens habet sacerdotem ignorantem, ex facilitate ipsius sacerdotis, vel superioris debet alium petere prudentiorem. Cum autem posterius subdit per coniunctionem adversativam : quinque tamen casus ponuntur, quibus licet confiteri alii, quam proprio sacerdoti, sinè eius licentia, &c. refert quidem aliorum opinionem, quam tamen ipse non probavit.

Et certe eam non probare debemus. Primum ex cap. *Omnis utriusque sexus*, ubi dicitur, quod si quis alieno sacerdoti voluerit iusta de causa sua confiteri peccata, licentiam prius postulet, & obtineat a proprio sacerdote, cum aliter illum non possit solvere, vel ligare.

Ad hoc respondet Adrianus, quod cum Innocentius dicit, *Licentiam postulet, & obtineat a proprio sacerdote*, subintelligendum est, vel a iure. In casu autem, de quo loquimur, pœnitens habet a iure facultatem obtentam, scilicet ex illo cap. ultimo de pœnitentia, dist. 6. At hæc solutio non est idonea, tum quia ius illius capituli antiquius erat concilio Lateranensi, cum Urbanus II. sub quo illum decretum est, multis annis præcesserit Innocentium III. qui illius capituli, *Omnis utriusque sexus*, fuit auctor : Tum quia, cum supponat Innocentius iustam causam impetendo, & addat, licentiam petat, & obtineat, consequenter insinuat, licentiam petitam & negatam in causa iusta non sat esse, ut alius possit absolvere, quamvis iuste petita male negatur : Tum quia hæc facultas, per quam fit exceptio a decreto concilii generalis, nusquam habetur in iure, ut ex argumentorum solutione patebit : Tum demum, quia per hanc exceptionem aperitur ianua multis incommodis, eisdemque absurdissimis. Nam & unusquisque facile sibi persuaderet, suum parochum esse ignorantem, indeque eligeret facultate iuris confessorum ; & idem quoque in casibus reservatis fieri eadem ratione posset, ut videlicet, quando nollet prælatus vel ex ignorantia, vel malitia iuste petitam concedere facultatem,

## 618 RELECTIO DE POENITENTIA.

tem, hanc sibi ex concessione iuris poenitens assumeret. Quibus profecto qui non movetur, hunc nihil horam reputavisse certo scio.

Præterea, mortuo proprio sacerdote, non potest ille, de quo loquimur, cui maluerit confiteri: ergo nec vivente, & facultatem negante.

Præterea, si proprius sacerdos nominatim excommunicaretur, vel esset percussor clerici manifestus, non liceret Parochianis cuilibet confiteri, sed solum illi, quem episcopus vel papa providerit.

Fac denique (id, quod usu venire potest) ut proprius sacerdos ex malitia, vel animi perturbatione nolit confessionem cuiusquam audire: tunc quæro, an Parochianus possit alieno sacerdoti pro suo arbitrato confiteri. Ac posse quidem, nullus, nisi indoctus, & temerarius, admittet. Quod si non potest, certe nec poterit, propter ignorantiam, vel scandalum proprii sacerdotis, alieno sine superioris facultate confiteri.

Ad primum argumentum respondeo, quod Urbanus loquitur de poenitentia publica iniuncta a sacerdote, cui poenitens prius confessus est, ut ipse etiam textus expressit. Docet autem Summus pontifex, poenitentiam publicam iniunctam a Parocho, in propria ecclesia esse faciendam, non in aliena Parochia. Ac præterea docet, alium sacerdotem poenitentiam iniunctam a priore confessore non debere aut commutare, aut relaxare, nisi prior sacerdos adeo fuit imprudens & ignarus, ut poenitentiam indiscretam indixerit: tum enim si imprudentia fuerit manifesta, sacerdos secundus poterit poenitentiam suo consilio moderari. Imo in ecclesia, olim, ubi erant plures sacerdotes, qui æque poterant populi confessiones audire, si quis poenitens uni illorum sacerdotum se commisisset, crediderim equidem iure optimo cautum esse, ut posteaquam illi peccata sua fuerat confessus, atque illius consilio poenitentiam salutarem acceperat, ab alio sacerdote non susciperetur ad poenitentiam, nisi forsitan prior fuisset ineptus, & imprudens. Erat autem ea lex iusta primum, ne identidem mutatis animorum medicis, salus ipsa spiritualis poenitentiam præpediretur: deinde ne poenitens



severitatem iustam prioris iudicis, cui se commiserat, veritus, apud iudicem alium remissionem quæreret: quod nostra hac tempestate quidam facientes, dum præ pudore sacerdotes graves & probos, quibus se permissierant, fugiunt, novosque quærunt, vel incognitos, experimento suo discere possunt, quam parum in salute spirituali provehantur. Reliqua omnia faciliora sunt, quam quæ nos morari debeant, qui ad alia graviora properamus.

Aliud quoque dubium est, idque gravissimum: *An habens facultatem a proprio sacerdote eligendi confessorem, possit eligere quemlibet sacerdotem, etiam alias non probatum, nec expositum.* Ad hoc Gabriel, dist. 17. quæst. 2. art. 3. tenet partem affirmativam. Idem tenet Sylvester in verbo Confessor. 1. §. 5. Idem quoque Adrianus post quintam quæstionem de confessione, dub. 1. Referuntque in hoc Hostiensium de pœnitentiis, cap. *Omnis*, & Panormit. Clement. 1. de Privilegiis. Breviter, hæc est communis opinio iuniorum, quam suadent in primis ex cap. finali de pœnitentiis, ubi dicitur: *Permittimus episcopis, & aliis superioribus, nec non minoribus prelatibus exemplis, ut etiam præter sui superioris licentiam, providum & discretum sibi possint eligere confessorem.* At ex vi huius privilegii non oportet eum, qui alias est probatus Confessor, eligere: ergo nec qui a Summo Pontifice, vel episcopo facultatem habet eligendi confessorem, tenetur eligere alias probatum & examinatum.

Præterea, simplex sacerdos ab ordinatione sua habet potestatem absolvendi, sed quia deest illi materia, circa quam possit illam exercere, id circo non absolvit. At pœnitens, qui habet facultatem a proprio sacerdote, præstat se subditum confessori, quem elegit. Talis igitur absolutio, cum habeat materiam, erit valida.

Tertio Summus pontifex, per hoc solum quod voluntarie subicit se simplici sacerdoti, eo ipso dat materiam convenientem absolutioni sacramentali; ergo & quilibet Christianus, qui habet facultatem a proprio sacerdote, ubi primum se voluntarie subdit sacerdoti simplici, &c.

Quarto, quia alias diploma pontificium nihil daret, nam eligere confessores iam expositos, videlicet fratres præsen-

tatos episcopis, & ab ipsis probatos, sine diplomate fideles poterant: ergo per tale privilegium conceditur eis facultas eligendi alias non probatos.

Contrariam sententiam tenet glossa super illud caput, *Omnis utriusque sexus*; & super Clementinam primam de privilegiis. Et certæ hæc opinio glossæ non est contemnenda. Nam ut in cap. 2. de pœnitentiis, in sexto dicitur, in generali concessione illa non veniunt, quæ non esset quis verisimiliter in specie concessurus: sed inter sacerdotes simplices non examinatos sunt multi ignorantissimi, & perditissimi, quibus, si exprimerentur in specie, non fit verisimile, superiorem talem facultatem concessurum: ergo, &c.

Et confirmatur, nam si Summus pontifex institueret iudices in foro interiori omnes sacerdotes simplices sine aliquo examine & probatione, peccaret mortaliter: quod non est existimandum de Summo Pontifice in generali, & publica concessione: & tamen re vera, si daret facultatem eligendi quemlibet sacerdotem, eo ipso facit universos Sacerdotes, etiam stultissimos, iudices in foro interiori: quod nisi prælati pestilentissimis tribuere indignissimum est.

Confirmatur ultimo, quia Summus pontifex in diploma semper notat, se concedere facultatem eligendi confessorem idoneum: idoneus autem in iure appellatur, qui habet publicam iuris sufficientiam. Verbi gratia, *Religiosus præsentatus episcopo iuxta normam Clementinæ, Dudum de sepulturis*: Item clericus examinatus & probatus ab episcopo, licet alias non habeat iurisdictionem, per probationem tamen factus est idoneus, &c.

Propter hæc argumenta, quæ videlicet mihi magnam faciunt fidem, ego tenui semper, teneoque, quod si sacerdos alias est probatus ab episcopo, vel eius vicario, iuxta morem quem episcopi servant bene instituti, tum per facultatem eligendi confessorem, sive a paroco, sive ab episcopo, sive a pontifice Summo concessam, potest eligi, etiamsi alias nullos subditos haberet, nullamve penitus iurisdictionem. At si quis sit reprobatum ab episcopo, vel a Visitatore relectus, tanquam stultus & ineptus, eiusmodi non potest eligi per clausulam eligendi confessorem. Atque idem omni-

no de illo sentio, qui non est examinatus, & probatus a prærito iuxta formam præscriptam vel lege, vel consuetudine. Quia sententia contraria, ut minimum, ianuam facit patentissimam ad perniciem populi christiani, dum indiscriminatim eliguntur ab ignorante plebe sacerdotes ignorantissimi. Atque utinam qui illam opinionem invexerunt, prudentiore consilio incommoda, & sacrilegia, quæ exinde consecuta sunt, considerassent.

Præterea ridiculus esset, imo nefarius Summus pontifex, si examen, & probationem idonei confessoris relinqueret arbitrio cuiuslibet popularis, non minus quam si examen iudicis ecclesiastici in foro exteriori aut sutoribus, aut sartoribus committeret. At per illam opinionem, quam refellere conamur, quilibet idiota, & vulgaris homuncio pro suo arbitrato potest, ut eligere confessorem, ita quoque expendere, ac probare. Atqui quanto satius est, ratione christiana duce, credere, duo esse præcepta necessaria, alterum ne quis alieno sacerdoti confiteatur, alterum ne quis sacerdos non examinatus confessiones audiat! Nempe, si hæc præcepta duo (ut necessum est) admittimus, per facultatem eligendi confessorem solvitur poenitens ab obligatione confitendi proprio sacerdoti: quod primo præcepto iuebatur. At non solvitur sacerdos a præcepto, quo videlicet astringitur, ne confessiones audiat non examinatus. Quare semper peccabit mortaliter contra illud secundum præceptum, si audierit confessiones non probatus. Non est autem verosimile, eiusmodi sacerdotibus iurisdictionem esse collatam, qui quoniam iure optimo audire confessiones inhihentur, si audiant, mortalis peccati rei efficiuntur.

Præterea, si Summus pontifex omnes tales constituit iudices, non posset episcopus concedere legem, ut illi non audiant confessiones, nisi prius examinati. Atque adeo ne posset quidem stulto sacerdoti confessoris officium prohibere: esset enim perinde ac si prætor iuberet, ne delegatus a principe iudicaret. Et item prælati religionum qua auctoritate possent punire religiosos non expositos, & examinatos, cum per hæc diplomata eliguntur in confessores? Nam si Generalis ordinis, aut Provincialis faceret me iudicem alterius re-

## 622 RELECTIO DE POENITENTIA.

ligiosi, non intelligo, quo pacto inferior possit prohibere. Quemadmodum si daret mihi Provincialis facultatem cæ-  
nandi, aut constitueret me Vicarium monasterii, ignoro  
prorsus, qua auctoritate Prior illud impediret. Et tamen  
fatentur omnes, eiusmodi leges ab episcopis vel prælatis  
monasteriorum ferri optime posse, quippe ut necessarias  
ad rectam & populi christiani, & monachorum institu-  
tionem.

Denique (ut semel finiam) rogo eos, qui oppositam opi-  
nionem defendere volunt, an sacerdos depositus auctoritate  
publica, ac degradatus possit eligi per generalem concessio-  
nem eligendi quemlibet sacerdotem. Quod si neget (ne Theo-  
logus insanus habere) iam quæro rursus, quis possit eligi,  
cum detur in diplomate facultas eligendi quemlibet sacerdo-  
tem? Dices forsitan: excipitur depositus, & degradatus, quem-  
admodum & excommunicatus nominatim, & percussor cleri-  
ci manifestus: quoniam eiusmodi sacerdotes legibus ecclesie  
peccularibus, a Sacramentorum administratione reiecti sunt.  
Bene volo: hoc enim tuo te gladio iugulare possum, nam &  
sacerdotes non probati, seu reprobati ab episcopis, atque eor-  
um Visitoribus, legibus certis arcentur a Sacramenti huius  
administratione.

Ad argumentum itaque primum, concedo antecedens.  
Supponitur enim, episcopos & prælatos electuros esse con-  
fessores peritos; nam ad illos iure pertinet examen, & pro-  
batio confessorum. Nego tamen consequentiam, quoniam ad  
populares non spectat sua electione idoneos facere confessores  
& iudices, sed ex iam probatis unumquemlibet eligere. Imò  
ex illo cap. potest fieri argumentum pro nostra sententia: *Pro-  
vidum*, inquit, & discretum sibi possint eligere confessorem.  
Quod si episcopi ex illo privilegio improvidam, & indiscre-  
tum deligere nequeunt, cur concedamus hominibus vulgi, ut  
si elegerint ineptissimum, & improvidissimum sacerdotem,  
quod absurdissimum est; id est privilegio Summi pontificis  
consequatur?

Ad secundum iam respondimus, sacerdotem non habere  
potestatem iurisdictionis ab ordinatione sua. Nec ad hanc po-  
testatem satis est, quod peccator se præbeat materiam, &  
subditum sacerdoti: hoc enim verum esset, si auctoritas ab-  
sol-

solvendi esset iudicis arbitrio, qui scilicet per voluntariam subiectionem reorum iudicandi acciperet potestatem. At retro nos ostendimus, sacerdotes auctoritatem iudicandi non a populo, sed a Deo accepisse, nec hanc ex iure divino quolibet sacerdotes habere, sed solos pastores, vel eos qui a pastoribus fuerint delegati.

Ad tertium, nego antecedens; sed sicut ante diximus, sacerdos electus a papa, a Christo Domino immediate accipit iurisdictionem.

Ad quartum, nego consequentiam. Nam non omnis examinatus & probatus iudex meus erat constitutus. Sunt in civitate & alii parochi præter meum, & alii quoque probati ab episcopo, qui per probationem facti sunt idonei, ut eligi possint in iudices. Datur ergo facultas eligendi ex examinatis quemcumque ego voluero: id enim rationabiliter concedi poterat; sed eo amplius non nisi irrationabiliter. Quod autem additur, etiam de ordine mendicantium, mirum est, si nos torqueat, velimusque in apicibus diplomatum esse mysteria; pari enim argumento crederemus irregularitatem esse mentalem. Magis non terret consuetudo recepta, quæ cum tot auctorum gravissimorum sententia confirmetur, probabilis ignorantia excusari potest. Sed an hæc consuetudo ius absolvendi conferat, incertum est. Sola namque ea ius hoc præstat, quam prælati vident, & tacent: ut episcopi videntes sacerdotes simplices mutuo se absolvere, interpretative & implicite concedunt huiusmodi iurisdictionem. Sed quod Summus pontifex hanc consuetudinem sciât, quæ videlicet apud Hispanos maxime invaluit, me profecto fugit. Quamobrem in Sacramento adeo necessario non existimo tutum, huic nos periculo committere, ut eligamus sacerdotem, cui forsitan Summus pontifex auctoritatem absolvendi minime concesserit.

Iam si hinc colligere velis, ne viros quidem peritissimos eligi posse, si non fuerint ab episcopo probati, etiamsi Theologiæ sint professores; huic ego respondeo, eiusmodi viros in Theologia magistros auctoritate publica haberi probatos: non enim solent ab episcopis examinari. Si quis vero sit quilibet doctus, nec auctoritate publica gradus Theo-

## 624 RELECTIO DE POENITENTIA.

logici comprobatus, nec ab episcopo saltim implicite permissus confessiones audire, hunc non probatum, nec examinatum eligere equidem non audeam. Satago enim per certa media certam facere & vocationem meam, & salutem meam. Atque in sexti principalis argumenti explicatione hæc satis dicta sint.

Septimum vero id quærit, *An venialia peccata teneantur confiteri.* At certissimum est, minime teneri: primum enim communi omnium Theologorum consensu: deinde ex communi ecclesiæ consuetudine, qua post confessionem mortaliū nullus christianus sollicitus est de confitendis venialibus. Item ex Divi Augustini testimonio in inchoatio cap. 71. Et refertur de Pœnitentia, distinct. 3. cap. *De quotidianis*, habeturque idem in libro de Ecclesiasticis dogmatibus, capite 13.

Præterea, qua ratione iure Divino teneremur aliqua, venialia confiteri, pariter & omnia: quod non modo gravissimum esset, verum etiam impossibile. Et cum dolor de venialibus non sit necessarius, ne confessio quidem venialium necessaria est.

Ad argumentum igitur responderet Adrianus, quæstione quarta de confessione, artic. 1. ad quartam confirmationem, quod testimonium illum Ioannis solum procedit de peccatis mortalibus. Et quantum ego quidem sentio, de his directe & primario Dominus loquitur, quæ videlicet sicut sacerdotes absolvendo remittunt, ita non absolvendo retinent. Non est enim verisimile, æquivoce accipi peccati nomen in illo eodem contextu, ut videlicet in ordine ad verbum, *Remiseritis*, capiatur pro mortalibus, & venialibus, in ordine vero ad verbum, *Retinueritis*, pro solis mortalibus. Et cum potestas remittendi, & retinendi huic concessa sit, potestas clavium ad aperiendum & claudendum regnum cœlorum non comprehendit directe venialia, per quæ regnum cœlorum non clauditur.

Sed cum obiicitur, peccata venialia non esse materiam huius Sacramenti, quia Christus hic non loquitur de venialibus, ubi tamen intuitu huius Sacramenti materiam: ita fieri, ut confessio venialium non esset sacramentalis, contra

Mia-

Magistrum atque omnes doctores Scholasticos, imo contra ecclesiæ sensum, credunt enim fideles, accipere absolutio- nem sacramentalem, cum venialia sacerdotibus confiten- tur: nec sacerdotes usurparent sibi potestatem iudicandi de venialibus, nisi eam a Christo Domino accepissent: Ad hanc, inquam, obiectionem respondetur, quod qui conce- dit maius, is ex consequenti concedit quoque minus. Nam si princeps committit mihi remissionem gravissimorum sce- lerum, sine dubio intelligitur concessisse remissionem le- viorum. Nec est eadem ratio de potestate retinendi, quo- niam si maiora peccata retineri dicuntur, non exinde censen- tur retineri minora, quæ videlicet multis aliis modis remitti possunt.

Sed oritur tamen dubium, *An saltem ex præcepto ecclesia tenentur homines venialia confiteri.* Nam in cap. *Omnis utrius- que sexus, de pœnitentia. Confiteatur* (inquit Innocentius) *omnia peccata sua semel in anno. Omnia*, inquit; & cum constitu- tio illa obliget omnes, nullo excepto, sequeretur ecclesiam in hac lege supponere, omnes fideles singulis annis peccare mortaliter, si sola mortalia præcepit confitenda. Et confir- matur, ex eo enim, quod dicit Decretalis: *Omnis utriusque sexus, &c. universi obligantur ad præceptum communionis in Pas- cate, sive moraliter peccaverint, sive non*: ergo & ad præcep- tum confessionis. Vnde in Clementina 1. de statu Monachor- um, confessio venialium Monachis præcipitur semel in men- se. Omnibus igitur fidelibus semel in anno præcipitur, ut & D. Thomas videtur insinuare, dist. 17. quæst. 3. artic. 1. quæst. 3.

At vero huic quæstioni respondet egregie Caietanus, 3. part. quæst. 65. artic. 2. ad quartum; & in additionibus 3. partis, quæst. 1. de confessione, statutum ecclesiæ non obli- gare eos, qui solum habent venialia peccata. Primo, quia lex illa de confessione semel in anno facienda limitatio est Divini præcepti, quantum ad tempus: sed præceptum Di- vinum non comprehendebat habentes venialia peccata, &c.

Secundo, quia, ut Divus Thomas argumentatur, arti- culo illo proxime citato, ad tertium argumentum, decreta-

## 626 RELECTIO DE POENITENTIA.

lis illa dicit, omnia peccata: quod de venialibus intelligi non valet: nemo enim omnia venialia potest confiteri. De mortalibus itaque solum intelligitur, sicut & illud concilii Florentini definientes, ad integritatem confessionis pertinere, ut peccator omnia peccata, quorum memoriam habet confiteatur.

Tertio, ex eo quod dicit, proprio sacerdoti: peccata autem venialia non exigunt proprium sacerdotem.

Postremo, quia ecclesia confessionem voluntariam occultorum præcipere non potest: esset enim gravissimum onus, sine causa necessaria, cum aliis multis modis veniale peccatum remitti possit.

Atque hæc communis est Theologorum doctrina. Nam argumenta contraria facile solvuntur, præter illud ultimum: cui respondetur, eam Clementinam obligare quidem Monachos ad menstruam confessionem venialium, non tamen sub mortali, ut patet ex pœna subiuncta, quæ non adeo gravis est.

Ac de confessionis præcepto quidem, quoniam fuse, varieque disseruimus, dictum poterat videri satis, nisi illa quæstio consequenter occurreret, *de tempore, quo in re divino confiteri tenemur*. Quam ego quæstionem si nunc ommitterem, in iustas multorum reprehensiones incurrerem.

Et quidem nonnulli existimant, satis esse (quod ad divinum ius attinet) semel in vita confiteri, quia non est (inquiunt) maior ratio, quare obligemur magis in uno tempore, quam in alio: ex lege quippe Dei, nec post horam, nec post diem, nec post mensem, nec post annum, confessionis vinculo astringimur. Nam quod Innocentius IV. super cap. *Omnis utriusque sexus*, &c. Archidiaconus super caput *Ille rex, de poenitentia*, distinct. 3. tenuerunt, obligari scilicet homines ad statim confitendum, uno Theologorum consensu explosum est. Et a Divino Thoma distinct. 17. quæst. 3. artic. 1. quæst. 4. duobus irrefragabilibus argumentis refellitur: quorum alterum sumitur ex Sacramento baptismi multo magis necessario, quem tamen illico suscipere non tenemur: alterum ex natura præcepti affirmativi, quod non protinus obligat.

Ius



Ius itaque divinum nullum certum tempus confitendi præscribit.

Hæc disseruntur ab his, qui confessionem semel in vita faciendam definire volunt. At falluntur tamen: nam semel in vita de omnibus peccatis confiteri, est impossibile: magna enim ex parte oblivione delerentur. Quamobrem lex de integritate confessionis plurimum fraudaretur, ad quam pertinet, omnia peccata mortalia confiteri.

Quocirca dicendum est, Christum Dominum non tulisse leges aliquas communes, quas ecclesia postea ad tempus, aut etiam ad locum peculiariter determinaret. Præcepit enim Christus Dominus, in ecclesia sua episcopos esse, sed non reliquit pro singulis diæcesibus definitos. De Dei cultu, festisque servandis divinum præceptum est, sed certum tempus evangelium non præscripsit. Eiusmodi itaque præcepta commode servari non possent, nisi ecclesia quædam vel loca, vel tempora præfiniret. Nam (ut posterius hoc exemplum persequamur) ridiculus esset: qui præceptum de Dei cultu sese arbitraretur implese, semel in vita ab opere servili quiescendo. Sic ergo præcepta de sumenda eucharistia, & confessione reliquit Christus, nec revera potest determinari ex solo divino iure, pro quo tempore hæc præcepta nos obligent. Sive dicamus semel in vita, seu potius in mortis articulo, nihil dicimus prorsus, sed tunc obligamur, quando ecclesia definierit. At hoc est (inquires) de iure positivo, semel videlicet in anno confiteri: fateor, sed citra hoc ius humanum, quod ad certum tempus confessio limitatur, divina de confessione lex incommode servaretur.

Sed sunt tamen aliqui casus, in quibus ius ipsum divinum obligat ad confitendum. Primus est in periculo mortis. Secundus, cum quis voluerit eucharistiam sumere, si reus est peccati mortalis; tunc enim habet præcedere confessio iuxta Christi institutionem. Tertius est ratione periculi carenti confessore, quem nunc habeo, non habiturus tempore necessario. Nam quartus de confessione quotannis, non solius præcepti divini est, sed divini limitati ac definiti per humanum; & ita utriusque iuris violatio unicum pec-

## 628 RELECTIO DE POENITENTIA.

caum est, quoniam ambo illa præcepta unicum actum iniungunt, & alterum est alterius determinatio.

Quintum vero, quem Durandus adiecit, 4. distinct. 17. quæst. 10. & Paludan. eadem distinctione, quem Adrianus quoque refert, quæst. 3. de confessione, scilicet quando aliquis ex errore conscientiae se teneri putat ad statim confitendum, nos existimamus supervacaneum. Non enim obligat præceptum de confessione in tali eventu, sed ipse habens erroneam conscientiam sese ligat, quandiu non deponit talem errorem. Quemadmodum ergo in cæteris præceptis affirmativis, cum quarimus, quo tempore obligent, vnum forsitan esset, duo tempora præscribere, alterum ex necessitate, alterum ex errore conscientiae: ita quoque cum eventa & casus enumeramus, quibus præceptum de confessione ligat, is qui recensetur ex errore conscientiae, supervacuum videtur esse: imo re vera falsus, si naturam & obligationem huius præcepti, de quo disserimus, consideremus. Quatuor igitur illi nobis explicandi sunt, idque quam maxima brevitate.

Circa primum casum diligenter advertendum est, non idem esse hoc sane loco periculum mortis, & articulum mortis. Est namque periculum mortis in his duntaxat, unde mors frequenter solet accidere. Etenim in hastarum ludo, in agitatione taurorum, in navigatione placidi maris, quamvis interim mors sequatur, non est tamen periculum mortis: sed in bello, in mari vehementer turbato, in partu foeminae, de cuius morte probabiliter propter causas naturales timeretur, periculum mortis agnoscimus. Quod certe viri prudentis arbitrio magis, quam disputatione Theologica definiendum est, ut quis morbus periculosus sit & lethalis, prudentis medici finiat arbitrium. At articulus mortis, si nominis vim & proprium usum spectes, non idem est. Cum enim conceduntur per diplomata casus reservati in mortis articulo, non intelliguntur concedi in quocumque periculo, sed cum regulariter certa mors est, aut a morbo, vel vulnere, aut ab exteriori vi, ut cum quis mortis poena damnatur.

Idem intelligo, cum doctores asserunt, in mortis articulo quem-

quemlibet sacerdotem posse absolvere ab omnibus peccatis etiam quemcumque peccatorem. Non enim quemcumque aut navigaturum, aut congressurum cum inimicis quilibet sacerdos potest absolvere, etiam ubi periculum est. Quod si hæc sententia scrupulosa esse videatur, parati sumus eam tractare, cum adversarius (si quis erit) idoneas causas contrariæ opinionis reddiderit.

In secundo vero casu Caietanum habemus repugnantem, 3. part. quæst. 80. art. 4. & in summa, in verb. *Communio*, Corinth. 11. in illa verba: *Probet autem seipsum homo*, &c. Imo cum huius erroris esset ab Academia Parisiensi notatus, respondit, non ex suo capite id asserere, sed ex Pauli testimonio atque sententia. Nec huius opinionis primus auctor Caietanus fuit, sed eam prius Richardus tenuit, in 4. dist. 17. art. 3. quæst. 6. Petrus quoque Palud. ead. dist. quæst. 2. sentire videtur, non esse mortale peccatum sine confessione ad eucharistiam accedere, si homo alias contritus est. Idem etiam sequitur Adrianus, quæst. 3. de confessione, & Abbas in cap. *De homine, de celebrat. Miss.* Stradetur autem hæc opinio primum ex eo apostoli testimonio prioris ad Corinth. 11. *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat.* In quæ verba Div. Chrysost. homil. 18. *Non iubet, inquit, ut alter alteri probetur, sed ipse sibi, non publicum faciens iudicium, & sine teste argumentum.* Eadem fere Theophylactus in eundem locum: *Neminem, inquit, tibi ipsi iudicem proferam: ipse se proba, & sic de pane illo ede, &c.*

Præterea, si divinum præceptum esset, id ex sacris literis colligeretur: non enim nobis licet divina præcepta pro nostro arbitratur fingere. Cum ergo nusquam huiusmodi lex reperiatur, certe qua facilitate invehitur, eadem quoque reicitur.

Præterea, sunt eventa quædam, in quibus licet sine prævia confessione eucharistiam sumere: Primum in villulis, ubi non est copia confessoris. Deinde ubi homo se infamaret, si non perficeret rem divinam: ut si sacerdos post sacrificium inceptum recordaretur alicuius mortalis peccati, &c. esset enim infamia tum vocare confessorem. Tertio etiam prop-

propter reverentiam sacramenti, ut si post consecrationem solus esset cum alio sacerdote, & post consecrationem calicis aliquod mortale veniret, in mentem; nec sacrificium rumpatur poterit sacerdos sine confessione eucharistiam sumere, ut communis Theologorum opinio credit. Hæc autem non licerent, si iure divino confiteri ante eucharistiam teneremur.

Præterea præcepta affirmativa obligant in casu necessitatis, iuxta communem Theologorum proverbium. At quando sanus sumit eucharistiæ Sacramentum, videlicet ex consilio & devotione, non est casus necessitatis: ergo in tali eventu præceptum de confessione non obligat.

Ad hæc, si homo tenetur ante eucharistiam confiteri, id ob eam rationem maxime, quod purus & gratus Deo debet ad hoc Sacramentum accedere. At exinde pari argumento ratiocinemur, administraturum aliquod Sacramentum debere prius confiteri, si quod peccatum mortale commiserit. Nam Sacramentorum administratores mundos, Deoque acceptos esse oportet, nisi velint esse sacrilegi.

Præterea, ad alia Sacramenta suscipienda, ut Confirmationem, Ordinem, Matrimonium, nullo divino præcepto prius confiteri tenemur: ergo nec ad sumendum eucharistiæ Sacramentum, par enim causa aut in omnibus, aut in nullis Sacramentis obligabit.

Denique in cap. *Omnis utriusque sexus, de poenitentis*, Innocentius iubet, ut omnis Christianus semel quidem in anno confiteatur omnia peccata sua, eucharistiam autem sumat in Paschate. Quod si hæc duo Sacramenta connexa essent, essetque necessarium ante eucharistiam confessionem facere, non dixisset concilium, *semel in anno confiteatur*; sed, *ante pascha confiteatur*, ut id temporis percipiat eucharistiæ Sacramentum. Hæc dicuntur ab his, qui nobiscum in hoc secundo casu pugnare voluit. Quem tamen plerique Theologi omni vi & ratione astruere conati sunt: idque adeo effecerunt, ut nostra hac tempestate Caietani placitum unanimi consensu doctorum & piorum fuerit exploratum. Ac re vera non existimo, huiusmodi Caietani sententiam inter opiniones probabiles esse reponendam, sed qua-

tamen nota iniuria Theologis iure possit, alii doctiores iudicabunt. Nam Caietano tantum schola debet, homini alioqui de republica Christiana maxime merito, ut quoad fieri per pietatem licet, parcere ei iure optimo, summisque rationibus debeamus.

Nostra igitur eademque communis Theologorum sententia primum ostenditur ex eo, quod D. Augustinus principium sumit 4. lib. de baptismo contra Donatistas, cap. 24. in hæc verba: *Si quisquam in hac re auctoritatem divinam quaerat, quod universa tenet ecclesia, nec conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi Apostolica auctoritate traditum retissime creditur.* Ex hoc itaque principio fit argumentum. Nam viri pii ab ineunte ecclesia confessionem eucharistiæ præmittendam censerunt: nec id ab aliquo aut concilio, aut pontifice præceptum est. Apostolica igitur auctoritate traditum retinemus, ut & alia nonnulla, quæ non nisi verbo tenus apostoli a Christo receperunt, nobisque tanquam vivæ vocis oracula tradidere servanda. Quod vero consuetudinem hanc confitendi ante eucharistiam, quam modo ecclesia servat, a patribus acceperit, atque adeo apostolis, quæ sequuntur testimonia manifestant.

Eusebius in primis, 6. histor. eccles. cap. 25. De Philippo, inquit, *imperatore traditum nobis est, quod cum in die paschæ communicare mysteriis voluisset, ab episcopo loci non prius est permissus, nisi confiteretur peccata sua; & inter pœnitentes staret, nec ullo modo copiam sibi mysteriorum futuram, nisi prius per pœnitentiam culpæ diluisset. Ferunt igitur libenter eum, quod a sacerdote imperatum fuerat suscepisse, divinam sibi inesse metum, &c.* nec huic loco potest occurrere, ex eo, quod Eusebius de publica confessione sermonem facit: Nam quæ ratio est de confessione publica in ordine ad peccata publica, eadem prorsus est de confessione secreta in ordine ad peccata secreta. Quod enim vel publice, vel occulte confessio fit, qualitas Sacramenti est, non substantia. Et sicut ante diximus, Christus quidem confessionis legem tulit, eam vero vel secretam, vel publicam fieri, rationi ac prudentiæ naturali dereliquit.

Sozomenus deinde, lib. 9. historię tripartitę, cap. 35. hanc consuetudinem ab antiquissimis temporibus Romanos pontifices conservasse, testis est. Idemque testatur, Nectarium episcopum, quibusdam suadentibus, ut singulos ad communicandum iudicio conscientię suę relinqueret, illam antiquitatis consuetudinem sustulisse.

Auctor item libri de ecclesiast. dogmat. cap. 53. *Quem mareatha, inquit, crimina post baptismum commissa premunt, horror, prius sacerdotis iudicio reconciliatum communioni sociari, si vult non ad iudicium, & condemnationem sui eucharistiam percipere.*

Circumfertur præterea inter D. Augustini opera libellus quidam ad Comitem de salutaribus documentis, quem quidem libr. Erasmus, licet D. Augustini neget esse, non negat tamen esse hominis pii. In huius itaque cap. 33. hæc verba sunt: *Quando corpus Christi accipere debemus, antea ad confessionem debemus decurrere, si peccata obnoxia in nobis senserimus, ne cum Iuda proditore diabolum intra nos celantes, pereamus.*

D. August. insuper in epist. 110. ad Ianuarium non reprobatur, quod ex ore disputantis dicitur: Si tanta est plaga peccati, auctoritate Antistitis debet quisque ab altari removeri, ad agendam poenitentiam, & eadem auctoritate reconciliari: hoc est enim indigne accipere, si eo tempore accipiat, quod debet agere poenitentiam, non ut arbitrio suo cum liber, vel auferat se communioni, vel reddat.

Cyprianus vero multis locis huius rei testis est. Nam in epist. 54. tertii libri, quę scribitur presbyteris, & diaconis, *Cum in minoribus, inquit, peccatis agant peccatores poenitentiam iusto tempore, & secundum disciplina ordinem ad exomologasim veniant, & per manus impositionem episcopi, & cleri, ius communicationis accipiant, nunc crudo tempore nondum restituta ecclesię ipsius pace, ad communicationem admittuntur: & nondum poenitentia facta, nondum exomologesi finita, nondum manu eis ab episcopo, aut clero imposita, eucharistia illis datur: cum scriptum sit: Qui ederit panem, aut biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis, & sanguinis Domini. Sed nunc illi rei, non sunt, qui minus scriptura legem noverrunt: erunt autem rei, qui præsumunt, & hæc fratribus non suggerunt,*

runt, ut faciant omnia cum Dei timore, & cum data ab eo, & præscripta observatione. Hactenus Cyprianus. Et paulo post de his, qui hanc traditionem non servant, *Contempta*, ait, *Domini lege, & observatione, quam iidem Martires, & Confessores tenendam mandant, ante reditum nostrum communicant cum lapsis, & eucharistiam tradunt.*

Eadem fere refert epist. 18. eiusdem libri. In sermone autem quinto de lapsis, *Contra evangelii vigorem*, inquit, *contra Domini, ac Dei legem, temeritate quorundam luxur incantis communicatio, irrita & falsa, periculosa dantibus, & nihil accipientibus profutura.* Et inferius: *Ante expiata delicta, ante exomologesim factam criminis, ante purgatam conscientiam manu sacerdotis, pacem putant esse, quam quidam verbis fallacibus venditant.* Et infra, de peccatis, & confessione secreta (ne quis existimet solum de publicis esse sermonem) ita disserit: *Quis quamvis nullo sacrificii, aut libelli facinore constricti, quoniam tamen de hoc vel cogitaverunt, hoc ipsum apud sacerdotes Dei dolenter, & simpliciter conitentur, exomologesim conscientia faciunt, animi sui pondus exponunt, salutarem medelam parvis licet, & modicis vulneribus exquirunt, scientes scriptum esse, Deum non irridetur: & multa alia, quæ gratia brevitate omittimus.*

Præterea Leo Papa in epist. 69. ad Theodorum episcopum Foroiuliensem, referturque de pœnitentia, dist. 1. cap. *Multi-plex: Mediator*, inquit, *Dei & hominum hanc Præpositus ecclesie tradidit potestatem, ut confitentibus pœnitentia satisfactionem darent, & eadem salubri satisfactione purgatos ad communionem sacramentorum per ianuam reconciliationis admitterent.* Hugo etiam de sancto Victore in lib. de Ecclesiast. potestate ligandi, atque solvendi (quem refert Gabriel, lect. 7. super canon.) *Audacter*, inquit, *dico, si ante sacerdotis absolutionem ad communionem Corporis Christi quis accesserit, pro certo sibi iudicium manducat, & bibit, etiam si vobementer doleat, & ingemiscat.*

Præterea, præceptum de ieiunio Quadragesimali (iuxta Caietani sententiam) non est scriptum: & tamen non licet in dubium vertere, an ieiunii ecclesiastici violatio peccatum mortale sit, eo quod Christiani etiam sine scripta lege ita ieiunant, ut reos gravis mortalisque peccati se existiment, si ie-

## 634. RELECTIO DE POENITENTIA.

ium solvant. At viri sancti, ac timentes Deum, cum homo habet in promptu idoneum sacerdotem, eiusmodi condemnant, si accedat ad eucharistiam sine prævia confessione.

Nec quisquam inter fideles, vir bonus, & sapiens ausus est unquam post mortale peccatum ad eucharistiam sine prævia confessione venire. In mente igitur cuiusque fidelis scriptum est, & in animo quasi insculptum de confessione ante eucharistiam facienda præceptum.

Præterea suadetur id ex eo quod habetur Matth. 5. *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quod frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo.* Inde itaque sic argumentor: Christiani non habemus nisi unicum munus, quod offeramus ad altare: ergo prius debemus fratri reconciliari si quem offendimus, quam hoc munus de altari, aut manu sacerdotis accipiamus. Multo igitur magis, qui ecclesiam offendit per peccatum mortale, ecclesia debet reconciliari per confessionem, quam reconciliationis sacramentum ob id antiqui appellaverunt.

Præterea, ad ministros ecclesiæ pertinet, ad hoc convivium dignos admittere, indignosque repellere, iuxta parabolam Matth. cap. 22. de eo, qui inventus est in convivio non habens vestem nuptialem. At dignos admittere, indignos repellere, nisi per confessionem, non queunt. Et profecto, si constaret ecclesiæ, quenquam peccasset mortaliter, non exciperet ad hanc amicorum mensam Dei inimicum, nisi prius per sacramentum confessionis Deo sibi reconciliaretur.

Ad primum igitur argumentum respondetur, testimonium apostoli nec confessionem præscribere nec excludere. Tantum enim iubet, ut homo expendat vitam suam, examinetque conscientiam, ut si iustum se invenerit, securus accedat, sin vero iniustum, vid. at quid facto opus sit, ut digne Corpus Dominicum accipiat. Verbi causa, si inimicitias habuit, probet seipsum, non ut sua probatione contentus, suoque interiori dolore Sacramentum eucharistiæ sumat; sed ut examinatus, atque probatus inimici gratiam quærat, cui iniuriam fecit, & veniam petens inimicitiam priorem aboleat, non in-



terius modo, sed etiam exterius, in hunc modum, si publice fuerit: homo aut concubinarius, aut usurarius, sumpturus eucharistiæ Sacramentum probet seipsum: non in eum sensum, ut post contritionem secretam de pane illo edat, & de calice bibat; sed ut iuxta criminis qualitatem, post examen, & probationem, publicas peccati occasiones adiciat, pecunias, quas iniuste rapuerat, reddat, scandalo populi satisfaciat, &c. In hunc etiam modum post quocumque peccatum probet seipsum homo. Et si veniale fuisse repererit, nihil opus est, ut de confessione sollicitetur: sed si dolorem interiorem habeat, de pane illo edat, & de calice bibat. Sin vero mortale fuerit, quod commisit, ad Sancta Sanctorum non nisi per ianuam reconciliationis introeat. Pro nobis itaque facit testimonium Pauli, non contra nos, si recte intelligatur. Nam, ut Chrysostomus adnotavit hæc sui temporis intelligentia fuit; in quo Nectarius episcopus peccatores suo iudicio reliquerat, & confessionem sacramentalem abiecerat, ut retro nobis ostensum est. Theophilactus autem nihil aliud fuit, quam brevior, similiaque D. Chrysostomi.

Ad secundum, iam ex dictis facile patet. Non enim omnia præcepta sive Christi, sive ecclesiæ habentur scripta, sed quædam ex traditione, moreque servantur. Certe consuetudinem hanc graviter in ecclesia, diuque servatam vinculo peccati mortalis astringere, qui negaverit, pari confidentia negare potuerit, consuetudinem ieiunandi certis diebus olim ab ecclesia servatam peccati mortalis obligationem inducere. Quamobrem præceptum esse peccatori, ut ante eucharistiam confiteatur, inficiari non possumus. An vero ius hoc ab ecclesia, an a Christo Domino extiterit, id verti in quæstionem potest. Nos divinum præceptum esse arbitramur, quod per manus a Christo ad apostolos, ab apostolis ad nos venit.

Ad tertium non est difficile respondere, si quæ superius diximus, teneamus. Simili enim argumento probaretur, confessionis integritatem non esse iure divino præscriptam: quoniam licet vel propter incommodum, vel propter scandalum evitandum, peccatum aliquod mortale in confessione retinere. Leges itaque Christi Servatoris nostri suaviter disponunt

## 636 RELECTIO DE POENITENTIA.

omnia, salva semper & naturæ æquitate, & prudentiæ ratione. Nam & arbitrio boni, prudentisque viri decernendum est, quanta locorum intercapedo necessaria sit, ut confessor absensesse credatur, censeatque poenitens non habere copiam confessoris. Porro si confessor intra civitatem sit, quamlibet longo intervallo distet, debet poenitens ad ipsum accedere. Si tamen poenitens sit in oppidulo, quod a civitate tribus miliaribus distet, tunc ego non censerem huiusmodi poenitentem copiam confessoris habere.

Ad quartum respondetur, præcepta dupliciter obligare, per se, & per accidens: ut poenitentia per se quidem obligat in periculo mortis; per accidens autem, cum quis vult Sacramentum aliquod vel suscipere, vel administrare. Quod igitur de poenitentiae lege, idem de confessionis præcepto dicere, consentaneum est, ut per se in articulo necessitatis confiteri teneamur; per accidens autem, ut digne suscipiamus eucharistiæ Sacramentum; cui digne suscipiendo peculiarem dispositionem, & poenitentiam lex Divina præscripsit.

Ad quintum, non propter animi puritatem solum, & Dei gratiam necessariam, sed propter Christi peculiare præceptum confiteri ante eucharistiæ debemus. Administraturi autem sacramenta, nulla aut Christi, aut ecclesiæ lege confiteri tenentur, sed solum animi mundiciem habere, quæ sola in priori poenitentia comparatur.

Ad sextum, non esset penitus absurdum, si diceremus, ad reliqua etiam sacramenta sumenda confessionem præviam esse peccatori necessariam: ut sicut baptismus ianua omnium sacramentorum est; sic secunda post naufragium tabula recedenti post baptismum in mortale peccatum, sit aliorum quoque ianua sacramentorum. Id autem Leo Papa in epistola iam citata docere videtur, inquit: *Ad communionem sacramentorum per ianuam reconciliationis admitterent.* Non ait, *Ad communionem eucharistiæ Sacramenti*, sed *ad communionem sacramentorum.*

Præterea, de consecrat. dist. 5. cap. *Vi ieiunii*, concilium Aurelianense iubet, ut qui ad confirmationem veniunt, moriantur confessionem facere prius, ut mundi donum Spiritus Sancti valeant accipere.

Præterea, si ecclesiæ constaret quemquam fuisse publicum peccatorem, non ei administraret ordinis, sive confirmationis, aut matrimonii sacramentum, nisi prius sacerdotis auctoritate Christo Domino, atque ipsi eidem ecclesiæ fuisset reconciliatus. Indignum enim est, ut qui ecclesiam offendit, munus ecclesiæ & ministerium sine prævia conciliatione recipiat. Vnde Divus Thomas in 4. dist. 24. quæst. 1. art. 3. q. 1. ad 3. *Aliqua, inquit, medicina sunt, quæ exigunt robur naturæ, alias cum periculo mortis assumuntur; & alia sunt, quæ debilibus dari possunt: ita etiam in spiritualibus quadam Sacramenta sunt ordinata ad remedium peccati, & talia peccatoribus sunt exhibenda, sicut baptismus, & pœnitentia; illa vero quæ perfectionem gratiæ conferunt, requirunt hominem per gratiam confortatum: & talia, ait, non sunt peccatoribus exhibenda.* Quo loco certum est, peccatores a D. Thoma, vocari, qui mortaliter ante peccaverunt, etiamsi dolorem habeant de peccato, animumque in futurum recte ac iuste vivendi. Nam si peccatores appellaret, quibus interior pœnitentia non est, profecto nulla Sacramenta essent peccatoribus ministranda. Videtur ergo Div. Thomas sentire, ecclesiam his, qui ante peccaverunt, si habeant tamen interiorem de peccato dolorem, Sacramenta baptismi & pœnitentiæ administrare debere: at reliqua Sacramenta non nisi per Sacramentum aliquod eorum iustificatis, quæ directe ad iustificationem ordinantur: ut baptismus, & pœnitentia. Atque id etiam definisse videtur Innocentius primus in epistola ad Ruffum & Eusebium cap. 4. his verbis: *At dicitur legitimi sacerdotis benedictio auferre omne vitium; ergo si ita est, applicentur ad ordines sacrilegi, adulteri, atque omnium criminum rei. Quia in ordinatione omnia vitia putantur auferri, nullus sit pœnitentiæ locus, quia id potest præstare ordinatio, quod longa satisfactio præstare consuevit.*

Sed quoniam huiusmodi argumenta retundi possunt, & præceptum eiusmodi non ratiocinatione, sed traditione maiorum constare debet, dicamus sane, non esse eandem causam, quoniam alterum nobis traditum est, alterum non item.

Ad ultimum Divus Thomas in 4. dist. 17. quæst. 3. art. 1. quæst. 4. ob eam rationem tenere videtur, quod obligatio, qua ecclesia obligat ad confessionem semel in anno faciendam,

## 638 RELECTIO DE POENITENTIA.

samitur ex eo, quod liget semel in anno ad eucharistiæ sumptionem. Ait enim: *Ad eucharistiam nullus post peccatum mortale, nisi confessus debet accedere, copia sacerdotis oblati: & inde venit obligatio, qua ecclesia omnes obligat ad semel in anno confitendum, quia instituit, ut semel in anno, scilicet in Pascha, omnes sacram. communionem accipiant: & ideo ante tempus illud confiteri tenentur.* Hactenus ille, & iuxta hanc sententiam connexa sunt etiam in ecclesiæ præcepto hæc duo Sacramenta.

Id autem etiam suadet ex concilio Agathensi, quod refertur dist. 50. in cap. *Et ex pœnitentiâ Romano*: ubi dicitur, quod hebdomada priore ante initium Quadragesimæ, tum primum confitentibus peccata sacerdotes pœnitentiam dent. Citat quoque Beatus Rhenanus in fine annotationum super Tertullianum, decretum alterius synodi, quo præscribitur, ut feria 4. ante Quadragesimam peccatores confiteantur. Ac revera publice pœnitentes in die Cinerum ex more antiquo peccata sua confitebantur. Imo adeo nunc etiam qui in Quadragesima non confitentur, existimant se illius præcepti prævaricatores. Prælati quoque excommunicant illos, qui in Quadragesima non fuerint confessi. Præceptum igitur de confessione iure etiam ecclesiastico eucharistiæ præcepto adiunctum est. Nam & Sixtus IV. in quadam *Extravag. de tregua & pace*, cuius initium, *Vices illius*, iubet, ut Mendicantes desistant prædicare, parochianos non obligatos, saltem in Paschate, proprio confiteri sacerdoti.

Verum enim vero, cum in illo cap. *Omnis utriusque sexus*, Innocentius dedita opera limitasse videatur præceptum communionis ad Paschale tempus, non item præceptum confessionis: dixit enim: *Confiteatur semel in anno, suscipiens ad minus in Pascha eucharistia Sacramentum*: non video ego: cur ex eo præcepto fideles astringamus ad confitendum in Quadragesima.

Præterea, si quis peccaverit mortaliter diu ante Quadragesimam, & statim confiteatur peccatum suum proprio sacerdoti, quæro, an ille impleat præceptum illius capituli, nec ne: si implet, vincimus: si non implet, ergo etiamsi non peccasset mortaliter usque ad Pascha post priorem confessionem, tenetur

tur iterum eadem peccata confiteri, a quibus semel absolutus est.

Præterea, si homo habeat legitimum impedimentum ad communionem accipiendam, ut frequentem vomitum, vel quia detinetur in carcere, vel quia non habet ætatem idoneam ad eucharistiam percipiendam, rogo, an præcepto de semel in anno confitendo satisfaciatur, cum ante Quadragesimam confitetur: quod negare quoniam impudentia est, teneamus, præceptum communionis ad certum anni tempus constringere, præceptum vero confessionis non item.

Verum est itaque, ante eucharistiam oportere confiteri, quotiescunque illam homo percipiat, sed non ex illo præcepto concilii Lateranens. sed ex divina lege, ut prius nobis ostensum est. Nec intentio præcipientis obligat, sed forma præcepti. Vnde quamvis summus Pontifex præciperet confessionem, eo fine, ut eucharistiæ præmitteretur, non tamen suo ad id præcepto obligavit. Iam enim erat ius divinum, quo huiusmodi confessio semper erat præmittenda, si ve in Paschate seu quocunque alio tempore eucharistia sumeretur.

Circa tertium casum dubium oritur. Eadem enim ratione homo sanus in principio diei, si timeret febrim superventuram; teneretur divinum totius diei officium prævenire. Imo etiam teneretur prævenire ieiunium præceptum ab ecclesia, si probabiliter crederet, se præscripto die non habiturum ieiunandi facultatem. Item, si in Paschate crederem, me habiturum legitimum impedimentum eucharistiæ suscipiendi, deberem quoque prius sumere, cum adesset opportunitas.

Ad hoc respondetur, non esse simile. Nam quædam præcepta sunt homini ad certum & determinatum tempus implenda, ut de ieiunio Quadragesimæ, aut vigiliæ alicuius festi: & eiusmodi non est necesse prævenire, etiamsi existimemus impedimentum legitimum nos habituros tempore, quo essent implenda. Aliæ vero præcepta sunt sine determinatione temporis, quæ videlicet nos obligant, ut aliquando impleantur, saltem semel in vita, ut sunt media ad salutem necessaria, atque præcepta, quæ de huiusmodi feruntur, antevertere necessum est, ut de baptismo. Imo qui nunquam in vita eucha-

ris-

ristiam suscepit, credens futurum periculum mortis, nec habiturum se eucharistia copiam, praevenire debet, cum habet copiam. Nam tenetur saltem semel in vita illud praeceptum implere. Hinc navigaturos periculoso tempore, si non habet in navi confessorem, tenetur periculum praevenire.

Hinc Christianus, qui tenetur semel in anno confiteri ex ecclesiastica lege, si credat se non habiturum copiam confessoris in duobus postremis mensibus anni, obligatur ad confessionem faciendam intra decem menses priores illius anni: verbi gratia, si habeat quis proluxa maria transfretare, etiamsi alias nullum navigationis periculum esset.

Sed quid illi primo argumento respondebimus? nam reliqua faciliora sunt. Nempe, distinguendum est impedimentum legitimum postea futurum. Nam si voluntarium est, teneor profecto Divinum officium ante solvere, cum reliqui temporis impedimentum quamlibet legitimum & necessarium ego libere praestem. Quod si impedimentum a natura aut violentia extiterit, uti ab ingruente morbo; tunc ego non astringerem, nisi ad id officii persolvendum, quod pro tempore praesenti atque praeterito debetur. Facultas autem, quae datur ab ecclesia, aut antevertendi, aut postponendi Divinum officium intra diem tamen naturalem, privilegium favoris est, non vinculum necessitatis: h. e. praevenire possumus, non tenemur.

In quarto casu Durandus, in 4. dist. 17. quaest. 14. in dubium vocat, *An statutum illud ecclesia de confessione semel in anno faciendae sit praeceptum, an potius exhortatio ad confessionem.* Suadet autem non esse praeceptum, quod nullum sit ibi verbum, unde vis praeccepti colligi possit: habet enim textus in hunc modum: *Omnis utriusque sexus, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata saltem semel in anno confiteatur proprio sacerdoti, & iniunctam sibi poenitentiam propriis viribus studeat adimplere, suscipiens reverenter ad minus in Pascha eucharistiae Sacramentum.* Quod si dicas, verbum, *Confiteamur,* vim habere praeccepti, idque colligas ex poena subiuncta, *Alioquin & vivens ab ecclesia ingressu arceatur, & moriens Christiana careat sepultura:* contra Durandus argumentatur, quia illa clausula & poena non refertur ad transgressionem legis de confessione, sed ad

ad transgressionem præcepti de eucharistia. Non enim ecclesia legem fert, cuius transgressionem pœna legis punire non potest: frustra siquidem lex eiusmodi pœnalis a legislatore ferretur. At ecclesia non potest punire violatorem legis de confessione, quia non potest ecclesiæ constare, quisnam sit illius legis transgressor: primo propter peccata occulta: secundo, quia non potest cognoscere, an omnia mortalia confiteatur; quod tamen lex præcipit: tertio, quia solus soli sacerdoti confiteri debet, iuxta illam legem, & sacerdos tenetur servare secretum, etiamsi nullum peccatum peccator confiteatur. Quamobrem incassum pœna illa transgressori legis de confitendo præferretur.

At vero communis omnium & Theologorum, & Iurisperitorum sententia certis argumentis astruit, legem illam confessionis ad mortale peccatum obligare: non enim fideles existimant, cum in *Quadragesima* confitentur, ex consilio se confiteri, & non ex præcepto. Quod si quis negligeret toto anno confiteri, male dubio procul apud fideles audiret, & mortaliter peccare crederetur. Et confirmatur, quia prælati in eos, qui non fuerint eo anno confessi, excommunicationis sententia animadvertere solent: supponunt igitur peccasse mortaliter.

Præterea, ut ante docebamus, divinum de confessione præceptum per humanam legem ad certum tempus limitatur. Nam citra huiusmodi limitationem divinum illud præceptum commode servare non posse. Non est ergo exhortatio & consilium, sed præceptum: quippe si consilium esset, vix unus, aut alter in *Quadragesima* confiteretur, nec implendo consilio tanta sollicitudine, timore, ac diligentia plebs universa concurreret.

Ita licet ecclesia non possit confessionem interiorum peccatorum præcipere, nec pro transgressionem pœnam inferre; præceptum a Deo tamen potest ad certum tempus limitare, transgressoresque legis limitatæ excommunicatione plectere. Illa vero pœna decretalis huius, de qua disseruimus, locum habet, cum transgressio præcepti manifesta est, verbi gratia, si non habet schedulam confessoris.

Illud tamen vere verum in quæstionem potest, *An ante*

*quartum decimum annum pueri confiteri ex hac lege concilii tenentur.* Dicit enim concilium, *Cum ad annos discretionis pervenerit, &c.* Sed anni discretionis dicuntur, cum homo tertium decimum, vel quartum decimum attigerit: igitur usque ad id ætatis non tenentur homines confiteri. Quod autem anni discretionis in eum modum sint intelligendi, probatur, quia non obligamus parvulos ad sumendam eucharistiam ante illam ætatem. At simul utrumque præscribitur, & quod omnis homo, cum ad annos discretionis pervenerit, confiteatur, & quod suscipiat eucharistiæ Sacramentum.

Huic quæstioni respondetur, usum rationis non simul circa omnia parvulis contingere. Nam sunt pueri, qui peccata gravia discernere a levibus possunt, distinguere inter cibum sacrum a profano non possunt. Puer ergo, ubi primum habet usum rationis ad peccandum mortaliter, huius legis obligatione constringitur, teneturque iam semel in anno confiteri: sed eucharistiam percipere non tenetur, nisi talem ac tantum usum habeat rationis, quo congruenter sacrum Christi Corpus sumere, & divinitatem possit revereri latentem: proptereaque dixit Innocentius, reverenter suscipiens, &c.

Illud quoque Scholastici auctores vocare in quæstionem solent, *An ecclesia possit in divino de confessione præcepto cum aliquo dispensare.* Nam in eo, quod humanum est, de quorundam peccatorum confessione dispensari per ecclesiam posse, minime controversatur. At illud controversiam habere merito potest; nam reddere vota, iuramenta servare, iuris est & Divini & naturalis: habet autem ecclesia facultatem & dispensandi in votis, & relaxandi iuramenta: ergo, licet confessio iure divino præscripta sit, ecclesia tamen poterit dispensare.

Et confirmatur ex eo, quod Matth. 16. D. Petro dicitur: *Quodcumque solveritis super terram, erit solutum & in cælis, &c.* ergo si quem Petrus absolverit ab obligatione confessionis, ille erit coram Deo revera solutus.

Huic ego quæstioni, quoniam alio loco opportunius disserteretur, solum dabo, quod ad præsentem locum satis est, negando primi argumenti consequentiam. Nec enim est si-



milis ratio de præcepto confessionis & baptismi, ac de præcepto reddendi vota, & servandi iuramenta: quia baptizari, aut confiteri, salutis impedimentum afferre nemini potest, cum in his Sacramentis tota hominis salus consistat, sunt quippe ad salutem necessaria. Quapropter non expediebat, ut relinqueretur ecclesiæ facultas in huiusmodi præceptis dispensandi. At vota & iuramenta præstare, nonnunquam vergit in salutis dispendium, eo quod homines sunt ad iurandum atque vovendum faciles, non habita ratione futuræ incommoditatis. Quamobrem necessarium erat, ut ecclesia Christi potestatem haberet in voto & iuramento dispensandi, quæ scilicet vincula subinde maioribus bonis poterant esse impedimentum.

Et per hoc ad testimonium ex Matthæo respondetur. Nam quia potestas ibi promissa, potestas clavium est ad aperiendum regnum dignis, claudendum vero indignis; & per Sacramenta baptismi & confessionis regnum cælorum susipientibus aperitur, non est Petro collata potestas, ut dispensaret in his Sacramentis, ne suam videlicet destrueret potestatem, ea Sacramenta tollendo, quibus administrandis regnum cælorum habebat fidelibus aperire: sed enim vota & iuramenta servare, poterat esse fidelibus regni cælorum impedimentum. Quocirca sicut potestas clavium limitatur ex ordine ad finem, scilicet apertionem regni cælestis (quapropter non potest ecclesia Sacramenta tollere) ita etiam ex eodem fine amplificatur ad omnia ea tollenda, quæ apertionem regni cælorum impediunt, qualia interim sunt vota & iuramenta. Et certe illius testimonii intelligentiam ecclesiæ usu magis, quam ratiocinatione colligere possumus. Quotus enim quisque per rationem humanam consequetur, qualis quantaque potestas per illa generalia verba: *Quæcumque ligaveris, quæcumque solveris*, fuerit Petro promissa? Accipit quidem potestatem ad ædificationem, & non ad destructionem, ut 2. ad Corinth. 10. Apostolus tradit: unde in his, quæ sunt de necessitate, dispensavit nunquam, nempe non poterat, quod in destructionem esset: In votis autem & iuramentis dispensavit, ac poterat quidem, quod erat in ædificationem.

## 644 RELECTIO DE POENITENTIA.

Vnde D. Thomas, dist. 17. quæst. 3. art. 1. quæst. 5. in necessitate huius Sacramenti fundavit, quod in eo dispensari non possit. Quamvis in solutione ad primum expresse doceat, summum Pontificem in iure divino positivo dispensare non posse. Ita discipuli Divi Thomæ, ut hæc sententiam tueantur, aiunt, prælatos ecclesiæ, cum dispensant in voto, non dispensare in præcepto iuris naturalis, vel divini, sed in eo, quod humani iuris est. Nam vinculum voti mei, lex mea privata est, ita humanum est, non divinum. Habent autem D. Thomam a se, 2. 2. quæst. 88. art. 10. ad 2.

Sed in hac tamen philosophandi ratione duæ difficultates existunt: Prima, quod ea, quæ sunt de iure positivo, potest summus Pontifex, etiam sine causa, tollere & abrogare: ut quamvis male faciat, factum tamen validum sit. At in voto absque rationabili causa dispensare nequit, & si dispenses, irritum est, quod facit. Servare igitur votum, non humani solum iuris est, sed divini.

Altera autem difficultas est, quod si vinculum voti, & iuramenti humanæ facultatis esset, ante divinam legem novam & veterem, per humanam potestatem dissolvi posset: quod si non poterat, certe plusquam humanum erat hoc vinculum. Naturale siquidem est, ut omnis obligatio per quamcumque causas nascitur, per easdem dissolvatur. Si igitur votorum & iuramentorum obligatio per iuris humani arbitrium solum extiterit, per idem etiam arbitrium dissolveretur. Quo fieret, ut qui aut voti, aut iuramenti vinculum induxisset, idem haberet eiusdem solvendi facultatem. Quemadmodum princeps, qui legem dicit publicam, eam solvere potest, & abrogare. Faciamus itaque hic tractatum de confessionis præcepto finem, cuius prolixitatem postremo de satisfactione disputatio compensabit. Erit enim quam brevissima.

De tertia igitur poenitentiae parte, hoc est, de Satisfactione, inter fideles etiam ambigitur, an Divinum præceptum sit. Nam Scotus, dist. 18. & 19. circa finem asserit, nullum poenitentem obligari ad acceptandam poenitentiam quam sacerdos iniungit.

Asserit rursus, quod si satisfactionem iniunctam acceptat,

rat, tenetur implere sub pœna peccati mortalis. Idem sequitur Gabriel, dist. 16. 4. quæst. 2. Quoniam ad satisfactionem pro pœna duo remedia sunt: alterum in hac vita, alterum in purgatorio. Potest ergo pœnitens suo favori cedere, quo ex misericordia Dei satisfactio præsens acceptatur pro futura pœna: atque proinde eligere poterit satisfactionem futuri sæculi.

At hæc opinio nulla ratione nititur. Si enim sacerdos obligare ad mortale non potest, mea acceptatio non inducit peccati mortalis obligationem: quippe non aliter pœnitens implere vult pœnitentiam iniunctam, quam sacerdos obligare potest. Non itaque coherent ambæ illæ assertiones. Quamobrem acutius multo Caietanus in quæst. 2. de Satisfact. ad 2. argum. rerum consequentiam, & connexionem intuitus, existimavit, quod pœnitens nec acceptare tenetur iniunctam sub pœna peccati mortalis, nec acceptam implere.

At vero D. Thomas longe diversam opinionem secutus est in 4. dist. 18. quæst. 1. art. 3. quæst. 3. dist. 20. art. 2. quæst. 2. ad 2. sed & dist. 16. in expositione textus aperte dicit, Joannem quidem fuisse denuntiatorem præcepti de Satisfactione, Christum autem institutorem Sacramenti, & partium eius. Et 3. part. quæst. 84. art. 8. dicit, quod pœnitentia exterior, qua iuxta arbitrium sacerdotis peccator satisfacit, oportet, duret usque ad determinatum tempus secundum mensuram peccati.

Durandus etiam D. Thomæ subscripsit, dist. 17. quæst. 3. ad 2. & Sylvester in verb. Confessio 1. §. 26. Atque hanc nos sententiam tenere debemus, si rectam Theologiæ rationem sequi volumus.

Primum, quia sacrilegium est, Sacramentum aliquod mancum, & imperfectum relinquere. At si satisfactio præmittitur, tertia pœnitentiæ pars, mancum, & imperfectum conficitur Sacramentum. Sacrilegium igitur fuerit, satisfactionem a sacerdote iniunctam vel non accipere, vel non explere.

Deinde, in foro contentioso iudex habet potestatem pœnæ pro delictis imponendi, quam etiam reus subire tenetur:

tur: ergo & iudex ecclesiasticus in foro conscientia hanc habebit potestatem. Non enim potestas apostolis in foro interiore a Christo Domino collata imbecilior est, quam in foro exteriori.

Præterea, potestas, quæ non habet vim coercendi, ridicula est, & in nullos futura usus, ut inter asserendum præceptum de confessione docuimus. Si ergo iudices a Christo instituti non haberent vim, auctoritatemque ligandi ad poenam rationabilem, & iustam pro qualitate, & quantitate delicti, profecto eorum iurisdictio, & potestas de culpis iudicandi merito rideretur.

Præterea, clavis potestas est non solum solvendi, sed & ligandi, ut patet ex definitione clavis, quam & Ioannes XXII. in extrav. *Quia quorundam, de verborum significat.* & communis probat Theologorum consensus; imo adeo Dominus, Matth. 16. Nam cum dixisset, *Tibi dabo claves regni cælorum*, explicaturus, quid nomine clavium intelligeret, e vestigio subdit: *Et quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cælis. & quodcumque ligaveris, erit ligatum.* Quod si æquum habent sacerdotes absolvendi & ligandi potestatem, certe sicut absolvunt vice Dei, cum formam Sacramenti proferunt; ita ligant vice Dei, cum multam pro culpis inducunt. Poenam autem Divina sententia in Sacramento taxatam subire nolle, sine dubio grave peccatum est.

Et confirmatur: Nam si princeps constitueret aliquem delegatum ad iudicandum in Republ. de criminibus, nimirum intelligeremus, illius Reipubl. cives sententiis iudicis instituti obligari ad parendum. Cum ergo Christus sic instituerit vicarios suos, ut Ioannis 20. dicitur, non est dubitandum, quin eorum sententiæ, & in absolvendo, & in ligando, eandem habent vim, ac si a Christo latæ fuissent. Quamobrem eiusmodi sententiis obtemperare fuerit omnino necessarium.

Præterea (quod retro docuimus) exterior satisfactio in præcepto est, cum sit ad salutem necessaria: ergo qui ad aliam vitam remittit satisfactionem, reus peccati mortalis efficitur.

Nec aliud intelligendum est (quod alias sæpe commemo-

ravimus) in lege nova factum esse, nisi ut quam pœnitentiam tenebatur peccator in delicti compensationem Deo præstare, eam præstet sacerdoti Dei vices habenti : quo fieri, ut si in naturæ lege, vel scripta homines exteriorem satisfactionem exhibere pro peccatis tenebantur, teneantur etiam lege evangelica eandem exhibere ad sacerdotum arbitrium, quibus Deus huiusmodi iudicium delegavit.

Age vero, quem dolorem de peccatis, quem animum emendandi vitam ille habet, qui pœnitentiam iustam & æquam iniunctam a iudice Dei locum habente nec vult acceptare, nec implere? Qua rursus humilitate accedit iudicandus, qui iudicis sententiam iustitia, æquitateque plenam negligere non veretur? Cumque etiam vel iudicis arbitri, quem tua voluntate delegeris, iustæ sententiæ nolle parere iniquum sit, ac iudici quoque arbitrio iniurium; quidni sit iniquum pariter, & iniurium, iudici non arbitrio, sed divina auctoritate substituto nolle obedire, cum iustam sententiam profert?

Præterea, etiam ut Sacramentum hoc medicinale esset, non iudiciale, vel etiam tunc absurdum esset, libere pronuntiare, non obligari pœnitentem ad parendum sacerdoti in remediis curationis: quod perinde esset, atque diceretur, non oportere ægrotum medico obtemperare salubriter præcipienti. At satisfactio sacramentalis sicut est in compensationem iniuriæ factæ Deo, ita etiam in medicinam spiritualis ægritudinis. Quocirca intolerabilis opinio est, quæ peccatorem ab obligatione satisfactionis sacramentalis absolvit.

Nos autem admirari satis non possumus, quid causæ fuerit hominibus doctis, ut non rem modo, verum etiam nomen satisfactionis excluderint. Satisfactio enim nomen iustitiæ est, atque hoc loco sane iustitiæ eius, qua Deo pro culpis pœnas debitas solvimus. Quod si iure iusta atque debita Christi, & vicariorum eius iudicia non amplectimur, impuneque licet eorum sententias reiicere: profecto (ut diximus) satisfactionis & r. s. & nomen aboletur; aboleturque proinde omnis obligatio, quæ ad standum, parendumque iudicis humana ratione constituitur.

Illud vero, quod nobis obiiciunt contrariæ opinionis as-

sertores, indignum est; ut a nobis refellatur, & tempus postulat, ut finem iam dicendi faciamus; nam clarus studio res multas & magnas explicandi, longior quidem fui, non inficior; sed erat tamen difficile, argumentum tantum, tamque præclarum inchoatum relinquere. Quod si pro dignitate vestra mihi tractatum non est, veniam, obsecro, detis viri humanissimi: sin autem aliqua ex parte dignitati vestræ fecimus satis, id omnes Deo Opt. Max. acceptum referamus. In cuius gloriam, pœnitentiam, sive virtutem, seu Sacramentum, & ad salutis finem, & ex præcepto quoque Dei pœnitentiam necessariam esse, hætenus dictum sit.

**F I N I S.**

# INDEX

## RERVM MEMORABILIVM,

### QVÆ IN HIS CANI OPERIBVS continentur.

I. *primum volumen* ; II. *vero secundum notat.*

## A

### *Absolutio.*

**A**bsolutio Sacramentalis sententia quædam est in foro iudiciali. II. pag. 609. Actus Sacramentalis absolvendi duplicem potestatem exigit. II. 615.

### *Abraham.*

Non est mentitus pueris cum dixit: Expectate hic, ego & puer cum adoraverimus, revertemur ad vos. I. 9. Fuisse mentitum quædam ratione, aliqui admittunt. I. 17.  
Actio, & passio in uno, eodemque opere considerari possunt. I. 22.

### *Actus.*

Qui peccatum est, si in rerum moralium ordine consideretur, ad causas naturaliter agentes inepte revocatur. I. 30. Actus humani in iustificatione impii nihil aliud faciunt, quam disponere animam ut gratiam Dei recipiat. II. 302. Inter actus voluntatis, & intellectus proportio est. II. 407. Primus actus pœnitentiæ nunquam est sine actu charitatis. II. 454. Actus charitatis prior natura est actu pœnitentiæ, imo illa huius radix est. II. 455. Actus interrupti in confessione quando exprimendi. II. 575.

Adam primus iacet, ubi secundus sepultus est. II. 39.

Affectio animi optima facit ut homo doctrinam Dei ad sa-

## 650 *Index rerum memorabilium.*

lutem necessariam discernat ab errore contrario. I. 52.  
Agnus Paschalis an fuerit legis veteris Sacramentum. II. 378.

### *Alexander tertius.*

Cum iubet in testamentis duos, vel tres testes solum a iudicibus exigere, cap. *Non esset*, de Testam. quomodo intelligendus. I. 425. Voluit iudices etiam laicos in ecclesie patrimonio secundum statuta Canonum de testamentis iudicare. I. 426. Non impedit, quin principes seculares possint plures quam duos, vel tres testes in civium suorum testamentis exigere. I. 427.

Aloysius Lippomanus gravem historiam edidit de vitis Sanctorum. II. 108.

Altare dicitur, in quo offertur sacrificium, sicut mensa, in qua editur cibus. II. 275.

### *Ambrosius.*

Cum ait, Petrum amisisse fidem, nomen fidei pro confessione fidei accipit. I. 439. Non audet asserere, Christum secundum humanitatem aut in sapientia profecisse, aut quicquam ignorasse. II. 338.

### *Anima.*

Asserere, eius immortalitatem ratione naturali probari non posse, erroneum est. II. 358. Immortalem esse ostenditur. II. 359. Animam Christi ab instanti conceptionis Dei essentiam vidisse, Theologi definiunt. II. 324. Animus hominis naturaliter est immortalis. II. 359. Animam hominis non esse in potentia materiae, caeterorum autem viventium animas esse, Moyses manifeste indicat. II. 358.

### *Anni.*

Annorum numerus ab egressione filiorum Israelde Ægypto, ad templum a Salomone inchoatum. II. 65. Annorum numerus omnium qui praefuerunt a Moyse ad Salomonem, in veteris testamenti libris singulatim designatus est, exceptis Iosue, Sangar, Samuel, & Saul. II. 73.

Antonius, & Vincentius Belluacensis non tam vera scribere curant, quam, ne nihil praetereant, quod alibi scriptum reperitur. II. 304.



## *Index rerum memorabilium. 651*

Apocalypsis librum a canonicis excipere, hæreticum est. I. 68.

### *Apostasia.*

Non est hæresis. II. 193. Apostatæ in pœnas hæreticorum incurrunt. II. 195.

### *Apostoli.*

Quædam literis, quædam viva voce prodiderunt. I. 195. Tempore dominicæ Passionis Christi fidem non amiserunt. I. 268. Ex animi perturbatione, & ignorantia dubitaverunt. II. 214. Cum baptizarunt in nomine Christi, non omiserunt nomen Patris, & Spiritus Sancti. I. 429. Quæ ad apostolos pertinent quatenus ad ecclesiæ sacerdotes, hæc ad solos futuros sacerdotes referenda sunt. I. 432. Apostolos confirmatos fuisse in gratia, recte colligitur ex illis verbis: Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis. I. 443. Apostolorum nemo in legibus ecclesiæ ferendis poterat errare, illorum vero successores possunt errare. I. 165.

Aqua benedicta non sanctificat. II. 381.

Arabes quidem dixerunt, animum natura esse mortalem, sed in novissimo die cum corpore immortaliter suscitandum. II. 355.

Arca veteris Testamenti typus ecclesiæ. I. 285.

### *Argumentum.*

Argumenta omnia vel a ratione, vel ab auctoritate ducuntur. I. 4. Argumenta eorum qui suadere conantur, Scripturam sacram non egere approbatione ecclesiæ. I. 35. Argumenta contra auctoritatem Scholasticorum. I. 491. Argumentis, quæ posita sunt contra Machabæorum libros, fit satis. I. 85.

### *Aristoteles.*

Cum ait summum hominis bonum in contemplatione supremarum rerum consistere, errat. I. 548. Evidentiam in disciplinis flagitat, ut rerum cognitio nec fallere possit, nec mutari. II. 134.

Ars est dux certior quam natura. II. 139.

## 652 *Index rerum memorabilium.*

### *Attritio.*

Sufficit ad suscipiendum effectum baptismi. II. 482. Attritio & contritio quid differant. II. 482. Quando ex attritio quis fiat contritus. II. 597.

Attritio quaelibet non sufficit, ut fiat quis ex attrito contritus. II. 597.

Auctoritas in Theologia primum locum tenet, ratio postremum. I. 2.

### *Auctor.*

Libri Regum eos tantum redegit in numerum, quos intellexit, dum iudices administrarent, intercessisse. II. 73. Auctores sacri quomodo se habeant circa vulgi opiniones falsas. II. 38. Auctores sacre scripturæ aliquando loquuntur, ut vulgus solet loqui. I. 133. Auctores sacros in libris canonicis non semper Divino Spiritu fuisse locutos aliqui probant. I. 153. Auctores Sacri quicquid in libris canonicis habetur, Spiritu Sancto dictante scripserunt, I. 156. Eorum scripta in duplici sunt differentia, I. 161. Alii auctores sacri præter apostolos, & illos, qui ab apostolis probati sunt, non spectandi. I. 44. Auctores Sacri sæpe vocabulis imaginum utuntur pro rebus per imagines significatis. II. 259.

### *Augustinus.*

Cum ait, concilia priora a posterioribus emendari, loquitur de legum emendatione, non fidei. I. 383. Ait, nihil fieri nisi voluntate & permissione Dei. I. 30.

Auxilium speciale Dei necessarium est ad credendum. I. 54.

## B

**B**alaam, & Caiphæ verba, non quia ipsi dixerunt, ad fidem spectant, sed quia auctores sacri scripserunt. II.

174.

### *Baptismus.*

In nomine Christi collatus, an iam ratis sit. I. 428. Sine baptismi Sacramento in re suscepto datur salus. II. 536.

Bap-

## *Index rerum memorabilium. 653*

Baptismi trina immersio per contrariam consuetudinem abolita. I. 209. Baptismi Sacramentum num ante Christi passionem institutum. I. 498. Non est necessarium credere Baptismum fuisse collatum ab apostolis per illa verba: Ego te baptizo in nomine Christi. I. 429. Qui ante Baptismum peccavit mortaliter, in eo requiritur aliqua poenitentia interior. II. 480.

### *Baruch.*

A canone Scripturarum Sacrarum eximere erroneum est. I. 64. Eius prophetia, tanquam pars Hieremix veteribus visa. I. 80.

### *Berosus.*

Berosos duos auctor ponit, unum Annianum & mendacem, alterum verum. II. 92. Vnum alteri in multis opponit. Ibid.

### *Bucerus.*

Asserit, tunc credendum esse ecclesix, cum pronunciat secundum scripturas recte intellectas. I. 260. Errat, cum ait, in synodum ecclesix non cogendos nisi filios Dei. I. 316. Negat Christi animam fuisse a principio perfectam. II. 322.

## C

### *Caietanus*

**A**it, Deum non esse auctorem peccati, ut sic, sed quatenus est poena peccantis. I. 24. Fallitur, quod putat prophetiam Danielis referri non potuisse ad idolum Anthiochi. I. 87. Arguitur de falsa intelligentia illius loci *Accedentem ad Deum oportet credere, qui est, &c.* I. 525. & seq. Eius error in expositione sacrarum literarum. I. 459. & seq.

Calvinus ait, Eucharistiam ideo a Patribus sacrificium vocari, quia est exemplar, & imago sacrificii. II. 277.

### *Canones.*

Apostolorum non sunt computandi inter libros Canonicos I. 344. Canones Trullani non habent ecclesiasticam potestatem. I. 372. & seq. Canonum Sacrorum interpretibus creditur adesse Christus. I. 251. Canonici iuris notitiam esse

## 654 *Index rerum memorabilium.*

esse Theologo necessariam probatur. I. 518. & sequent.  
Carion, & historia ipsius Lutherum sapiunt. II. 116.

### *Causa.*

Causarum duo genera, naturale & morale. I. 30. Causæ adiutrices omnes non se habent eodem modo. I. 516. Causas morales non est necesse simul esse cum effectis. II. 602.

Censores fidei admonentur. II. 215. & seq.

Censuræ non solum, sed earum etiam culpæ, & remissio a superioribus reservantur. II. 577.

Cham typus fuit hæreticorum. II. 193.

Chaldæi, & Ægyptii non alios historicos approbant, præter sacerdotes, quod ipsos nunquam mentituros crederent. II. 110.

### *Charitas.*

Remittit peccata. II. 471. An sine poenitentia remittat peccata mortalia. II. 468.

### *Christus.*

Intelligitur per Samaritanum. II. 372. Non accepit testimonium ab homine propter se, sed propter alios. I. 30. Nulum unquam verbum, nisi ex S. Spiritu locutus est. I. 161. In cælo offert sacrificium altaris. II. 314. Est salvator ecclesiæ, non tamen omnes qui in ecclesia sunt salvator facit. I. 285. Christus & Spiritus veritatis cum ecclesia usque in finem sæculi permanebunt. I. 369. Quæ Petro dixit, ut præfecto ecclesiæ, hæc ad successores eius pertinent. I. 432. Christus obtulit sacrificium eucharisticum, ibidem præcepit Apostolis ut facerent. Ibid. & seq. quæ Christus mandavit apostolis, ut futuris ecclesiæ pastoribus, episcopis, & pastoribus mandata sunt. I. 433. Similitudo Christi, & Melchisedech. II. 273. Christus omni gratia perfecte plenus fuit. II. 329. Ex Christo gratia & veritas in omnes emanarunt. Ibid. Solus Christus fuit testis oculatus in negotio fidei. II. 331. Vt Deus & homo fuit a Patre destinatus testis veritatis. Ibid. Quomodo proficiebat sapientia, & gratia apud Deum & homines. II. 334. Christus passus est anno ætatis suæ trigesimo tertio inchoatè per tres menses, & decem dies. II. 32. Quod passus sit, anno ætatis trigesimo quarto, defendi non potest. II. 34.

Pri-

## *Index rerum memorabilium. 655*

Primo anno post baptismum non est publice concionatus. Ibid. Eius passio nobis applicatur in Sacramentis. II. 228. Christi præceptum, & consilium quomodo differant a præcepto & consilio Beati Pauli. I. 161. Eius corpus videtur, tangitur, frangitur, &c. cum species Sacramentales videntur, tanguntur, &c. I. 384. Eius corpus frangitur manibus sacerdotum, non solum Sacramentum. II. 270. Christus in sacrificio altaris immolatur quotidie pro nobis. II. 288. Christi gratia & veritas omnes habuerunt gratiæ & veritatis effectus. II. 329. Gloria ante passionem non fuit consummata, & quicquid ei defuit ad absolutam hominis glorificationem, hoc per passionem meruit. II. 343. Christum nullam tristitiam habuisse in voluntate, sed in solo appetitu sensitivo potest dici. II. 344. Quod habuerit in voluntate intellectuâ maximam tristitiam, probabile est. II. 345. Quod Christus in cruce non habuerit gaudium, quod ex Deo viso in voluntate nascitur, probabiliter sustentari potest. Ibid.

Circumcisio in veteri testamento quomodo baptismo comparanda in novo. II. 433. & 440.

### *Circumstantiæ.*

Circumstantiæ peccatorum duplîces. II. 567. Quæ ad confessionem integram necessariæ. II. 568. & 572. & seq. Circumstantia loci quando in confessione dicenda. II. 575. Temporis non necessario dicenda. II. 576.

### *Claves.*

Ecclesiæ sunt potestas absolvendi, & retinendi peccata. II. 529.

### *Clemens Romanus.*

Non omnes libros Canonicos colligit, quod apostoli verbo tenus ecclesiæ tradiderunt. I. 83.

### *Cognitio.*

Cognitio naturæ imperfecta est, si nulla rerum actio sequatur. II. 130. Cognitio gratuita supponit cognitionem naturalem, quemadmodum gratia naturam. II. 151.

Conclusio Theologica, quam ecclesia, concilium, vel etiam Sancti confecerunt, & fidelibus præscripserunt, hæc veritas catholica censenda est. II. 181.

*Con-*

## 656 *Index rerum memorabilium.*

### *Concilium.*

Universale definire debet, quis liber sit canonicus. I. 47.  
Triplex conciliorum genus. I. 318. Concilium generale est, quod omnium christianorum episcoporum convocazione, & congregatione celebratur. I. *ibid.* Provinciale, quando a Metropolitano omnes unius Provinciae, aut regni episcopi evocantur. I. 319. Episcopale, quod ab episcopis singulis in sua diocesi haberi solet. I. *ibid.* Concilium generale, quod non est congregatum, aut confirmatum auctoritate Summi pontificis, errare in fide potest. I. *ibid.* Confirmatum autem a pontifice certam fidem facit catholicorum dogmatum. I. 341. & 343. II. 181. Concilium provinciale a Summo pontifice non confirmatum potest in fide errare. I. 325. Confirmatum nequit. I. 326. Aliquando, licet desit ipsi auctoritas Pontificis, probabile argumentum facit ad suadendum dogmata fidei. I. 328. Concilium episcopale, si confirmetur a pontifice in decretis fidei, certum argumentum veritatis exhibet. I. *ibid.* Potest quidem per se facere probabilem fidem hæreseos, non tamen certam, *ibid.* Concilium coactum per legatos pontificis asserunt aliqui errare posse, alii negant. I. 333. Concilium totum cum legatis errare posse, nullo modo admitendum. I. 337. Nunquam in concilio generali omittitur quæstio necessaria ad decidendas controversias fidei. I. 345. & 346. Neque unquam concilium semel confirmatum emendatur per posterius: emendantur quidem quæ Pontificis confirmatione carent. I. 382. & seq. Concilii & Synodi nomen significat pastores, & episcopos in unum locum congregatos ad definiendas ecclesiæ causas. I. 312. Concilii patres in causa fidei non consilarii tantum sunt, sed etiam iudices. I. 337. 338. & seq. Concilia non coguntur frustra, licet Summus pontifex sit firmus iudex in causa fidei. I. 383. Concilia & epistolæ pontificum certas notas habent, quibus internoscimus, quando definiant. I. 503. Conciliorum auctoritas argumentis impugnatur. I. 495. Conciliorum definitiones non pertinent ad Sacram Scripturam. I. 341. & seq. Conciliorum in fide decreta, quibus notis internosci queant. I. 352. & seq. Conciliorum

## *Index rerum memorabilium.* 657

robur ab eo est, pro quo rogavit Christus, ne deficeret  
fi des eius. I. 371. In Concilio Tridentino quidam episco-  
pus a patribus explosus est, quod assereret Christum in  
coena suum corpus & sanguinem non obtulisse. II. 266.

### *Confessio.*

Omnium peccatorum mortalium, quæ sacerdoti fit, est ad  
salutem necessaria. II. 542. Confessio peccatorum secreta  
divinæ, non humanæ institutionis est. II. 543. Confessio  
integra esse debet. II. 561. Quæ sit integra confessio. Ibid.  
& seq. An sufficiat confiteri omnia peccata, quorum quis  
ante memoriam habuit. II. 563. Confessio non est divi-  
denda. II. 586. Si ex confessione alicuius peccati sequitur  
scandalum, tale peccatum potest taceri. II. 585. Institu-  
ta est confessio in remedium pœnitentis. II. ibid. Confes-  
sionis integritas non mathematicè, sed moraliter intelli-  
genda. II. 586. Confessio dupliciter in formis. 589. Con-  
fessio quando repetenda. II. ibid. An confessio, quæ sa-  
cerdotibus in aurem fit, evangelico iure sit præcepta. II.  
557. Examinanda est conscientia ante confessionem. II.  
565. Confessio est præcipua materia sacramenti pœniten-  
tiæ. II. 543.

Confessio eius, qui attritionem habuit tam imperfectam, ut  
virtute sacramenti non fiat contritus, an sit iteranda.  
II. 593. Confessio ficta quando sit sacrilegium. II. 599.  
Per confessionem fictam, & informem satisfi præcepto ec-  
clesiæ. II. 603. An confessio generalis sufficiat ad absolu-  
tionem sacramentalem, quando specialis fieri non po-  
test. II. 606. Confessio, in qua nullum peccatum expli-  
catur, non est sacramentalis. II. 607. An confessio sacra-  
mentalensis per nuncium, aut per literas absenti confessori  
fieri possit. II. 608. Confessio an fieri debeat per interpre-  
tem, cum alter alterius idioma non intelligit. II. 611.  
Sine consensu sacerdotis proprii alteri non licet confiteri.  
II. 612. & seq. Quando non est tutum confiteri proprio  
sacerdoti, quia timetur scandalum, vel revelatio confus-  
sionis, si proprius sacerdos negat facultatem alteri con-  
fitendi, potest homo confiteri sacerdoti cui voluerit. II.  
615. & seq. Confessio annua non est solius præcepti divi-  
Tom. II. Oooo ni,

## 658 *Index rerum memorabilium.*

ni, sed limitati per humanum. II. 627. Obligatio semel confitendi singulis annis existit ex obligatione singulis annis semel comunicandi. II. 637. & seq. Quando quis stringatur ad præceptum confessionis. II. 641.

### *Confessarius.*

Pontificis, a quo iurisdictionem habeat ipsum absolvendi. II. 551. Confessarius necessario interrogare debet pœnitentem, quando probabile est, pœnitentem aliquam circumstantiam neglexisse. II. 569. Intelligens pœnitentem esse indispositum, sacrilegium committit ipsum absolvendo. II. 599.

### *Constantinus.*

Confirmatio est Sacramentum. II. 379.  
Eius donatio incerta. II. 76. & seq. Constantini lepra. II. 77.  
Baptismus. II. 78.  
Contrarietas quæ est mali, & boni, eadem est veri, & falsi. I. 14. & seq.

### *Contritio.*

Prima est meritoria primæ gloriæ, licet non primæ gratiæ. II. 458. & seq. Ad contritionem requiritur totus animi conatus, quem tunc pœnitens præstare potest. II. 486. Ad contritionem non requiritur certus intensiois gradus. II. 489. Conritio, & attritio quid differant. II. 482. & seq. Conritio non requirit certum tempus. II. 489. Conritio specialis pro singulis mortalibus peccatis non est necessaria. II. 501. In ordine ad confessionem requiritur conritio de singulis distincta. II. 502. Conritio quomodo sit pars pœnitentiæ. II. 534. Non est pars essentialis huius Sacramenti, sed integralis. II. 594. & seq.  
Creaturæ vox generationem habet intus inclusam, quæ Christi supposito absolute divinitatem tollit. II. 226.

### *Culpa.*

Interdum est alterius pœna. I. 24. Condonatur hominibus per propriam fidem, & charitatem, pœna vero non solum per propriam, sed per alicnam. II. 307.



## D

**D**ecalogi præcepta omnia continent quæ Deus præcipit.  
II. 412. Decreta pontificum duplicia. I. 425.

### *Deus.*

Dupliciter cognosci potest. II. 411.

Deo improprie & figurate tribuuntur excæcare, indurare, decipere, hominum corda in odium convertere, &c. I. 27.

Deus mentiri non potest, nec per se, nec per alium. I.

12. Deum posse mentiri ex ordinaria potentia, asserere hæreticum est. I. 15. Deus præcepit filiis Israel, ne redderent Ægyptiis vassa, quæ ab ipsis commodato acceperant.

I. 21. Deus omnis boni auctor est. I. 32. Deus non decipit deceptionem faciendo, sed permitiendo. I. 23. Deus earum pœnarum proprie causa est, quæ solum pœnæ sunt, non culpæ. I. 24. Deus potest dici auctor non naturalis actionis, sed bonæ passionis. I. 25. Deus est causa naturalis omnium motionum. I. 30. Deus proprie scit quæ necessario eveniunt, & quæ in casu & fortuna sunt posita, II. 134. Deus bifariam considerari potest. II. 150. & 155.

Deus ut hominum iudex, habet parata virtutibus præmia, vitiis supplicia. II. 152. Quomodo naturæ lumine agnoscimus Deum esse, agnoscimus etiam remuneratorem esse inquirentium se. II. 154. Deus in remissione peccati & misericors, & iustus est. II. 320.

Dilectio Dei super omnia dupliciter potest dici maxima. II. 491.

### *Disciplina.*

Quælibet habet duas partes. I. 33. Disciplina omnis humana ad Deum tanquam ad principium sapientiæ referenda est. I. 544. In disciplinis humanis duo vitia maxime vitanda. I. 541. Quid in humanis disciplinis viri docti reprehendant. I. 545.

Discrimen duplex inter sacros auctores, & summum pontificem, patresque concilii reperitur. I. 342.

## 660 *Index rerum memorabilium.*

### *Displucentia.*

Peccati perfecta quæ. II. 482. & 483. Quæ imperfecta. II. Ibid.

Distributio accomoda est ibi : Spiritualis homo iudicat omnia, sicut & ibi : Ille docebit vos omnem veritatem, & ibi etiam : Vnctio docet vos de omnibus. I. 62.

### *Doctrina.*

Moralis non minus exigitur ad pastum ovium Christi salutarem, quam fidei disciplina. I. 356. Doctrina fidei singularis hominibus necessaria. I. 50. Doctrina evangelica proprie nec hæresis, nec secta appellantur. II. 191. Doctrina veritatis aliquando potest intermitteri. II. 572.

### *Doctor.*

Doctoris christiani præcipuum institutum est, exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt arguere. I. 2. Doctores ecclesiæ universi nequeunt in falsam fidei doctrinam convenire. I. 269. Iuniores quid in sacrarum literarum expositione facere possint, aut debeant. I. 483. Doctores Hebræorum diligenter contenderunt textum Hebraicum corrumpere. I. 118.

Dogma quodcumque fidei, quod vel ecclesia habuerit, vel concilium, vel Summus pontifex fidelibus præscripserit, nobis pro catholica veritate habendum est, sive scriptum sit, sive non sit. II. 181.

### *Dolor.*

Voluntatis est proprie hominis tristitia : qui autem in solo appetitu sensitivo reperitur, magis est animalis dolor, quam hominis. II. 346. Dolor comes individuis resipiscentiæ. II. 447. Dolor peccati quia est contra Deum, est de essentia pœnitentiæ. II. 452. Dolor omnis in amore fundatur. II. 454.

Driedo graviter erravit, qui relicto Hieron. & aliis præbe fidei, aurem Beroso accommodavit in Persarum regum gestis. II. 104.

Dubius in fide an infidelis sit. II. 198.

Dubitatio sine assensu, atque dissensu nec error proprie est, nec fidei ex omni parte inimica. II. 201.

# E

## *Ecclesia.*

**F**idelium nunc viventium scribere librum canonicum non potest, sed definire, quisnam liber sit canonicus potest. I. 45. Ecclesia præsens suo iure potest docere eos, qui fidem susceperunt, quæcunque sunt fidei. I. Ibid. Quæ præcepta ecclesia solvere possit, quæ non. I. 164. & seq. Ecclesia antiquior est quam scriptura. I. 191. Ecclesia non potest eximere fideles a vinculo traditionum, quas a Christo apostoli acceperunt, nec illas contraria consuetudine abolere. I. 210. & seq. Ecclesiæ græcum nomen, latine convocatio, seu concio dicitur. I. 239. & seq. Est locus quo multitudo confluit, & ipsa multitudo. I. ibid. Ecclesia dupliciter intelligi potest. I. 241. Ex quibus vere, & proprie ecclesia confletur. I. 231. Incredendo non potest errare. I. 255. & seq. Nec eius fides potest deficere. I. 254. Et ecclesia est immaculata in his, qui a crimine mortali mundi sunt, quamvis culpæ venialis nonnihil contrahant omnes. I. 291. Non debet, nec potest appellare synagoga Sathanæ. I. 297. Ecclesia non manet mortuo Summo pontifice, manca tamen, & imminuta. I. ibid. Ecclesia catholica, id est universalis nuncinatur, propter communem fidem, & universalem doctrinam, in toto orbe diffusam. I. 301. Ecclesia in doctrina eorum morum, qui ad salutem sunt necessarii, non potest errare. I. 356. In moribus, qui ad privatos homines, aut ecclesias referuntur, errare per ignorantiam potest. I. 361. In canonizationibus Sanctorum non errat. I. 363. Ecclesia Christi custodit scripturam, & eius intelligentiam. I. 75. Non habet veram fidem, & evangelium, si non haberet legitimum sacræ scripturæ sensum. I. 76. Ecclesiæ auctoritas certa regula est ad definiendum quis liber sit canonicus. I. 41. Eius auctoritas non est ratio per se movens ad credendum, sed causa, sine qua non crederemus. I. 57. & seq. Ecclesiæ partes sunt omnes illi, qui post baptismum

## 662 *Index rerum memorabilium:*

mum Christi caracterem habet, nisi propter hæresim publice ecclesiæ iudicio fuerint damnati. I. 243. Ecclesiæ promissit Christus Spiritum veritatis. I. 255. & seq. Ecclesiæ, quam apostoli fundarunt, Spiritus Sancti charismata sunt data. I. 270. & seq. Decreta ecclesiæ, quæ certis principiis non innituntur, certa & firma esse non possunt. I. 361. Ecclesiæ Romanæ auctoritas multis argumentis impugnatur. I. 386. & seq. Ecclesiæ publicum privilegium fuit, quod Petrus aliis confirmandis solidam fidem proponeret, nec in fidei iudicio deficeret. I. 441. Ecclesiæ Romanæ consuetudines aliæ sunt communes toti ecclesiæ, aliæ vero ipsi peculiare, illas ecclesiæ omnes tenentur amplecti, has non. I. 444. Ecclesiæ intelligentia est Germanus sacræ Scripturæ insellectus. II. 174. Ecclesiæ societas fratrum fidelium pœnas communes per amicitiam facit. II. 307. Ecclesiam manifestam esse, & cognitam fidelibus necesse est. I. 281. & seq. Extra ecclesiam nemo salvatur. II. 389.

Ecclesiæ præceptum de facienda confessione semel in anno non obligat illos, qui tantum peccaverunt venialiter. II. 625. Hoc præceptum, an præceptum sit, an vero exhortatio. II. 640. An ecclesia cum aliquo dispensare possit in præcepto divino de confessione. II. 642.

Ecclesiastici scriptores si mentiantur, impudentes, & impii sunt, quia ratio virtutis, & bonæ fidei cognoscendæ facilius est illis. II. 109. & seq.

### *Editio.*

Vetus & vulgata sacræ Scripturæ fidelibus est retinenda in omnibus, quæ ad fidem & mores spectant. I. 113. Aliqui conantur probare, Latinam editionem per Græcæ, & Hebrææ exemplaria corrigendam esse. I. 155.

Eleemosyna remittit peccata. II. 500.

Enoch fidem habuit. II. 397.

Enuntiationes loco interrogationum in iudiciis usurpantur. I. 31.

Epiphanius in rerum, & temporum ratione nullos graves auctores sequi solet, atque adeo in his interdum fallitur. II. 32.

*Episcopus.*

Antiochenus, si Petrus semper Antiochiæ sedisset, ut cæpit, legitime illi in pontificatu successisset. I. 434. Episcopum Romanum esse, qui Petro in eadem auctoritate, & potestate succedit, probatur. I. 401. & seq. In fidei controversiis definiendis errare non posse probatur. I. 243, & seq. Petri successorem esse, constat gravissimis historiis. I. 433. & seq. Episcopi annulares sine causa aliquando in concilio sunt admissi. I. 316. Episcopi successores apostolorum in potestate ordinaria, quam singuli in suis ecclesiis habuerunt, non tamen in potestate generali, & extraordinaria. I. 442.

*Epistola.*

Epistolam Pauli ad Hebræos inter canonicas non reponere, est hæreticum. I. 66. & 94. Epistolam item Iacobi. I. 67. & 103. Secundam Petri, duas posteriores Ioannis, & illam aliam Iudæ in canonicis non annumerare, hæresim sapit. I. 68. & 104.

*Erasmus Roterodamus.*

Quas tenebras super universam terram factas scribit evangelista, ipse super Iudeam tantum, ignorans humanas Historias, fusas intelligit. II. 5. Licenter nimis Hieronymum mendacii arguit. II. 104.

*Error.*

Duplex, personalis, & iudicialis. I. 423. Errare quid. II. 198.

Essentia divina nec genita est, nec generat. II. 182.

*Evangelium.*

Pauli non fuisset receptum, nisi auctoritate Petri, & ecclesiæ fuisset roboratum. I. 441. Evangelium non in scripturis & superficie, sed in sensu, & medulla consistit. II. 174.

*Eucharistia.*

Sacrificii Christi exemplar non esset, nisi esset quoque ipsa sacrificium. II. 278. Non modo sacrificium est, quo Deo gratiam referimus, sed nos etiam Deo placat. II. 279. Est sacrificium laudis, & gratiarum actionis. II. 264. & seq. Eucharistiæ sacrificium quatuor partes habet, consecra-

## 664 *Index rerum memorabilium.*

crationem, oblationem, fractionem, consumptionem. II. 293. Inter omnia Sacramenta solum est sacrificium, & quare. II. 321. Corpus, & sanguis Christi in Eucharistia offertur. II. 287. Eucharistiæ Sacramentum sumens sine poenitentia peccat mortaliter. II. 517. Eucharistiæ spiritualis & Sacramentalis manducatio, quæ ratione necessaria. II. 555. & seq.

Eucharistiam aliquando sumere licet sine confessione. II. 629. Ante Eucharistiam confessio præmittenda. II. 639. & seq.

### *Eusebius.*

Et veteres non satis explicant, quantum fuerit tempus prædicationis Christi. II. 36. Eusebii Cæsariensis Chronicon, & Historia Ecclesiastica a Gelasio Papa, & multis aliis notantur. II. 114.

Exemplaria Latina Sacræ Scripturæ in his, quæ ad fidem & mores pertinent, non sunt per Hebraica, vel Græca corrigenda. I. 113.

Explicatur caput primum de hæreticis: dubius in fide infidelis est. II. 202.

Expositores quæ apponunt in margine, ea librariorum vitio textui nonnunquam inseruntur. I. 98.

## F

**F**alsum absurde in typum veritatis assumitur. I. 19. & seq.

### *Festum.*

Festus dies pro Paschate solet in evangelio accipi. II. 34. Festum, de quo meminit Ioannes, cap. 5. non fuit Pentecostes, licet Chrysostomus, & Cyrillus asserunt. II. 36. & seq. Festorum corporalis quies quo pertinet. II. 514.

### *Fides.*

Romani Pontificis interior non est ecclesiæ necessaria. I. 442.

Fides immediate auctoritate nititur. II. 135. Fides & Theologia non aliter se habent, quam habitus principiorum, & scientia conclusionum. Ibid. Fides innititur revelationibus, quas apostoli & prophætæ ediderunt. II. 145. & seq.

Fi-

## *Index rerum memorabilium.* 663

Fides non sequitur privata revelatione, sed eas, quæ ad communem religionem attinent. Ibid. Cum natura non pugnat. II. 157. Non ad verba, sed ad sensa refertur. II. 175. Naturalem rationem dirigit. II. 157. Fidei quædam sunt, quæ omnes fideles explicite credunt, quædam sunt, quæ soli maiores credere tenentur explicite. L. 303. & 304. Fidei ratio formalis non est ecclesiæ auctoritas. I. 55. Fidei resolutio ultima fit in causam interiorem efficiens, hoc est in Deum moventem ad credendum. I. 57. Fidei ratio formalis, quæ est divina veritas revelans, non sufficit ad movendum, nisi adsit Deus interius moveas, idem. Eius ratio formalis non est ratio Theologiæ formalis. II. 144. Fidei dogmata, sive Christus per se apostolis revelaverit, sive Spiritus Sanctus post eius ascensionem, mutari non possunt. I. 210. Non statim si quicquam iure canonico continetur, fidei dogma credendum est. I. 351. Fidei doctrina non solum illud est, quod apostolis expresse habetur revelatum, verum illud etiam, quod ex altera propositione revelata, & altera certa lumini naturali conficitur. L. 435. In duplici differentia sunt ea, quæ sunt fidei. II. 158. & seq. Fidei habitum per dubitationem pertinacem amitti probabile est. II. 202. Fides Christi implicita & explicita. II. 383. Explicita non fuit semper ad salutem necessaria. Idem. Post divulgationem vero evangelii cuilibet est necessaria. II. 385. Implicita post lapsum semper fuit necessaria ad salutem. II. 383. Differentia inter fidem veteris, & novæ legis. II. 386. Fidei ad salutem maior est necessitas, quam baptismi. II. 390. & seq. Sine fide hominem iustificari posse, sententia erronea est. II. 393. Fides est fundamentum iustitiæ. II. 394. Non nisi a Dei gratia provenit. Ibid. Est ad remissionem peccatorum necessaria. II. 400. In lege naturæ sola fides satis fuit ad salutem parvulorum. II. 413. Quod sanæ doctrinæ adversatur. Fidei quodammodo adversum est. II. 171. Figurata dictione multa, quæ parti conveniunt, solent in totum transferri. L. 283. & seq.

### *Filius*

Dei dicitur nescire diem iudicii, quia scire se dissimulat, nec  
-Lm. II. Pppp vult

## 666 *Index rerum memorabilium.*

vult aliis revelare. II. 338. & seq. Filii Dei non semper probi intelliguntur, sed ii quoque interdum, qui bona paterna prodegerunt. I. 286.

Finis est duplex, alius doctrinæ, alius doctoris. II. 130.

Fractio, & consumptio specierum, ad integritatem externi sacrificii pertinet. II. 293.

### *Fratres*

In Scriptura, non modo germani, sed propinqui dicuntur. II. 22. & seq. Fratres vocat Scriptura eos, qui sunt consobrini. II. 26.

Fundamentum domus secundum methaphoram idem est, quod servata analogia corporis caput. I. 364.

## G

### *Gelasius.*

**G**elasius multos libellos reiecit. II. 113.

Gelasii Papæ censura de historiis Sanctorum. II. 107.

Gens nulla est tam fera, quæ non sciat Deum habendum. II. 151.

Gentes tales volebat Deos esse, quales ipsæ essent. II. 367.

Gratia suavior & effusior est, quam natura. II. 301.

### *Græci.*

Græca historia falsa reputatur ante Olympiades, post verior. II. 83. & seq. Græci multis locis, ut scripturam ad suum sensum traherent, Novum Testamentum violarunt. I. 114. & seq.

### *Gregorius*

Primus, & Tertius loquuntur de muliere, quæ ante matrimonium erat impotens ad solvendum debitum. I. 429. & seq. Decimus ratione Theologica demonstravit, Spiritum Sanctum ex Patre, & Filio, tanquam ex uno principio procedere. II. 182. Gregorius Magnus in Dialogis, & Beda in Historia Anglorum quædam miracula scribunt minus certa. II. 112. & seq.



## H

**H**Abitus fidei in ordine ad Theologiam habet se ut habitus intellectus in ordine ad disciplinas humanas. I. 58.

Hebræi historiarum humanarum penitus sunt ignari, quia nulla externi regni monumenta habent. II. 103.

### *Heli*

Eundem fuisse qui & Ioakim Pater Virginis Mariæ, quibusdam probabile visum est. II. 21. *Heli*, *Heliachim*, *Ioakim*, *Idem* fere significant. II. 22.

### *Hæresis.*

**H**æreseos nota non est inurenda illis, qui tenent, ecclesiam in aliquo lege & more posse errare. I. 358. & seq. **H**æresis sine pertinacia non constat. II. 187. **H**æresis est error pertinax illius, qui professus fuit fidem. II. 190. **H**æresis & secta idem sunt. II. 191. **H**æresis unde dicta. II. 192. **G**enerale nomen est, sed contracto vocabulo dicitur *secta* seu *divisio*, qua quis a communi ecclesiarum fide se seivngit. II. ibid. **N**on incurritur ex verbis inordinate prolatis, si error in fide absit. II. 196. **H**æresim constare posse sine pertinacia, aliqui doctores asserunt. II. 185.

### *Hæreticus*

**E**st, qui volens unicuique dogmati assentitur, cum intelligat esse fidei contrarium. II. 207. **N**on est, qui paratus est corrigi ab ecclesia. II. 209. & seq. **N**emo nominandus **H**æreticus, nisi a perfecta & consummata hæresi. II. 211. **Q**uæ necessaria sint, ut quis constituatur hæreticus. II. 215. **H**æretica propositio est, quæ hæresim interiore enunciat, illiusque est omnino signum. II. 216. **H**æretici non sunt partes ecclesiarum. I. 241. **H**æretici Spiritum veritatis concedunt ecclesiarum Sanctorum. I. 270. **H**æreticis omnibus commune est ecclesiam, aut ecclesiarum nomen spernere, aut ad se transferre. I. 229. **E**x verbis inordinate prolatis hæresim incurri, quomodo sit verum. II. 197.

**H**erodes Romam vocatus, ut accusationi filiorum responde-

## 668 *Index rerum memorabilium.*

deret, distulit necem innocentium. II. 30. Herodias non fuit filia Arethæ Regis. II. 26.

### *Hieronymus*

Non est regula ecclesiæ in libris canonicis decernendis. I. 81.

Risit Adami sepulturam in loco Calvariæ. II. 39.

Hierusalem ad Aram centum septuaginta duabus parasangis Persicis, & Hispanis, ab Vr Chaldæorum ducentis duodecim distat. II. 31.

### *Historia,*

Licet ad narrandum, non ad probandum sit scripta, aliquid tamen sine dubio probat. II. 20. Non solum ecclesiastica, sed etiam ethnica, Theologo contra adversarios fidei utilissima. II. 2. Et historia Socratis Scholastici Cano non placet. II. 119. Historiæ humanæ auctoritas multis argumentis impugnatur. II. 9. Historia veritatis certum signum est, si de iisdem rebus eadem omnes scribant. II. 20. Historiæ usurpatio, & approbatio non idem. II. 76. Historiam Sozomeni improbavit D. Gregorius. II. 117. Scribentes Historias sanctorum, res humanas ab ipsis, alienas fore non censeant, sed sicut evangelistæ, nec affectus naturæ imbecilliores, nec causas nature graviorez disimulent. II. 109.

### *Historicus*

Certus esse non potest, ad faciendam certam Theologiæ fidem præter auctores sacros. II. 18. Historico debemus fidem, cui auctoritatem tribuit ecclesia; cui autem ecclesia derogat fidem, & nos similiter. II. 113. Historici graves ac fide digni probabile argumentum Theologo suppeditant. I. 579. & seq. Historici omnes in eandem rem concurrentes certum argumentum faciunt, ut Theologiæ dogmata firma etiam ratione constituantur. II. 19. Quomodo debeant concordare, ut certa sit illorum doctrina. II. 23. Historici gentium veraciores fuerunt, quam multi ex nostris. II. 104. Historici illi præferendi sunt, qui severitatis ingenii quandam prudentiam adiungunt, & ad eligendum & ad iudicandum. II. 111.

### *Homo*

Non solum vitales operationes per gratiæ formam & virtutes!

## Index rerum memorabilium. 669

in se edit, sed vivendi sibi causa est. II. 301. In sui generatione Dei adiutor existit. II. ibid. In se facit actus fidei, spei charitatis, quibus Deus utitur ad animum vivificandum gratuito. II. 302. Homo licet causa gratiæ non sit, causa tamen sibi est, ut per gratiam vivat. II. ibid. Homo tunc secundum animam dicitur esse in cælo, quando videt Deum. II. 331. Hominem peccare in eo, quod Deo præcipiente agit, cum recta ratione pugnat. I. 29. Homines boni, etsi pauci sunt, plus valent, ut plebs bona sit, quam multi mali, ut nominetur mala. I. 297. Homines hominibus credant, necesse est, nisi vita pecudum more degenda sit. II. 17. Homo non tenetur statim a commisso peccato facere pœnitentiam. II. 515. Non tenetur pœnitentiam agere, quoties peccata memoriæ occurrunt. II. 516. Nec divino, nec humano iure obligatur homo dicere festis ad pœnitentiam. II. ibid. Homo Dominus est bonorum corporalium & spiritualium, non autem vitæ corporalis. II. 521. Homo non potest producere pœnitentiæ actum sufficientem, ad iustificationem, sine supernaturali auxilio Dei. II. 469.

## I

### Jacob

**I**N illis verbis: Ego sum primogenitus tuus Esau, &c. secundum aliquos mentitus est, sed matre consulente, non Deo revelante. I. 19. Cum præcipuit fratri benedictionem, fidem gentium prænotavit. I. ibid. Est vere primogenitus secundum carnem, & secundum ius. I. ibid. Jacobus Frater Domini vocatus, non fuit filius Ioseph, nisi illum duas simul uxores habuisse nulla ratione contendas. II. 25. & seq. Ieiunium quadragesimæ Apostolicum institutum est. II. 208. Iesu epistola ab Abagarum Regem fabula est. II. 114. Imperandi verbum an semper præceptum, an consilium secum ferat. I. 20. Impossibile quandoque dicitur, quod valde difficile est. II. 518.

In-

## 670 *Index rerum memorabilium.*

Incitamenta aliqua exteriora & humana, necessaria sunt iuxta communem legem, ut in evangelii fidem inducamur. I. 53.

### *Infidelitas.*

Infidelitatis species quot sint. II. 210. Infidelitas non est peccatum iis, qui nihil de fide audierunt. II. 392.

Infirmus, qui casu obmutuit, si signis det testimonium se confiteri voluisse, absolvitur. II. 605.

Iniuriarum remissio remittit peccata. II. 492.

Innocentium Tertium fuisse confessionis auricularis auctorem, falsum est. II. 560.

Interpretatio quæ apponitur retentis vocibus, Hæbraicis, an ad Sacram Scripturam pertineat. I. 98. & seq.

### *Interpres*

Michabæorum venim petit non falsitatis, sed elocutionis. I.

87. Interpres verbis Hæbraicis retentis, iure suo potest interpretationem apponere, quod facere poterat verbis Hæbraicis non retentis. I. 98. & seq. Non est astrictus eadem omnino res, quæ in Hæbræo habentur, semper in Græcum, Latinumque convertere, si sensus idem manet. I. 133. Interpres editionis vulgatæ habuit spiritum quemdam prophætico vicinum & proximum. I. 139. & seq.

Instrumentum a sanis obsignatum, testamentum dicitur, I. 102.

Ioannes Evangelista quare non dixit, aut filium, aut vitam, aut lucem, sed Verbum caro factum est. II. 326. & seq.

Ioannes Vergara Canonicus Toletanus Græcæ & Latinæ linguæ peritissimus. II. 100.

Ionas nolebat Ninive subversionem prænuntiare, eo quod divinam putabat misericordiam Ninivitis pœnitentibus esse flectendam. I. 20.

### *Ioseph*

Non esse mentitum in illis verbis, per salutem Pharaonis exploratores estis vos, &c. asserit D. August. accepit enim verbum, estis, pro verbo, habemini. I. 31. Ioseph duos Patres habuit, Heli legalem, Iacob naturalem. II. 21. Ioseph aliam præter Mariam uxorem habuisse coniectura est, quia aliqui in evangelio Fratres Domini vocantur. II. 24. Cum Mariam conjugem accepit, octoginta fuisse annorum, Epiphanius non semel astruit. II. 25. Ioseph & Cleophas erant Fra-

## *Index rerum memorabilium. 671*

Fratres secundum Egesippum. II. 25. & seq.

Iosephus egregius Historicus a multis laudatur. II. 120.

Iudaico ritu gratias Deo agere, calicem in manus accipiendo & levando, vere est hostiam pro gratiarum actione offerre, II. 266.

### *Iudex*

Iudicem vivum oportet in ecclesia esse, qui fidei controversias possit decidere. I. 45. Iudices Ecclesiastici merito eos omnes hæreseos nomine condemnant, qui de dogmate Catholicico dubitant. II. 204. Tunc de hæresi tuto possunt pronuntiare, quando error est circa ea, quæ nullo modo possibile est ab errantibus ignorari. II. 218. Dubitantes de errantibus pertinacia, duas res transigere debent. II. 219.

### *Indivium*

De Scripturis per Scripturas ipsas idoneum esse non potest. I. 39. De Scripturis Canonicis ad privatos Reipub. cives non pertinet. I. 40.

Iulii Africani de temporibus quinque volumina. II. 121.

Iuris Canonici cognitio Theologo necessaria. I. 514.

### *Iurisconsultus.*

Iurisconsultorum auctoritate non eget Theologus in his quæ ad fidem pertinent. I. 519. Parum etiam confert illorum auctoritas Theologo in his, quæ ad mores pertinent, de quibus lex Evangelica, vel ratio Philosophiæ præscribit. I. 520. Iurisconsultorum omnium concors sententia fidem facit Theologo, cum de moribus ecclesiæ, religionis institutis, per leges tantum Pontificum decernitur, &c. I. 521.

### *Ius divinum*

Nullum certum tempus præscribit confitendi. II. 627. Quatuor casus, in quibus ius divinum obligat ad confitendum. II. 627. & seq. De iure divino est, confiteri proprio Sacerdoti, qui videlicet habeat ordinariam iurisdictionem. II. 614.

## L

**L**atinus fulgor, & gloria Græciæ claritatem obscuravit. II. 109.

Le-

## 672 *Index rerum memorabilium.*

Legatum vetus, testamentum erat, signatum a vivo, sed apertum moriente Christo. I. 102.

### *Lex.*

Leges ecclesiæ non omnes petendæ sunt a iuris voluminibus, in quo multi failuntur. II. 211. Leges ecclesiæ multæ sunt, quæ non scripturæ, sed usus inservit. Ibid. Lex de hæretico denunciando, quamvis occulto, fraternæ correctionis legem non violat. II. 213.

### *Liber.*

Libri sacri appellantur, quos Spiritu Sancto dictante, sacri auctores exceperunt. I. 7. Librum esse huius aut illius scripturis, non admodum interest Catholicæ Fidei, dummodo Spiritus Sanctus auctor credatur. I. 92. Liber qui sub antiquitatis nomine profertur, debet viro prudenti suspectus esse. II. 101. Libellos Adam, Enoch, & Noe noluit recipere ecclesia. II. ibid. Libri liatei apud Romanos fuisse quondam. II. 82. Libri profani redarguuntur, & qui contra illos eduntur, mysteriorum ecclesia pleni. II. 111.

### *Linguarum peritia*

Utilissima est ad infideles alienæ linguæ ad fidem instituendos. I. 141. Utitur ad dictiones explicandas, quæ magnam emphasisin habent. I. ibid. Linguarum alia utilitas, ad accipiendos plures sensus catholicos ex eadem scriptura. I. 142. Quanta utilitas, ad cognoscenda idiomata, phrases, & proverbia linguæ alienæ. I. 143. & seq. Quinta, ad menda ea corrigenda, quæ ex incuria typographorum, aut eorum, qui scripsere, imperitia obrepserunt. I. 145. Sexta commoditas ad intelligenda quædam loca, quæ ab interprete apertius reddi poterant, & sine linguarum cognitione nequeunt explicari. I. 148. & seq. Septima ad evitandum errorem ex Latini sermonis amphibologia. I. 149. Demum utilis est ad quædam vocabula, vel Hebræica, vel Græca percipienda, quæ in editione Latina remanserunt. I. 150.

### *Litera sacra.*

Literis sacris explicandis eodem spiritus opus est, quo ipsæ sunt scriptæ. I. 138. Litera sacra non continent omnia, quæ ad doctrinam Christianam pertinent. I. 193. Literarum sacrarum consuetudo est, eundem omnino populum nunquam pro-

propter iustos felicem dicere, nunc propter improbos miserum, & infelicem. I. 296.

De luengas vias, luengas mentiras. II. 107.

Loci circumstantia quando in confessione explicanda. II. 575.

*Lutherani.*

Aliquando asseruerunt, Sacram Scripturam per se cuique habenti Spiritus Sancti, & fidei lumen esse manifestam. I. 35.

Putant nullum dogma posse traditione probari. I. 182.

Nullam in ecclesia legem esse volunt, per quam Scripturæ sensus finiantur, præter rationem propriam. I. 186.

& seq. Docent, sacras literas unum solum habere sensum, illumque in promptu cuique sine magistro docente patere.

I. 187. & seq. Lutheranorum sententia refellitur multis rationibus. I. 189. & seq.

Lutherani sanctorum auctoritatem multis argumentis expugnare contendunt. I. 239. Nituntur probare eucharistiam non esse sacrificium. II. 248.

Perperam definierunt sacrificium, quod sit ceremonia, vel opus a nobis Deo redditum, ut eum honore afficiamus. II. 258.

Lutherani duas proximas sacrificii species esse asserunt, & non plures. II. 262. Sacerdotium nostrum Turcharum more informare cupiunt. II. 274.

Lutherani eucharistiam percipientes, non item offerentes, Domini cœnam agunt, sacrificium crucis non agunt. II. 268. Ministri antichristi iure dicuntur. II. 273.

Non omnino negant sacrificium, sed negant in eo, quod dicitur offerri pro peccatis. II. 277.

Negant pœnitentiam esse ad salutem necessariam. II. 537.

Item confessionem. II. 541.

*Lutherus.*

Asseruit Philosophiam esse Theologo inutilem & noxiam, omnesque disciplinas speculativas errores esse. I. 529.

Luthero data est clavis putei abyssi, ut errores ibi demersos erueret. I. 283.

*Lumen naturæ.*

Lumine naturæ errantes non minus a Deo falleremur, quam si per fidei lumen erraremus. I. 544.

Luminis naturalis investigationem & argumenta refellere, non modo stultum est, sed impium. Ibid.

Lux divina per se quidem ad videndum editur, sed per occasionem. II.

## 674 *Index rerum memorabilium.*

causationem in eo cæcitatem efficit, qui prave affectos habet oculos. I. 28. & seq.

### M

**M**Ahümetus omnem disputationis aditum suis, edita lege, præcluserit. I. 186. & seq.

#### *Magi.*

Qui Christum adoraverunt, fuerintne reges, an non, partum interest. II. 27. Christum decimatertia die, ex qua natus est, adoraverunt. II. 28. Marcus Evangelista, in illo, quod scripsit, hora tertia Dominum crucifixum, quo pacto vendicandus sit a falsitate. I. 170.

Maria Virgo Magorum oblationem in quo consumpsit. II. 29. & seq. Vtrum B. Virgo a peccato originali fuerit libera; in utramque partem potest credi. I. 457.

#### *Martyrium.*

Remittit peccata. II. 496. Sine charitate non valet. Ibid.

Massiliani negarunt necessitatem confessionis. II. 541.

#### *Matrimonium.*

Matrimonii materiam & formam, & an matrimonium conferat gratiam, inconstanter, & varie affirmant Theologi. I. 502. Matrimonium sine ministro ecclesiæ contractum, an sit Sacramentum. I. 504. Quod inter absentes per literas & procuratores contrahitur, non est Sacramentum. I. 505. & II. 377. Sine Ministro contractum, non esse Sacramentum, variæ probatur. I. 506. & seq. Matrimonii Ministri vir & fœmina contrahentes non sunt. Ibid. Matrimonium in statu innocentiae non fuit Sacramentum. II. 377.

Medium ad salutem necessarium, duplex. II. 512.

Melchisedech panem & vinum obtulisse Deo Sacrificium, quomodo colligatur ex 14. cap. Genes. II. 272.

#### *Mendacium.*

Emanaret a fonte veritatis; si quispiam Deo auctore falleretur. I. 115. Mendacium dicere & facere malum cum natura stabili, immobilique pugnat. Ibid.

Mentiri est asserere falsum animo fallendi. I. 12.

De



De *mutarum* voce quid sentiendum. II. 447.

Methaphora & figura a rebus vicinis, & similibus ducitur.

I. 18. & seq.

Methastenem Anni historicum repellit auctor. II. 95.

Micæa Hebræis est oblatio. II. 275.

Ministri, & Sacramenti, & sacrificii altaris sunt causæ, ad modum quo qui applicat ignem ad stipulam causa est, &c.

II. 306.

*Missæ.*

Valor infinitus est, quoad sufficientiam, non autem quoad efficientiam. II. 316. Missam habemus ex traditione Apostolorum. II. 275. Esse sacrificium, probatur auctoritate ecclesiæ, Conciliorum, Pontificum, & Sanctorum. Ibid.

*Moses.*

Præceptum accepit a Deo, ut legem populo scriberet; legis autem occulta myteria Ministro suo Josue revelaret. I. 195. Moyses fuit Sacerdos. 313.

Monachi tenentur confiteri peccata venialia. II. 625.

Mortis periculum, & articulus distinguuntur. II. 628.

*Mutus.*

Tenetur confiteri eo modo quo potest, sive per nutus, sive per scriptum. II. 604. Mutus non volens exprimere circumstantias peccatorum, sed signis tantum ostendens se offendisse Deum, absolvi potest. Ibid.

## N

*Nectarius.*

**E** piscopus Constantinopolitanus successor Gregorii Nazianzeni, & antecessor Chrysostomi. II. 527. Quomodo confessionem apud Sozomenum de mediis sustulerit. II. 556.

Nemrot translatus a Diis dixit Berosus. II. 92.

Nicænum concilium tempore Constantini a Sylvestro Pontifice coactum, historici pii, gravissimique testantur. II. 19.

*Noc.*

Præter tres priores filios, plures genuisse post diluivium, asserit Qqqq z rit

## 676 *Index rerum memorabilium.*

rit Berosus Anianus contra sacras literas. II. 92. & seq.  
Cum iaceret ebrius, carmine magico a Cham filio sterilis  
effectus est, secundum Berosum. Ibid.

### *Nomen.*

Nomina quædam sunt, quæ si in eadem lingua aliis verbis  
explicentur, nihil absurdum orietur, quod in nominibus  
Benoni & Melchisedech evenire potuit. I. 98. Nomen ge-  
neris speciei illi absolute tribuere, quæ est in eo genere  
imperfectissima, in more maiorum positum est. II. 223.  
Novatiani negarunt per absolutionem remitti peccata. II. 528.

### *Numerus.*

Locorum Theologicorum denarius est. I. 4. Numeri deprava-  
ti reperiuntur in Historia sacra & profana. II. 49. &  
seq. Numerus peccatorum mortalium ad confessionem in-  
tegram necessarius. II. 566.

Nuptias in Cana Galilææ non fuisse factas, anno integro post  
baptismum elapso, non sine causa aliqui putant. II. 33.

## O

### *Oblatio*

**C**orporis, & Sanguinis Christi, quam Missam, & sacri-  
ficium appellamus; ex apostolorum traditione habetur.  
II. 275. Oblatio duplex, universalis, & particularis. II. 285.

### *Offerte.*

Offerentes sacrificium non minorem partem accipiunt, si pro  
pluribus ac si pro uno duntaxat offerretur. II. 317. Non  
offerentes non accipiunt æqualem partem si pro pluribus,  
ac si pro uno tantum offerretur. Ibid. Offerentes sunt ad-  
iutores, auditoresque Missarum, hi etiam qui Sacerdoti  
alimenta ministrant, vel quoque modo sacrificio inser-  
viunt. II. 318. Offerentium quisque pro sua devotione  
partem capit sacrificii altaris. Ibid.

Operationes humanæ sunt, quæ in propria gratia, ex meri-  
tis nituntur, aliæ vero sunt, quæ non a nobis efficacitatem  
habent, sed prorsus a Christo. II. 300. & seq.  
Operosum & arduum est simul in Theologiæ controversiis &  
ele-

## *Index rerum memorabilium.* 2677

- elegans dicendi, & argutum disputandi genus observare. I. 5. & seq.
- Opus idem, si quatenus poena est, ad Deum; quatenus est culpa, ad auctorem. diabolum referamus; nihil absurdi est. I. 22.
- Ordines a summo Pontifice approbati, vel refelli, non pertinet ad ea, in quibus ipse errare non potest. I. 363.
- Oriens in sacris litteris accipitur pro terris, quae orientales ad illa sint, in qua sunt qui loquuntur. II. 31.

### *Osiander.*

- Contendit, quod de duobus patribus Ioseph, naturali & legali refertur, commentum esse. II. 20. Osiandro familiare est Sanctorum communem sententiam pro nihilo habere. II. 23.
- Ovis nomen plerumque pro iustis, & bonis accipitur, nonnumquam etiam pro malis, & improbis. I. 287.
- Ovile Christi aliquando pro solis probis, iustisque accipitur. Ibid.

## **P**

- P**Actum veritatis cum ecclesia initum, ad pastores, & doctores ipsius referendum. I. 366.
- Parabolae aliud in medulla, aliud in superficie pollicentur. I. 145.
- Passio.*
- Non potest esse honesta sicut actio, quando unum peccatum est poena alterius. I. 251. Passio Christi applicatur nobis in Sacramentis. II. 536.
- Pastores ecclesiae non propter maiorem sapientiam firmi in fide, & doctrina sunt, sed propter peculiarem Christi procuracionem. I. 365.
- Pater.*
- Qua Christus per se fudit precem, omni tempore, & loco exaudit, quas vero per homines, non semper exaudit. II. 314. Patres veteres in locutionibus, quae actum Dei sonant, videntur circa doctrinam, castitatem, errores, & peccata solam permissionem agnoscunt. I. 17.

Pa-

## 678 *Index rerum memorabilium.*

Patriarchæ duodecim sepulti sunt in Sichiem, non autem in Hebron. I. 177. & seq.

Paulum semen Abrahæ vocat populum gentium, eundemque fratrem appellat minorem. I. 19.

### *Peccatum.*

Collocatur in genere, & specie, uno modo formaliter, & directe, altero modo materialiter, & reductive. II. 210.

Peccati nomine actus liber & moralis intelligitur. I. 30. Peccati vox pro pœna peccati sæpe usurpatur. II. 292. Peccatis reservatis nemo potest absolvi a iudice inferiori, nisi cum facultate superioris. II. 578. Quando liceat circumstantiam peccati, per quam confessor possit peccati complicem intelligere, confiteri, quando reticere. II. 587. Peccatorum remissio dupliciter intelligenda. II. 596. Peccata venialia non tenemur confiteri. II. 605. Peccata est, pœnam divina sententia, in Sacramento illatam nolle subire. II. 646. Recidivum, & peccati consuetudinem Sacerdoti explicare, consulitur. II. 576.

Petri Oxoniensis assertiones damnatæ. II. 559.

Pœna duplex, animi & corporis. II. 474.

### *Pœnitens.*

Pœnitentis finis triplex. II. 445. In pœnitente semper coniuncta sunt detestatio vitæ veteris, & propositum novæ.

II. 449. Pœnitens diligentiam adhibere debet ad rememoranda singula peccata mortalia. II. 564. Pœnitentes caute interrogandi, & caute scribendæ summæ. II. 571. Pœnitens quando admonendus de peccato, quod ignorat. Ibid.

An pœnitens teneatur omnia peccata, etiam reservata, iudici inferiori confiteri, quando non es facilis aditus ad superiorem. II. 581. An pœnitens præsentî Sacerdoti per Scripturam confiteri possit, ut mutus. II. 610.

### *Pœnitentia.*

Pœnitentiæ Sacramenti institutio, præceptumque confessionis colligit synodus Complutensis ex illo, Quorum remisertis peccata. II. 183. Pœnitentia virtus & Sacramentum est. II. 442. & seq. An pœnitentia sit dolor de peccatis, quia Contra Deum fuere commissa. II. 452. Eius vocabuli origo. II. 443. Pœnitentia quid. Ibid. & seq. An ad veram pœnitentiam præter dolorem de peccato præterito, exigatur

tur propositum deinceps futura vitandi. II. 448. Pœnitentia non est sine actu charitatis. II. 454. De essentia pœnitentiæ est, quod displiceat peccatum, quia est contra Deum super omnia dilectum. II. 456. Pœnitentiæ est virtus. II. 461. Est virtus specialis a cæteris, quas Philosophi cognoverunt, distincta. II. 466. Pœnitentiæ proprius actus est, compensare offensam Dei. Ibid. Pœnitentia est virtus infusa. II. 469. Pœnitentiæ actus sufficiens ad justificationem non potest produci ab homine absque supernaturali auxilio Dei. II. 470. Pœnitentia interior necessaria est ad remissionem peccatorum mortalium. II. 474. Exterior necessaria est ad salutem. II. 476. Pœnitentiæ lex præceptum speciale continet. II. 507. Pœnitentiam differre periculosum. II. 514. Pœnitentia religionis opus non est, sed vindicationis. II. 516. Pœnitentiæ præceptum obligat in articulo necessitatis. Ibid. Pœnitentiæ præceptum affirmativum est, & fundatur in præcepto charitatis affirmativo. II. 518. Pœnitentiæ exterior, in qua Sacerdos pœnitentem absolvit, est Sacramentum. I. 569. Pœnitentiæ Sacramentum constat contritione, confessione, & satisfactione, tanquam materia, contra Scotum, & Durandum. II. 532. Pœnitentiæ forma sunt verba absolutionis. II. 533. Pœnitentiæ Sacramentum in re susceptum non est necessarium ad salutem. II. 535. & seq. Est necessarium ad salutem peccatoribus baptizatis in re susceptum, si facultas absit, sin minus in voto. II. 536. Pœnitentia sine satisfactione sacrificium est. II. 643. Pertinax ille est, qui nimis in errore permanet, falsamque sententiam mordicus defendit. II. 205.

*Petrus Apostolus.*

Vt caput ecclesiæ, ita fundamentum es. I. 394. Cum ecclesiam docebat, & oves in fide firmabas, errare non potuit. I. 395. Petrus si posset, oves Christi falsis erroribus pascere, non esset a Christo ecclesiæ provisum. I. 397. Dominicus oraculis commonitus, & civitate Antiochena Romanam emigravit, cathedramque inde transtulit. I. 437. Petri privilegium fuit, ut eius ne personalis quidem fides deficeret. I. 438. Petro, & successoribus eius primo certam doctrinam asserere debemus, deinde ecclesiæ Romanæ.

næ. I. 423. Petro data est potestas non minus ad tollendam ignorantiam, quam ad tollenda peccata. I. 396. Petro sunt commissi, quicumque habent Sacramentum fidei. I. 288. Petro defuncto, divino iure succedit alius in eadem auctoritate, & potestate. I. 367. Petrus significantissimis verbis patefacit, quando apostoli gloriam quasi unigeniti a Patre viderint. II. 327. Petrum Apostolum instituit Christus pastorem ecclesiæ universalis. I. 392. In Petro aliud est, quod spectat ad privatam hominis excellentiam, aliud quod pertinet ad ecclesiæ utilitatem. I. 441. Petrum Romæ collocasse sedem, & martyrium passum esse, graves historiæ tradunt. II. 19.

*Philo.*

Philones duo fuerunt, unus Philosophus & Theologus, alter historicus mendax. II. 88. Philonis auctoritas magna fuit, sed breviarium temporum, & libellus alter de antiquitatibus, Philonis non fuerunt. II. 120.

Philosophi veteres pœnitentiam commendarunt. II. 468.

*Philosophia.*

Non est meretrix vaga, & garrula, sed Thamar, quæ causâ prolis sedit in trivio. I. 551. Vera est rerum humanarum ac divinarum, terrestrium atque cœlestium scientiam. I. 552. & seq. Circa fidei veritatem quomodo se habeat. I. 542.

*Plato.*

Voluptatem appellat escam malorum. I. 551. Asserit animos esse immortales. II. 151. Docet Sacerdotes magna oportere claritate abundare propter eorum quæ tractant magnitudinem. II. 273. & seq.

*Pontifex.*

Summus tantam in ecclesiâ habet auctoritatem, quanta ad continendos Christianæ Reip. cives in fide, religione, & officio est necessaria. I. 401. Summus Pontifex potest esse hæreticus. I. 441. Non est hæres propriorum privileg. Petri, sed eorum, quæ spectant ad ecclesiæ commune bonum. Ibid. & seq. Potest dispensare in his, quæ apostoli tanquam ecclesiæ pastores constituerunt. I. 209. Nunquam contra Patres concilii bene sentientes dicit. I. 341. Pontifex, & con-

cilium in fidei definitionibus debent adhibere sufficientem diligentiam. I. 342. Pontifex, & concilii Patres præstat semper quod in se est, cum de fide pronuntiam. I. 346. Pontifex, & concilium, qua via procedant in iudiciis fidei. I. 351. Pontifex a fidelibus iudicari potest in solo casu hæresis. I. 441. Non tenetur in conciliis amplecti maioris partis sententiam. I. 340. Ad ipsum pertinet definire, quisnam liber sit canonicus. I. 49. Pontifices respondent sæpe ad quæstiones privatas suam opinionem exponendo, non autem ferendo sententiam. I. 428. Cum edunt libros de re qualibet, non tanquam iudices de fide pronuntiant. I. 431. Aliqui Pontifices inciderunt in hæresim. I. 439. & seq. Pontifex quando subiicitur ecclesiæ in foro exteriori, quando in interiori? II. 552. Pontifici Romano, tanquam successori Divi Petri, commissæ sunt claves Ecclesiasticæ potestatis. II. 553. Summo Pontifici nullum crimen reservatur, quod non habeat annexam excommunicationem. II. 580. Pontifex ea, quæ sunt de iure positivo, sine causa tollere potest. II. 644.

Populus Iudæorum Machabæis ducatum tradidit, non tanquam proprium, & hæreditarium, sed ad legem depositi conservandum. I. 91.

*Potentia divina*

Absoluta definiiri solet circa eas res, quæ non implicant contradictionem. I. 12. Ordinata definitur circa ea, quæ esse possunt salva lege, statutisque divinis. *Ibid.*

*Præceptum*

Vulgo datum de hæretico denunciando, prudentia plena est. II. 213. In sacris literis pro lege, & ordinatione quandoque accipitur. I. 29. Præceptum Domini, seu consilium Paulus vocat, quod Christus ore proprio præcepit in evangelio, vel consuluit. I. 361. Præcepta, quæ in sacris literis scripta sunt, quædam a Christo apostoli acceperunt gentibus evangelanda, quædam ipsi apostoli populo tradiderunt: illa non potest ecclesia solvere, ista potest. I. 164. Præcepta, & instituta Apostolorum, quædam temporaria fuere, quædam perpetua. I. 208. Tria præcepta ponuntur, ad argumenta Theologiæ inveniendâ. II. 237. Præcepto divino id fieri dicitur, quod ordine iustitiæ divinæ fit. I. 30.

## 682 *Index rerum memorabilium.*

Præcepti transgressor non est, qui actui bono ex genere suo, quem lex præcipit, apponit malam aliquam circumstantiam. II. 603. Non omnia præcepta Christi, & ecclesia sunt scripta. II. 635. Præcepta dupliciter obligant. II. 636. Prælati superiores licite possunt sibi aliqua peccata reservare. II. 577.

Præsbyteri dicuntur Sacerdotes, id est, seniores, quoniam etiam apud gentiles, non nisi in regibus, vel senioribus Sacerdotium residebat. II. 284.

### *Princeps.*

Princeps & præfecti Ecclesiastici, ecclesia appellantur, & sunt. I. 250. & seq. Principes & optimates soli erga Deum habebant olim cæremoniarum facultatem. II. 274.

### *Principium.*

Principia disciplinarum bipartita sunt. I. 35. Quædam simpliciter sunt prima, alia sunt præcipua quidem & immediata, sed contractiora. II. 148. Principia hæc, Deus est, & est remunerator inquirentium se, tanquam prima credibilia omnes fidei articulos simpliciter in se continent. Ibid.

Professores Doctrinæ Christianæ duabus quasi personis induti sunt. I. 531.

Proximitas utilitate pensatur. I. 8.

Prophetæ intelligebant, quænam prophetiæ essent comminatoriæ, quapropter minime falebantur. I. 20.

### *Propositio.*

Propositionum, quæ ad fidem attinent, duo gradus generales collocantur. II. 172. Propositio erronea ab hæretica, non modo cogitatione, sed re etiam separatur. II. 222. Propositio erronea est error, qui minus quiddam, quam aperta hæresis, Catholicæ Doctrinæ contrarius est. II. 224. Sapiens hæresim, quæ sit. II. 225. Male sonans quæ. II. 229. Propositionum saporès magis discernuntur viribus sentiendi & gustandi, quam speculandi. II. 228.

Propositum vitæ novæ est de ratione & essentia poenitentia. II. 448. & seq.

Proverbia Salomonis vix explicari possunt, nisi habita ratione Hebræicæ consuetudinis & sermonis. I. 145.

Proximus non cogitatione tantum, sed humanitate definitur. II. 372.

*Quas-*



## Q

### *Quæstio*

**T**heologica est duplex, altera, cuius cognitio est ad salutem necessaria, altera, cuius ignoratio sine salutis iactura esse potest. I. 355. *Quæstio & conclusio eadem res est.* II. 160. *Quæstio Theologica, sive ad contemplationem, sive ad mores attineat, alia est naturalis, alia supernaturalis, alia media.* II. 164. *Quæstiones quatuor, quas Aristoteles infert de unaquaque re, quo pacto terminari queant.* II. 161. *Quæstiones cognitionis quadripartitæ.* II. 163. *Quæstiones Theologicæ sunt quædam, pro quarum veritate Theologo est in capitis discrimen veniendum: sunt & aliæ, quæ ignorari & negari sine fidei iactura possunt.* II. 164. *Quæstiones naturales in duplici sunt differentia, quædam solis naturæ argumentis probantur, aliæ fidei etiam auctoritate confirmantur.* II. 348. *Quæstionum actionis duo sunt genera.* II. 161. & seq.

## R

### *Ratio.*

**R**ationes naturales, & humanas Theologo non solum utiles, sed *necessarias esse ostenditur.* I. 531. *Rationes naturales non sunt arma Saulis, quæ pugilem magis gravant quam iuvant, sed potius Gladius Goliath.* I. 540. *Rationes naturæ, quæ in usum Theologiæ veniunt, firmæ nonnunquam, & infirmæ sunt.* I. 543. *Rationes Philosophiæ qui reiicit, Dei veritati, qua illæ subsistunt, refragatur.* I. 544. *Rationibus naturalibus exteri ad fidem adducuntur, fratres confirmantur, dociles invitantur, repugnantes repelluntur.* I. 537. & seq.

### *Regula*

**T**res, ad quas fidei iudicia externa dirigenda sunt. II. 216. *Regulæ tres Annii, quasi indices, quibus historici cuiuscumque fides ac veritas exploretur.* II. 81. *Has regulas*

## 684 *Index rerum memorabilium.*

- vanas esse Canus probat. Ibid. Harum regularum, & An-  
nii censura. Ibid. & seq. Regulae & leges multiplices sunt,  
quae veraces historicos a fallacibus distinguunt. II. 103.  
Prima ex hominum probitate sumitur. II. 104. Secunda  
praefert historicos, qui severitati ingenii quamdam pru-  
dentiam adiunxerunt, ad eligendum, & ad iudicandum.  
II. 111. Tertia, cui historico auctoritatem ecclesia tri-  
buit, hic dignus est, cui nos etiam auctoritatem adiu-  
gamus. II. 113.  
Religioni apud veteres quantus honor habitus. II. 274.  
Remissio iniquitatis duplex, una perfecta, altera imperfecta.  
II. 436. & seq.  
Res a Deo creatae improprie dicuntur esse fallaces. I. 12. & seq.  
Respublica non potest contineri, nisi premio bonorum, &  
pœna malorum. II. 151.

## S

### *Sacerdotes.*

- L**aboris sui mercedem accipere a multis pro una missa  
non potest. II. 317. Sive pro paucis, sive pro pluribus  
celebret, cibum vitae necessarium exigere suo iure potest.  
Ibid. Sacerdotes illi a Deo vocati sunt, qui ab apostolis  
& eorum successoribus rite vocati sunt. II. 283. Sacerdo-  
tes habent a Christo potestatem absolvendi peccata. II.  
530. Non possunt iudicare de peccatis, nisi ea cognos-  
cant. II. 531. Iudices constituti sunt omnium peccatorum,  
tam publicorum, quam occultorum. Ibid. Sacerdos qui-  
libet in articulo mortis absolvere potest. II. 548. & seq.  
Quilibet dum ordinatur, qualem accipiat potestatem iu-  
risdictionis. II. 552. & seq. Sacerdos proprius quis. II. 612.  
Sine consensu sacerdotis proprii, alteri non licet confite-  
ri. II. 614. Sacerdos simplex ex se non habet iurisdictio-  
nem absolvendi. Ibid. Sacerdos non habet potestatem iu-  
risdictionis ab ordinatione. Ibidem. Sacerdotes habent  
potestatem absolvendi & ligandi. II. 646.

### *Sacramenta*

- Medicina sunt, qua homo descendens in Iericho curatur.

II.

II. 372. Sacramentum definitur. II. 373. Sacramenta sunt cæremoniæ ad Dei cultum pertinentes. II. 374. & seq. Sacramentorum materiæ earum rerum similitudinem gerunt, quarum signa sunt. II. 376. Sacramentum est signum sanctitatis practicum. Ibid. Sacramenta constant materia, forma, & ministro. II. 377. Post Adæ lapsum omni tempore fuerunt ad salutem necessaria. II. 414. Sacramenta fuerunt in lege veteri. II. 417. Novæ legis sunt causa gratiæ, & salutem animæ adferunt. II. 420. & seq. Sacramenta novæ legis sunt septem. II. 433. Sacramenta veteris legis nullæ prorsus causæ fuerunt gratiæ, aut salutis. Ibid. Novæ & antiquæ legis quomodo differant. II. 434. & seq. Sacramentorum novæ legis auctor Christus. II. 437.

Sacrificare quid. II. 256.

*Sacrificium*

Est proprium opus religionis. II. 256. In sacrificio oportet hostiam esse, quæ immoletur. Ibid. Sacrificium esse non potest ubi non est oblatio. II. 257. Sacrificium quidam aliud præter oblationem sibi vendicat. Ibid. Sacrificium & donum differunt. Ibid. Sacrificii nomen dupliciter in sacra Scriptura accipitur. II. 259. Sacrificium si fuerit cruentum, mors erit cruenta, si vero incruentum, mors quoque erit mystica, & incruenta, id est effectus mortis, seu non præsens adesset. II. 287. & seq. Sacrificiorum plura quam duo genera fuerunt in veteri testamento. II. 262. & seq. Sacrificii nomen interdum pro re, quæ Domino offertur, interdum vero pro actione ipsa sacrificandi solet accipi. II. 263. Sacrificium eucharistiæ duobus modis a catholicis asseritur. Ibid. Sacrificium vere & proprie est in lege nova. Ibid. Sacrificii altaris effectus nec a bono ministro fit maior, nec a malo fit minor. II. 305. Sacrificium altaris per modum redemptionis, & pretii prodest vivis, defunctis vero per modum orationis & suffragii. II. 315. Sacrificium quo pacto dicatur delere crimina, & remittere peccata. II. 309. Sacrificium altaris per se propitiatorium est, ex se quoque ad remissionem peccati institutum. II. 313. Sacrificium an contineat occisionem animalis, quod offertur, & quomodo in eu-  
cha-

## 686 *Index rerum memorabilium.*

charistia hostia mors interveniat. II. 287. Sacrificium in lege duplex. II. 377. & seq.

Sacrilegium est poenitentia sine satisfactione. II. 645.

*Salomon.*

In peccatis, Christi typus non fuit, sed in pace. I. 19. Studium humanæ sapientiæ vocat occupationem pessimam, non quia mala, sed quia molesta sit. I. 551. Salomonis sententias sparsas alii collegerunt. I. 93.

Salmanassar, & Senacherib eundem fuisse dixit Eusebius, manifeste contra sacram Scripturam. II. 117.

*Salus*

Duplex, æterna, & qua nunc sanamus a peccato. II. 391. Ad salutem aliquid necessarium est dupliciter. II. 497. & seq.

*Sancti.*

Sancti omnes, & Doctores ecclesiæ, si asseruerint aliquem librum esse canonicum, habendum est perinde ac si tota ecclesia asseruisset. I. 47. De sanctorum auctoritate trifariam disputari potest. I. 449. Sanctorum testimonia referri possunt; vel ad Philosophiæ dogmata, vel ad assertiones fidei comprobandas. Ibid. Sanctorum auctoritas cum adfertur ad facultates, quæ naturali lumine continentur, tantum pollet, quantum rationaturæ consentanea persuaserat. I. 451. Sancti auctores, etiam probatissimi; non eodem gradu & loco sunt omnes. I. 455. Sanctorum plurium auctoritas, reliquit licet paucioribus reclamantibus, firma argumenta Theologo præstare non valet. I. 456. Omnium communis intelligentia certissimum argumentum Theologo præstat ad Theologicas assertiones corroborandas. I. 459. Sanctos Doctores in eundem scripturæ sensum convenientes qui contempserit, non homines contemnit, sed Deum. I. 469. Sanctis Doctoribus sacrarum literarum intelligentia per spiritum data est. I. 476. Sanctis omnibus in Scripturæ sacræ interpretatione qui Spiritum veritatis negat, hic eundem Spiritum ecclesiæ tollit. Ibid. Sancti simul in fidei dogmate errare non possunt. Ibid. Sanctorum Patrum doctrina, & ecclesiæ traditio ita sunt coniuncta, ut dissociari non possunt. I. 478. & seq. Sanctorum Patrum antiqua consensio non in omnibus divinæ legis quæstiunculis, sed solum in fidei regula est certo sequenda. I. 481.

*SAN*

# Index rerum memorabilium. 687

## Sanguis Christi

In singulis Sacramentis peculiarem effectum operatur, iuxta cuiusque peculiarem significationem, & naturam. II. 313. In speciebus panis, & vini remissionem peccatorum, & culparum venialium tribuit. Ibid. & seq. Ex significatione specierum panis, & vini, tamquam ex causa instrumentali, & adiutrice definitur, ut eam remissionem efficiat, cuius participes sunt ii, qui non indigne ad altare Domini accedunt. II. 314. Sanguis Christi noster est, eo modo, quod lux Solis nostra est, nempe ut causa universalis. II. 284. & seq.

## Satisfactio,

Qua ratione per poenitentiam. II. 535. Ad sacerdotis arbitrium post Sacramentum poenitentiae est ad salutem necessaria. II. 545. Quare. II. 547. De satisfactione post absolutionem an sit praeceptum divinum. II. 644. Satisfactio Sacramentalis necessaria est ad Sacramentum poenitentiae perficiendum. II. 647.

Scientia pietatis est, nosse legem, intelligere prophetas, evangelio credere, apostolos non ignorare. I. 554.

## Scriptura

Scripturae Sacrae firmitas corrumpitur, si per ministros falli a Deo possumus. I. 13. & seq. Scriptura minutos numeros praeterire aliquando solet. II. 74. Scripturae Sacrae vis & energia in aliquibus locis non satis per negationem explicatur. I. 27. Scriptura est iudex mortuus, qui nec litigantium utrinque rationes audire, nec sententiam eloqui valet. I. 401. Scripturae usus est, perinde populum reprehendere, ac si omnes mali essent, atque ita consolari, ac si omnes essent boni. I. 277. & 296. Scripturae Sacrae expositio legitima per maiorem traditionum accipienda est. I. 459. & seq. Scriptura in pluribus locis hebraicum verbum cum interpretatione sua ponit. I. 99. Scripturae praecepta temporaria quaedam, quaedam vero aeterna sunt. I. 163.

Sedes Apostolica, & insidens ei in fide, iudicio, atque decreto pro eodem reputantur. I. 422.

## Signum

Est, quod praeter speciem, quam ingerit sensibus, aliud a se cognoscere facit. II. 374. Signum sanctitatis speculativum & practicum. II. 376.

Sy-

## 688 *Index rerum memorabilium.*

### *Synagoga*

Post tempora Moysis habuit semper unum Summum Pontificem, e cuius iudicio privati omnes cives, ac iudice etiam minores penderent. I. 400.

Sozomenum forte pro Theodoro damnat Gregorius; nam quæ illi obiicit, in Theodoro reperiuntur. II. 118.

Spiritum Sanctum a Filio procedere, concilium Ephesinum ex illo scripturæ loco, De meo accipiet; & ex illo, Quem ego mittam vobis, &c. accepit. II. 177.

Speculum exemplorum, & aurea legenda taxantur. II. 112.

Stellam apparuisse Magis ante Christi nativitatem, Chrysostomo, & Augustino placet. II. 31.

## T

### *Tempus.*

**T**emporis circumstantia non est necessario dicenda in confessione. II. 572. Ius divinum nullum certum tempus confitendi præscribit. II. 576.

Tertulliani opuscula apochrypha per Gelasium. II. 122.

### *Testamentum*

Minus solemne an sit validum secundum sententiam Alexandri Tertii. I. 424. & seq. Testamentum apud Latinos interdum pactum, & promissionem significat. I. 102.

### *Theologia*

Ratio est, sermoque de Deo. II. 127. Theologia scientiæ appellationem proprie sibi vendicat. II. 134. Circa res etiam contingentes versatur sine nominis sui iactura. Ibid. Theologia duplex, naturalis, & supernaturalis. II. 140. Theologia nullo modo inutilia colligit, quin super Dei fundamentum, aurum, argentum, lapides pretiosos superædificat. II. 161. Theologica conclusio, seu questio ea proprie est, quæ ex Theologiæ principiis, ut effecta e causis suis oritur. Ibid. Theologiæ tractatio bipartita est. II. 128. Theologiæ finis primarius est divinæ naturæ contemplatio, postremus autem earum rerum actio, quæ ad bene, beateque vivendum sunt necessaria. II. 132. Theologiæ consequentiæ firmæ & evidentes sunt. II. 135. Theologiæ

ratio formalis duplex. II. 144. Theologiæ ratio formalis est, esse revelatum a Deo, lumenve divinitus infusum. II. 145. Theologiæ principia per fidem intelligi asserunt fere Theologi, qui de viatorum Theologia disputant. Ibid. Ea Theologiæ principia sunt habenda, quæ per sacros auctores ecclesiæ sunt divinitus revelata. II. 147. Vera & germana Theologiæ principia sunt, quæ libris sacris, & apostolorum traditionibus continentur. Ibid. & seq. Eius primaria principia sunt articuli fidei, cætera omnia quæ in sacris literis, vel in traditionibus assumuntur, sunt secundaria. II. 149. Theologiæ effecti cum in dubium vocantur, quæstiones sunt, cum ratione coguntur, conclusiones. II. 160. Theologiæ principia, vel disposita inter se, & ordinata sunt, vel connexa, & colligata. II. 162. Theologiæ ecclesiasticæ quod proprium munus. I. 487. Theologiæ veræ tres fines, scientia Dei, cœlestium rerum cognitio, humanarum prudentia, & usus. I. 460. & seq. Theologiam Scholasticam, explodunt, & exhibent hæretici iuniores. I. 484. Theologiam non esse speculatricem, sed effectricem, conantur aliqui persuadere. II. 130.

*Theologus*

Materiam a priscis auctoribus, formam a iunioribus mutuari debet, in Proœmio. Præter communem artem disserendi, quam dialectici tradunt, aliam habeat necesse est. Ibid. Theologus scholasticus est, qui de rebus Divinis prudenter e literis, & Divinis institutionibus ratiocinatur. I. 486. Theologi omnia Theologiæ principia in quæstionem verterunt. II. 161. Disserentis Theologi primum officium. II. 166. Theologi universi in Theologiæ certis decretis definiendis errare non possunt. II. 183. Theologi quidam indigne nominantur. I. 487. Theologorum Scholasticorum testimonium, si alii viri docti contra pugnant, non plus valet, quam ratio eorum, vel auctoritas comprobatur. I. 492. Theologorum omnium communi sententiæ refragari, temerarium est. I. 493. Theologis, qui pontificum canones ignorant, multa desunt ad usus Theologiæ necessaria. I. 514.

*Traditio*

Ad hæreticos confutandos maiorem vim, quam Scriptura habet.

1qm. II.

Ssss

bet.

## 690 *Index rerum memorabilium.*

bet. I. 199. Traditionum Apostolicarum alteras apostoli a Christo Domino acceperunt, alteras vero apostoli ipsi Spiritu Sancto suggerente ad ecclesiæ utilitatem ediderunt. I. 208. Traditiones Apostolicæ impugnantur ab hæreticis. I. 182. Ad traditiones Christi, & apostolorum investigandas viæ quatuor sternuntur. I. 203. Traditionum Apostolicarum certitudo multis rationibus confirmatur. I. 210. & seq. Traditiones sunt divina verba, non aliter ac illa, quæ sacris libris scripta sunt. I. 220. & seq. Traditiones non sunt divinarum scripturarum additamenta, sed complementa, & earum quasi commentarii. I. 221.

### *Transmigratio.*

Septuaginta anni transmigrationis quomodo computandi sunt, an in primum annum Cyri, an vero in secundum Darii fuississime disputatur. II. 41. & seq. Transmigrationis septuaginta annorum initium a desolatione sumendum est, non a transmigratioe. Ibid.

Turris David, id est, Sacræ Scripturæ auctoritas arietibus quatuor concuti solet. I. 7.

## V

**V**asa argentea ac aurea, & suppellex Ægyptiorum quid significant. I. 490.

### *Veritas*

Purissima non est, cui quoquomodo est falsitas permixta. I. 16. Veritas quædam est, quæ non habet pietatem. I. 154. Veritas scripturæ semper fuit connexa cum rectitudine fidei. I. 116. Veritas scripturæ vere, & proprie in intellectu est, Scripturæ autem improprie tanquam in signo. II. 176. Veritates quædam catholicæ ita ad fidem pertinent, ut his sublatis, fides quoque ipsa tollatur. II. 223. Veritates quædam catholicæ sunt, quibus eversis, fides quatitur, sed non evertitur. Ibid.

Vincencius Belluacensis, & D. Antoninus non tam vera, quam multa scripserunt. II. 113.

### *Vindicta.*

Vindicta iusta duplex. II. 44. Vindicta finis triplex. Ibid.



# *Index rerum memorabilium. 691*

## *Vir.*

Viri apostolici, & spirituales omnia discernunt, quæ ad salutem sunt necessaria. I. 64. Viri prudentes nolunt cognitionem de Deo vacantem, & otiosam esse. II. 131.

## *Virtus.*

Virtus est habitus electivus in mediocritate consistens. II. 461. Virtus infusa duplex. II. 469.

Vitam corporalem quilibet tenetur conservare. II. 521.

Wiccleff docuit confessionem esse superfluum, & inutilem. II. 541.

## *Vnctio.*

Vnctio interior sapientibus ecclesiæ Magistris sufficit ad ea quæ fidei adversantur refutanda, at ignorantibus opus est externa doctrina. I. 50. Vnctionis sacri chrismatis virtus. II. 421. In voce ambigua non licet unumquodlibet significatum accipere. I. 273.

Volente aliquo, ea fieri dicuntur, quæ non invito fiunt. I. 30.

Votum Sacramenti pœnitentiæ implicitum peccatoribus baptizatis non sufficit ad salutem, sed explicitum, & formale. II. 539. & seq.

Vulgata dictione rerum vocabula pro rerum imaginibus usurpantur. II. 39.

## *Vulgus.*

Vulgi falsæ opiniones in duplici sunt differentia. II. 38. Vulgi sermones non solent homines severi aucupari, quamvis gravissimi viri in scribendo id fecerint. II. 112.

# INDEX

## LOCORVM SAC. SCRIPTVRÆ,

### QVI IN HIS OPERIBVS EXPLICANTVR.

#### *Genesis.*

- C**AP. I. Inspiravit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viventem. II. 178.
16. Illa concepisse se videns, despexit dominam suam, &c. I. 541.
18. Descendam, & videbo, utrum clamorem opere compleverint. II. 340.
19. Ne respicias post tergum. I. 144.
22. Expectate hic, ego & puer postquam adoraverimus, revertemur ad vos. I. 9.
26. Isaac, discedens ut veniret ad torrentem Gerare, habitaretque ibi, rursum fodit alios puteos, quos foderant servi patris sui Abraham, &c. I. 127.
29. Ego sum primogenitus tuus Esau, &c. I. 19.
41. Per salutem Pharaonis exploratores estis. I. 31.
46. Omnes animæ domus Iacob, quæ ingressæ sunt in Ægyptum, fuere septuaginta. I. 177.

#### *Exodi.*

1. Erant igitur omnes animæ eorum, qui egressi sunt de femore Iacob, septuaginta. Ibid.
12. Fecerunt filii Israel, sicut præceperat Moyses, & petierunt ab Ægyptiis vasa argentea, & aurea. I. 21.
31. Vocavi ex nomine Beseleel, & implevi eum sapientia. I. 544.

#### *Leviti.*

4. Orabit pro eo sacerdos, & dimittetur ei. II. 311.
16. Sabbatum requisitionis est, affligetis animas vestras, ab omnibus peccatis vestris mundabimini. II. 515. & 526.

#### *Numer.*

22. Si vocare te venerint homines isti, surge & vade cum eis. I. 21.
23. Non est Deus ut homo, ut mentiatur, nec ut filius hominis, ut mutetur. I. 15.

36. Omnes enim viri ducent uxores de tribu, & cognatione sua. I. 130.

*Deuteron.*

17. Si difficile & ambiguum apud te iudicium esse prospexeris, venies ad Sacerdotes Levitici generis, &c. I. 398.

17. Qui autem superbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, &c. ex decreto iudicis morietur. I. 338.

18. Qui verba prophetæ, quæ loquetur in nomine meo, noluerit audire, ego ultor existam, &c. quod si in nomine Domini propheta ille prædixerit, & non evenerit, hoc Dominus non est loquutus. I. 36. & seq.

*1. Regum.*

13. Filius unius anni erat Saul cum regnare cœpisset. II. 62.

*2. Regum.*

16. Dominus præcepit ei ut malediceret David. I. 24.

*3. Regum.*

6. Factum est ergo quadringentesimo octogesimo anno egressionis filiorum Israel de terra Ægypti, &c. II. 65. & seq.

8. Non est homo qui non peccet. I. 247.

22. Ero spiritus mendax in ore omnium Prophetarum. I. 22.

*4. Regum.*

12. Athalia vero mater Ochoziæ videns mortuam filium suum, occidit omne semen regium. II. 88.

*Primi Paralip.*

15. Proficiebat David vadens & crescens. II. 337. & seq.

*Secundi Paralip.*

15. Bellum vero non fuit usque ad tricesimum quintum anni 93. regni Asa. II. 61.

17. Crevit Iosaphat, & magnificatus est usque in sublime. II. 338.

*Iob.*

12. Qui immutat cor principum, & decipit eos, & errare eos facit quasi ebrios. I. 26.

85. Qui docet nos super iumenta terræ, & super volucres cœli erudit nos. I. 367.

*Psalmodiarum.*

11. Salvum me fac, quoniam defecit sanctus. I. 277.

15. Adimplebis me lætitia cum vultu tuo, &c. II. 342.

21. Spes mea ab uberibus matris meæ. II. 322.

## 694 *Index Locorum*

31. Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. II. 290.  
 40. Beatum faciet eum in terra. II. 327.  
 44. Dilixisti iustitiam & odisti iniquitatem, propterea unxit te Deus. II. 323.  
 47. Circumdate Sion, & complectimini eam, &c. quoniam hic est Deus Deus noster, ipse reget nos in sæcula. I. 255.  
 49. Immola Deo sacrificium laudis. II. 264.  
 50. Sacrificium Deo spiritus contribulatus. II. 259.  
 52. Deus de cœlo prospexit super filios hominum, ut videat si est intelligens, &c. II. 340.  
 73. Iratus est furor tuus super oves pascuæ tuæ. I. 288.  
 88. Disposui testamentum electis meis, iuravi David servo meo, usque in æternum præparabo semen tuum. I. 255.  
 93. Qui docet hominem scientiam. I. 567.  
 118. Erravi sicut ovis quæ periit. I. 287.  
 144. Fidelis Dominus in omnibus verbis suis, & Sanctus in omnibus operibus suis. I. 15.

### *Proverbiorum.*

2. Dominus dat sapientiam, & ex ore eius prudentia. II. 394.  
 5. Ne intenderis fallaciæ mulieris, favus enim distillans labia meretricis, &c. I. 527.  
 7. Mulier garrula & vaga quietis impaciens, &c. I. 551.

### *Ecclesiastes.*

1. Vanitas vanitatum & omnia vanitas, &c. I. 547.  
 7. Non est homo iustus in terra, qui faciat bonum, & non peccet. I. 247.  
 12. Donec revertatur pulvis in terram unde erat, & spiritus redeat ad Deum qui dedit illum. II. 378.  
 12. Verba sapientium sicut stimuli, & quasi clavi in altum defixi. I. 470.  
 12. Deum time, & mandata eius serva, hoc est enim omnis homo. I. 550.  
 21. Fili peccasti? Non adicias iterum, sed de pristinis deprecare, ut tibi dimittantur. II. 475.

### *Canticorum.*

2. Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias. I. 287.  
 5. Tenui eum, nec dimittam. I. 254.

Sapientia.

2. Nescierunt Sacramenta Dei, neque mercedem speraverunt iustitiæ, &c. quoniam Deus creavit hominem inextinguibilem, & ad imaginem similitudinis suæ fecit illum. II. 362. & 365.
9. Cogitationes mortalium timidæ & incertæ providentiæ nostræ. I. 549.
13. Vani enim sunt omnes homines, in quibus non est scientia Dei, &c. I. 543.

Ecclesiastici.

8. Non te prætereant narratio seniorum. I. 467.
15. Non dicas, ille me implanavit. I. 23.
37. A consiliario serva animam tuam, ne forte mittat sudem in terra, & dicat tibi, bona est via tua. I. 144.

Esaiæ.

11. Erit fides cinctorium renum eius. II. 322.
22. Expellam te de statione tua, & de ministerio tuo deponam te, &c. I. 368.
38. Morieris, & non vives. I. 20.
38. Projecisti post tergum tuum omnia peccata mea. II. 290.
50. Dedit illis linguam eruditam, ut sciant sustentare eum, qui lapsus est verbo, aperuit illis quoque aurem. II. 158.
53. Pro eo quod laboravit anima eius, videbit, & saturabitur. II. 341.
54. In misericordia sempiterna misertus sum tui, dixit redemptor tuus Dominus, &c. usque, Et foedus pacis meæ non movébitur. I. 367.
59. Spiritus meus qui est in te, & verba mea quæ posui in ore tuo, non recedent, &c. I. 255. & II. 175. & I. 474.
62. Ecce salvator tuus venit, ecce merces eius cum eo, & opus eius coronam illo. II. 342.
56. Ad quem aspiciam, nisi ad pauperulum, & contritum spiritu? II. 486.

Jeremiæ.

- Dabo vobis pastores, qui pascant vos scientia, & doctrina. I. 315.
- Convertimini filii, revertentes & sanabo aversiones vestras. I. 287.
20. Seduxisti me, Domine, & seductus sum. I. 29.

© Del documento, los autores. Digitalización realizada por ULPGC. Biblioteca Universitaria, 2008

25. Servient gentes istæ regi Babylonis septuaginta annis, cumque impleti fuerint septuaginta anni, visitabo super regem Babylonis. II. 19.
30. Postquam enim convertisti me, egi pœnitentiam. II. 47.
31. Novum creavit Dominus super terram, fœmina circumdabit virum. II. 325.
32. Feriam eis pactum sempiternum, & non desinam eis benefacere, & timorem meum dabo in corde eorum, ut non recedant a me. I. 367.
32. Iste est populus, quem transtulit Nabuchodonosor. II. 63.

*Ezechielis.*

9. Domus Israel nolunt audire te, quia nolunt audire me. I. 277.
16. Emundavi sanguinem tuum ex te, & unxi te oleo, &c. I. 290.
18. Facite vobis cor novum, & spiritum novum. II. 452.
34. Suscitabo super eas pastorem unum qui pascat eas, ipse erit eis in pastorem. I. 470. & seq.
37. Percussiam illis fœdus pacis, pactum sempiternum erit eis. I. 367.

*Danielis.*

4. Peccata tua eleemosynis redime. II. 464.
9. In dimidio hebdomadis deficiet hostia, & sacrificium. I. 286.

*Osee.*

2. Sponsabo te mihi in sempiternum, &c. Sponsabo te mihi in fide. I. 254.
14. Reddemus vitulos labiorum nostrorum. I. 413.

*Amos.*

6. Væ vobis qui opulenti estis in Sion, & confiditis in monte Samariæ, optimates, capita populorum. I. 301.

*Iona.*

3. Adhuc quadraginta dies, & Ninive subvertetur. II. 74.

*Abacuc.*

2. Iustus ex fide sua vivit. II. 302.

*Aggai.*

2. Interroga Sacerdotes legem. I. 314.

*Malachie.*

1. Non est mihi voluntas in vobis, & munus non suscipiam de manu vestra: A solis enim ortu, &c. & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda. II. 388.
2. Labia sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore eius. I. 314.

*I. Machabeorum.*

7. Homo Sacerdos de semine Aaron venit, non decipiet nos: II. 110.

*Matthai.*

2. Ecce Magi ab oriente venerunt. II. 29.
2. Tunc Herodes videns, quoniam illus esset a Magis, mittens occidit omnes pueros, &c. II. 30.
3. Ego baptizo vos aqua. II. 419.
3. Facite fructum dignum penitentiz. II. 440.
5. Vos estis lux mundi. I. 249.
5. Si offers munus tuum ad altere, & ibi recordatus fueris, &c. II. 634.
6. Dimitte nobis debita nostra. I. 249.
10. Nolite cogitare, quomodo, aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. I. 160.
10. Quae in aure auditis, praedicate super tecta. I. 225.
10. Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere. II. 349.
12. Ecce mater tua, & fratres tui foris stant querentes te alloqui. II. 25.
15. Quare & vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram? I. 323.
16. Cavete a fermento Pharisaeorum. Ibid.
16. Beatus es Simon Bariona, quia caro & sanguis non revelavit tibi, &c. I. 393.
26. Super hanc petram aedificabo ecclesiam meam, & portae inferi non praevalent adversus eam. I. 255, & 368. & 402.
16. Tibi dabo claves regni caelorum. Ibid.
16. Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in caelis: & quodcumque solveris super terram. I. 442. & II. 529.
18. Si peccaverit in te frater tuus, corripue eum inter te, & ipsum solum. I. 433.

18. Si duo ex vobis conserint super terram, de omni re, quamcumque petierint, fit illis a patre meo. I. 309.
22. Simile factum est regnum celorum homini regi, &c. I. 249.
22. Ego sum Deus Abraham, Isaac, & Iacob: non est Deus mortuorum, sed viventium. II. 349.
23. Super cathedram Moysi sederunt Scribæ, & Pharisei, &c. I. 323.
23. Væ vobis, qui ædificatis sepulchra prophetarum, & ornatis monumenta iustorum. I. 496.
5. Simile est regnum celorum decem Virginibus, &c. I. 249.
25. Omni habenti dabitur, & abundabit: ei autem qui non habet, & quod habet auferetur ab eo. I. 144.
36. Tristis est anima mea. II. 244.
28. Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consumptionem sæculi. I. 254. & 367.

*Marti.*

1. Initium evangelii Iesu Christi filii Dei, sicut scriptum est in Isaia Propheta. I. 166.
13. De die autem illa nemo scit, neque Filius. II. 339.
13. Quod vobis dico, omnibus dico: vigilate. I. 432.
15. Erat autem hora tertia, & crucifixerunt eum. I. 168.
16. Prædicate evangelium omni creaturæ. I. 301.
16. Qui vero non crediderit, condemnabitur. II. 538.

*Luce.*

1. Regnabit in domo Iacob in æternum. I. 255.
2. Iesus proficiebat sapientia, ætate, & gratia apud Deum, & homines. I. 336. & seq.
3. Qui fuit Sale, qui fuit Camam, qui fuit Arphaxad. I. 173.
7. Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. II. 292. & 374.
10. Neminem per viam salvaveritis. I. 144.
10. Qui vos audit, me audit. 323.
10. Samaritanus approprians alligavit vulnera eius, infundens oleum, & vinum, &c. II. 371.
13. Nisi poenitentiam habueritis, omnes peribitis. II. 442.
31. Cælum, & terra transibunt, verba autem mea non transibunt. I. 15.
22. Accepto pane gratias egit, &c. hoc est corpus meum, &c. II. 269.



22. Hoc facite in meam commemorationum. I. 432.  
 22 Ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua. I. 340.  
 & 346.  
 24. Petrus autem surgens occurrit ad monumentum. I. 438.  
 24. Aperuit illis sensum, ut intelligerent scripturas. I. 138. &  
 II. 176.

*Ioannis.*

1. Dedit ei potestatem filios Dei fieri. I. 250.  
 1. Verbum caro factum est, &c. II. 329.  
 1. Vidimus gloriam eius, gloriam quasi unigeniti a Patre.  
 II. 324.  
 1. Lex per Moysen data est, gratia & veritas per Iesum Christum.  
 II. 437.  
 1. Deum nemo vidit unquam: Unigenitus, qui est in sinu Patris, ipse enarravit. II. 330.  
 2. Nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ. II. 33.  
 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, &c.  
 II. 435.  
 3. Illum oportet crescere, me autem minui. II. 338.  
 3. Quod vidit & audivit, hoc testatur. II. 332.  
 5. Pater omnia demonstrat Filio, quæ ipse facit, &c. II. 339.  
 5. Ego non ab homine testimonium accipio. I. 50.  
 6. Nisi manducaveritis carnem, &c. II. 554.  
 7. Si quis voluerit voluntatem eius facere, cognoscet de doctrina, utrum ex Deo sit. I. 53.  
 10. Oves meæ vocem meam audiunt. Ibid.  
 13. Cum esset Pontifex anni illius, prophetavit. I. 366.  
 14. Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, ut maneat, &c. I. 256. & seq.  
 4. Ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia. I. 349.  
 15. Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcumque audivi a Patre meo, nota fecit vobis. Ibid.  
 16. Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. I. 257.  
 18. Sanctifica eos in veritate, &c. I. 257.  
 18. Volo Pater, ut ubi sum ego, & illi sint mecum. II. 332.  
 18. Ego in occulto locutus sum nihil. I. 225.  
 19. Non haberes potestatem in me ullam, nisi tibi datum esset desuper. I. 21.

700 *Index Locorum*

20. Sicut misit me pater, & ego mitto vos : accipite Spiritum Sanctum, &c. I. 442. & 433.  
 20. Quorum retinueritis, retenta sunt. II. 538.  
 21. Pasce oves meas. I. 356. & 402.  
 21. Hic est discipulus ille, qui testimonium perhibet de his, & scimus, quia verum est testimonium eius. I. 42.

*Actorum.*

5. Cæsis denunciaverunt, ne omnino loquerentur in nomine Iesu. I. 429.  
 6. Verbum Dei crescebat. II. 338.  
 7. Ioseph accercivit Iacob Patrem suum, & omnem cognitionem suam in animabus septuaginta quinque. I. 176.  
 7. Positi sunt in sepulcro, quod emit Abraham pretio argenti a filiis Emor filii Sichem. Ibid. & seq.  
 10. Mitte & accerse Simonem; ille dicet tibi, quid te oporteat facere. II. 388.  
 15. Convenerunt apostoli & seniores videre de verbo hoc. I. 315.  
 15. Viri fratres vos scitis, quoniam ab antiquis diebus Deus in vobis elegit per os meum audire gentes verbum evangelii, & credere. I. 397.  
 14. Visum est Spiritui Sancto, & nobis. I. 325. & 339.  
 20. Attendite vobis, & universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere ecclesiam Dei. I. 314.

*Roman.*

- Tradidit illos Deus in reprobum sensum. I. 31. & seq.  
 2. Factores legis iustificabuntur. II. 393.  
 2. Non enim qui in manifesto Iudæus est, neque quæ in manifesto in carne est circumcisio, &c. I. 317.  
 3. Iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem quæ est in Christo Iesu. II. 320.  
 3. Unus est enim Deus, qui iustificat circumcisionem ex fide, & præputium per fidem. II. 385.  
 5. Per unius iustitiam in omnes homines in iustificationem. Ibid.  
 9. Ore autem confessio fit ad salutem. II. 414.  
 10. Et quidem in omnem terram exivit sonus eorum. I. 316.  
 12. Obsecro eos, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem. II. 259.

12. Non plus sapere, quam oportet sapere, &c. I. 467.  
 14. Infirmum in fide assumite. I. 247.

*1. Corinth.*

1. Ecclesiæ Dei, quæ est Corinthi, vocatis sanctis. I. 240.  
 1. Obsecro vos, ut id ipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata. I. 324.  
 1. Perdam sapientiam sapientium. I. 553.  
 1. Videte vocationem vestram, fratres, quia non multi sapientes secundum carnem. I. 365.  
 3. Tanquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam. I. 247.  
 4. Huic iam quæritur inter disputatores, ut fidelis quis inveniat. I. 252. & seq.  
 4. Habentes eundem spiritum fidei. II. 385.  
 6. An nescitis, quia corpora vestra membra sunt Christi? I. 250.  
 7. Præcipio non ego, sed Dominus: ceteris ego dico, non Dominus. I. 154.  
 10. Sed non in plaribus eorum beneplacitum est Deo. II. 317.  
 10. Omnes quidem de uno pane participamus. II. 424.  
 11. Si quis videtur contentiosus esse, nos tamen talem consuetudinem non habemus, neque ecclesia Dei. I. 211.  
 12. In uno spiritu omnes nos, in unum corpus baptizati sumus. I. 250.  
 12. Non potest caput dicere pedibus, non estis mihi necessarij. I. 531. & seq.  
 13. Cum venerit quod perfectum est evacuabitur quod ex parte est. II. 324.  
 14. Prophetæ duo aut tres dicant, & cæteri diiudicent, &c. I. 468.  
 14. Non est dissensionis Deus, sed pacis. Ibidem.  
 15. Alia claritas solis, alia claritas lunæ, &c. I. 455.  
 15. Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur. I. 136.

*2. Corinth.*

1. Fidelis autem Deus, quia sermo noster qui fuit apud vos, non est in illo, est, & non, sed est in illo, est. I. 302.  
 4. Id, quod in presenti est momentaneum & leve tribulationis nostræ, æternum gloriæ pondus operatur in nobis. II. 179.

5. Scimus enim, quod in terrestri domus nostra huius habitacionis dissolvatur, ædificacionem, &c. II. 180.  
 7. Quæ secundum Deum tristitia est, pœnitentiam, &c. II. 477.  
 20. Bibebant autem de spiritali, conseqente eos petra: Petra autem erât Christus. II. 383.  
 21. In quo quis audeat (in insipientia dico) audeo & ego. I. 154. & seq.

*Ad Galatas.*

21. Scientes, quod non iustificatur homo ex operibus legis, sed per fidem Iesu Christi. II. 400. & seq.  
 3. Omnes enim filii Dei estis per fidem. Ibid.  
 4. Hæres iste parvulus, qui nihil differt a servo, sed sub tutoribus est usque ad præfinitum tempus à Petre. II. 383. & seq.  
 5. Nec circumcisio aliquid valet, nec præputium, sed fides, II. 433.

*Ad Ephesios.*

2. Eratis illo in tempore alienati a conversatione Israel, & hospites testamentorum. I. 250.  
 4. Una corpus & unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestræ, &c. I. 259.  
 4. Unicuique nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi. Ibid.  
 4. Ipse dedit quosdam quidem apostolos, quosdam autem Prophetas, &c. I. 247. & 469.  
 5. Eratis aliquando tenebræ, &c. I. 250.  
 5. Christus dilexit ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans eam lavacro aquæ in verbo. II. 424.

*Philippens.*

4. Repletus sum exceptis ab Epaphrodito, quæ misistis in odorem suavitatis, hostiam acceptam, placentem Deo. II. 253.

*Colossens.*

1. In ipso complaciti omnem plenitudinem inhabitare, pacificam, &c. II. 320.  
 2. In ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter. Ibid.

*2. Tessalon.*

2. Ideo mittet illi Deus operationem erroris. I. 25.

*1. Timoth.*

2. Unus Deus, unus mediator Dei hominum, homo Christus Iesus. II. 382.

6. O Timothee , depositum custodi, &c. I. 224.

6. O Timothee , devita prophanas vocum novitates. I. 151.

2. *Timoth.*

1. Resuscita gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum. II. 283.

2. Sed firmum fundamentum Dei, stat, habens signaculum, &c. I. 244.

2. Si quis emundaverit se ab istis, erit vas in honorem, &c. II. 302.

3. Omnis scriptura divinitus inspirata utilis est, &c. I. 219. & seq.

*Ad Hebræos.*

2. Dicebat enim, propter quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum per passionem consumari. II. 323.

2. Nusquam enim Angelos apprehendit. II. 178.

5. Omnis Pontifex pro hominibus constituitur, ut offerat dona & sacrificia pro peccatis. I. 246. & seq. & II. 258.

6. Impossibile est eos, qui semel illuminati sunt & prolapsi, rursus renovari ad penitentiam. II. 526.

9. In redemptionem earum prevaricationum, quæ erant sub priori testamento. II. 290.

10. Vna oblatione consummavit in æternum sanctificatos. II. 289.

10. Voluntarie peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, iam nulla relinquitur pro peccatis hostia. II. 291. & 526.

11. Credere oportet accedentem ad Deum, quia est. II. 153.

13. Per ipsum offeramus hostiam laudis, &c. Id est fructum laborum confitentium nomini eius. II. 259.

13. Beneficentiæ & communionis nolite oblivisci, &c. Ibid.

*Iacobi.*

1. Deus neminem tentat. I. 23.

2. Religio munda & immaculata apud Deum & Patrem hæc est, visitare pupillos & viduas in tribulatione eorum. I. 261.

3. In multis enim offendimus omnes. I. 246.

1. *Petri.*

1. Animas vestras castificantes. II. 302.

2. Qui aliquando non populus Dei, nunc autem populus Dei. I. 250.

2. *Petri.*

## 2. Petri.

1. Non doctas fabulas sequuti notam facimus Domini nostri virtutem & presentiam, &c. II, 327.
1. Habemus firmiorem propheticum sermonem cui beneficiis attendentes, &c. I. 138.

## 1. Iohannis.

1. Deus lux est, & tenebræ in eo non sunt ullæ. I. 293.
  1. Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est. I. 246.
  2. In hoc scimus quoniam cognovimus Deum, si mandata eius observamus. I. 293.
  2. Non necesse habetis, ut aliquis doceat vos, sed sicut unctio eius docet vos de omnibus, &c. I. 50.
  3. Omnis qui peccat, non cognovit Deum, & omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit. I. 293. & seq.
  3. Qui facit iustitiam, iustus est, qui facit peccatum, ex diabolo, &c. Ibid.
- Apocalypsis*
6. Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere divinitatem, & sapientiam, II. 323.

FINIS.